M. Tört. F.
7. 4.

MATTHIAE BELII,

NOTITIA HVNGARIAE NOVAE

GEOGRAPHICO HISTORICA.

PARTIS PRIMAE

CIS-DANVBIANAE,

TOMVS QVARTVS.

NOTITIA

HVNGARIAE

NOVAE

HISTORICO GEOGRAPHICA,

DIVISA IN PARTES QVATVOR,

QVARVM

PRIMA, HVNGARIAM CIS-DANVBIANAM; ALTERA, TRANS-DANVBIANAM; TERTIA, CIS-TIBISCANAM; QVARTA, TRANS-TIBISCANAM:

Vniuersim XLVIII. Comitatibus Designatam,

EXPROMIT.

Regionis Situs, Terminos, Montes, Campos, Fluuios, Lacus, Thermas, Cæli Solique ingenium, Naturæ munera & prodigia; Incolas variarum Gentium, atque harum mores; Prouinciarum Magistratus; Illustres Familias; Vrbes, Arces, Oppida, & Vicos propemodum omnes; Singulorum præterea, Ortus & Incrementa, Belli Pacisque Conuersiones, & præsentem Habitum;

Fide optima, Adcuratione summa,

EXPLICAT.

OPVS, HVCVSQVE DESIDERATVM, ET IN COMMVNE VTILE.

SACRATISSIMIS AVSPICIIS

D. CAROLI VI. CAESARIS,

ET REGIS INDVLGENTISSIMI,

ELABORAVIT


MATTHIAS BEL.

ACCEDVNT

SAMVELIS MIKOVINII.

Mappæ, singulorum Comitatuum, Methodo Astronomico-Geometrica, concinnatæ.

TOMVS QVARTVS.



VIENNAE AVSTRIAE, Impensis PAVLLI STRAVBII Bibliopolæ.
Typis IOHANNIS PETRI VAN GHELEN, Typographi Regii.
ANNO MDCCXLII.

553.607/4

M. ACADEMIA KÖNYVTÁRA

SERENISSIMAE

MARIAE THERESIAE,

DIVI CAESARIS CAROLI SEXTI FILIAE,
NEPTI LEOPOLDI MAGNI,
PRONEPTI FERDINANDI III. ABNEPTI FERDINANDI II.
MAXIMILIANI II. DENEPTI, ET EX ANNA HVNGARA,
FERDINANDI I. VLTRA TRINEPTI,

QVAE DEI EST GRATIA,

REGINAE HVNGARIAE,

BOHEMIAE, *DALMATIAE*, CROATIAE,
SCLAVONIAE, BOSNIAE, RAMAE, SERVIAE,
GALLICIAE, LODOMERIAE, CVMANIAE,
BVLGARIAE, HAEREDI VNDIQVAQVE
CONSVMMATISSIMAE,

PIAE, IVSTAE, CLEMENTI;

ARCHIDVCI AVSTRIAE,

DVCI BVRGVNDIAE, BRABANTIAE, MEDIOLANI,
STYRIAE, CARINTHIAE, CARNIOLAE, MANTVAE,
PARMAE, PLACENTIAE, LIMBVRGI, LVXENBVRGI,
GELDRIAE, WURTENBERGIAE, ET VTRIVSQVE SILESIAE;

PRINCIPI *SVEVIAE* ET TRANSILVANIAE,
MARCHIONI SACRI ROMANI IMPERII,
BVRGOVIAE, MORAVIAE, SVPERIORIS
ET INFERIORIS LVSATIAE;

COMITI HABSPVRGI, TIROLIS, NAMVRCIAE,
FERRETIS, KYBVRGI, GORITIAE, GRADISCAE,
ET ARTESIAE;

LANDGRAVIAE ALSATIAE,
DOMINAE MARCHIAE SLAVONICAE,
PORTVS NAONIS, SALINARVM,
ET MECHLINIAE;
RELIQVA.

SERENISSIMI
DVCIS LOTHARINGIAE, ET BARRI,
MAGNI DVCIS HETRVRIAE,
CONIVGI DIVINISSIMAE,
DOMINAE DOMINAE INDVLGENTISSIMAE,
FELICITATEM!
CVM PERPETVITATE CONIVNCTAM,
TOTO ANIMO NVNCVPAT,
ATQVE
HVNGARIAE NOTITIAM HANC,
SACRATISSIMIS
D. CAROLI SEXTI AVSPICIIS,
DESCRIBI COEPTAM,
PRO DEDITISSIMAE VOLVNTATIS OBSEQVIO,
DICARE, DEDICARE, CONSECRARE
PERGIT
ANIMO HONESTE OBSTINATO,

SVBIECTISSIMVS
MATTHIAS BEL,
AVCTOR.

AD LECTOREM.

PRodit tandem, quæ DEI est gratia, quartus commentariorum de HVNGARIA NOVA, tomus. Hic vero, iniquus forem, nisi aperte, & ex vero profiterer, LECTOR benevole! quemadmodum euenerit, vt opus hoc nostrum, tanta D. CAESARIS cœptum adprobatione, continuatumque postea, successu, ad inuidiam vsque felici, tam diu adhæserit, tenueritque suspensam exspectatione rempublicam litterariam. Tametsi enim, proximos, qui abiere, annos, duros oppido, & vix pluribus retro seculis, facile adnotandos, satis, apud æquos iudices, ad eius moræ excusationem, valituros confido; sic tamen existimo, edisserendum esse propalam, quantopere, tota ea, quæ lustro hoc desæuiit, tempestas, retardarit molitiones nostras, ex se refractarias omnino, & sexcentis remoris obnoxias.

II. Ac bella quidem, malignissimo prouentu, ex bellis, pridem seri cœpta, propagataque in ærumnosam vsque patriam; cum *Musas Hungaricas*, suo quodam fato, squalentes & calamitosas, in eam vniuersim fortunam præcipitauerunt, cuius atrocitatem, haud reminisci possis, sine dolore exquisitissimo; tum mihi, ad omnes licet fortunæ casus, haud imparato, non stilum modo, tenaci e manu, propemodum eliserunt; sed cunctas simul, honestissimorum studiorum, quæ consectamur, destinationes fere interuerterunt penitus. Nimirum, restinguebatur, pius ille, quo inflammabamur olim, patriæ illustrandæ ardor; cum eminus cerneremus, recuperatas nuper, vnius belli prouentu, regiones, igne ac ferro euastari, & sub iugum raptari denuo, clade, etiam diriissima, infinitis modis atrocius. Aptior tunc sane, magisque ad complorandum, quam ad exaggerandum res patriæ, idonea materies, sufficiebatur: quando, de sua quisque salute, consilio, pignoribus, fortunis, immo, de tota circumquaque rerum summa, videbatur desperare.

III.

III. Hæc belli fuere mala, ancipitis profecto, & eo funeſtioris periculi, quo magis orbis melior pertimeſcebat, ne barbarus ille, & vltra omnem modum ſanguinolentus hoſtis, cladem, ſi perruperit, in rebus Chriſtianis edat, vix vlli, quarum innumeras pertulimus, temere comparandam. Ergo, inter ſacrum & ſaxum, trepidi agebamus ad vnum omnes; dum, conſobrinum bello, peſtilentiæ virus, pullulare primum lentius, mox ſparſim inualeſcere, ac denique, vicos, oppida, vrbes, quin integras, atque viciniſſimas nobis prouincias, omnium atrociſſime cœpit deuaſtare. Tunc vero demum, quod noſtro hoc collimitio, intemeratum hactenus a belli iniuriis, ſuperabat, *non potuit non*, immanem in modum, perturbari; cum, pro difficillimi temporis ingenio, diſſui iſthic, mutuam illam hominum & *Muſarum* ſocietatem; circumcludi alibi oportuit, quod purum adhuc durauerat, ab immedicabili contagionis malo. Quid proinde, triſti hoc rerum habitu, *Muſæ* noſtræ agerent? non a litteratorum modo conſortio prorſus reſciſſæ; verum, eo vſque ſimul perculſæ, vt non iam de ornamentis ſuis; ſed de ſalute, cogitationem ſuſcipere cogerentur. Enim vero, de morte tunc, præcipiti ea, & in primis funeſta, meditari, multo fuit procliuius; quam moliri immortalis quidpiam, & laturum poſteritatis adprobationem.

IV. Satis, gemina hæc clades, *cum ad omnium, tum* ſingulorum calamitatem cumulandam, momenti habu*it*: cui tamen tolerandæ, eo, cum *Muſis* noſtris, ſufficiebamus commodius; quod bellum quidem, poſt hominum memoriam, damnoſiſſimum, inopina pace terminatum; peſtilentiæ vero contagium, quæ Dei fuit benignitas, peruigili Avgvsti Caesaris prouidentia, vniuerſa ſenſim regione, depulſum eſt. Itaque, redeunte pace, redibat ſimul,

Fulgente decorus arcu
Phoebvs, *acceptusque nouem* Camenis,
Qui ſalutari leuat arte feſſos
Corporis artus. (*a*)

re-

(*a*) Horativs, Carmine Seculari vet. 61.

redibat inquam, refouebatque *Muſas* exanimes; noſtras autem, nouo animatas ſpiritu, in ſpem haud dubiam vocabat, ſucceſſuum vndiquaque felicium: cum, nec opinato, luctuoſiſſima, per orbem, fama diditur:

Ereptvm rebvs hvmanis Caesarem!

Cuius quidem caſus magnitudine, proſtrati obtritique hærebamus omnes; ego vero,

Non aliter ſtupui, quam qui Iouis ignibus ictus,
Viuit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ. (*b*)

V. Parce, qui hæc legis, dolori noſtro! iuſtus eſt enim, neque ſatis conteſtandus, tametſi in lacrumas dimanauerit, etiam ſanguineas:

Multis Ille *bonis flebilis occidit,*
Nulli flebilior, quam mihi. (*c*)

Mihi, inquam, cui, huius, tam vaſtæ atque operoſæ deſtinationis, auctor ſtatorque, ſapientiſſimus, munificentiſſimus, exſtitit; quique vnus omnium, de ſtudiis noſtris optime exiſtimabat; vna hac ſtrage, diſpendio, haud vnquam reparando, ſubductus, ereptus eſt. Ille, inquam, Caesar, qui audiendis nobis, toties facilem ſe ac prolixum exhibuit, & cui nos ætatem, vltra communem modum diuturnam, atque Avgvsti illa, multis modis feliciorem, haud, fictis, precibus, voueramus, vt

Serus in cælum redeat diuque
Lætus interſit populo Quirini,
Neue tot noſtris vitiis iniquum
Ocior aura
Tollat. (*d*)

Quibus quidem votis, benigne fauturum cæleſte numen confidebamus; quando conſtabat apud omnes, vnius incolu-

)( )(

mi-

(*b*) Ovidivs, Triſtium I. Eleg. III., 11.
(*c*) Horativs Carm. Lib. I. Ode XXIV., 9.
(*d*) In Epiſtola Nuncupatoria, Tomi II., ex eodem noſtro, Carm. Lib. I. Ode II. 45.

mitate vitaque Caesaris, totius Christiani orbis salutem, contineri: quidni & *Musarum* nostrarum? Ergo,

Quis desiderio sit pudor aut modus,
Tam magni capitis? (e)

Profecto, quoties mente recolimus, quam parum esset, quod pro tanto principe luximus, præ eo, quod eluximus nondum; senescat dolor noster, fiatque contumax, oportet. Ergo,

Sæue nimis, lacrimis quisquis discrimina ponis,
Lugendique modos. (f)

VI. Præluſit, *huic*, *tam acerbæ calamitati*, fatorum, iuxta & hominum, iniquitas alia: quando, fata quidem, viros nobis ante surripuerunt, omni consilio, ope, atque conatu, id elaborantes, vti, & Avgvstvm, suapte benignum, studiis nostris perpetuum adsererent; & nihil non agerent, quod honestissimo instituto, siue sustentando, siue ornando exaggerandoque, vtile ac necessarium, existimauerunt. Nolo mortuorum nomina celebrare, ne viuis diffidere videar. Nam, superant omnino adhuc, summi sapientissimique viri, qui hanc sibi curam sumunt, ne in tanta rerum omnium difficultate, productum eo vsque opus, aut sufflaminetur porro, aut, quod cupidissime optant Zoyli, penitus interuertatur. Adeo, hodieque,

Di me tuentur, Dis pietas mea
Et Musa cordi est. (g)

VII. Nocentior multo, neque dedolendus satis, hominum, quibus demandata fuit operis procuratio, torpor, aut nescio quid? exstitit. Quem, si pro eo, ac meruit, queri vellem, laborem sane conscisscerem, non mihi molestum minus, quam grauem his, quorum conscientia, de se id prædicari, dictitaret. Satis sit indicauisse, toto fere quadriennio, retardatum fuisse opus, intempestiuorum hominum artibus: communi id quidem eruditorum, qui se huic generi,

(e) Horativs Ibid. v. 1.
(f) Statius, Silv. Lib. II., 6.
(g) Horativs, Carmin. Lib. I. Ode XVII., 13.

ri, in edendis commentationibus suis, permittere necessum habent, malo; at nostro, tanto exquisitiore, quanto magis totius operis intererat, pridem, & fauente adhuc Caesare, lucem publicam adspexisse. Nunc, *post bellum auxilium!*

VIII. Ista fuere, *Amice Lector!* quæ non retentarunt tantum; sed repressérunt etiam hactenus, elucubrati pridem, summa diligentia, & cupide adeo exspectati operis, editionem. Nam, de nostro quidem labore, ita sentias velim, eo, vniuersum, quæ Dei est gratia, opus deductum esse, vt, quod eius est residuum, statim ab hoc momento, typis tradi possit excudique: si, & tempora amiciora essent *Musis*, & homines, æqui ac iusti, obseruantiores. Sciunt id, summi quique, atque eruditissimi viri, quibus visæ sunt lucubrationes nostræ; visæ autem sunt, in ea, qua fuit hoc anno, celebritate, vrbs nostra, bene multis; non emaculatæ modo, & in tria volumina dispertitæ; sed adprobatæ etiam ab his, quibus censendi laboris prouinciam, D. Caesar, magno lucubrationum nostrarum commodo, demandauerat.

IX. Hæc ita se habent omnino: vt sit, cur resorbeat, procaces, quas ob hanc operarum cunctationem, in nos iecit, contumelias, genus illud hominum, cui volupe est, ad omnem occasionem, ab aliquo, maligne tamen, insultare, laudatissimis aliorum cœptis; cum ipsi contra, præ mentis, ne quid durius pronunciem, angustia, nunquam præclaræ quidpiam cogitationis, aut animo conceperunt, aut ediderunt publice. Quod nos tamen feciſſe, facturosque esse, dum, numine propitio, vita viresque suffecerint, doleant infelices illi obtrectatores: donec, criminandi pœnitentia, dedoluisse eos condocuerit, plebeium hunc, & viris doctis, quales videri cupiunt, indignum morem, an crimen?

X. Sed, rogas fortean, o bone! Sint hæc ita! quid vero tandem, de reliqua operis mole, in hac rerum omnium perturbatione, aut voles, aut poteris statuere? Et primo quidem sic habe: *Terram me videre*, esseque in spe certissima, haud nos desertum iri ab idoneis præsidiis, quibus, quod est,

in laborioſiſſimis commentariis reſiduum, publica luce donari queat. Dicam apertius, quorſum me ducat fiducia. Succeſſit, in cœleſtiſſimi patris, D. CAROLI, locum, filia diuiniſſima, MARIA THERESIA, quam ſexus feminam, virtutes REGEM formauere. Nihil HVIC, ſiue carius, ſive commendatius, HVNGARIA ſua eſt; hac in primis tempeſtate, dum rebus vndiquaque trepidis, opportune, & auxilia ſufficit, & firmamenta. Enim vero:

Non minus hinc læti trahimus ſolatia, quam ſi
Præcipiti conuulſa noto proſpectet amicam
Puppis humum. (*h*)

Atque, erit profecto, erit inquam, præter exſpectationem, euentus, qui res noſtras, ex his fluctibus, tandem in portum inuehat; eo, (*i*)

Quod, magis atque hominum pollet IOVIS *vſque voluntas.*

XI. Tunc, & iſtud TE monitum volo: eo nos pridem conſilio, ac prouidentia, fuiſſe vſos, vt, cum

Vitæ ſumma breuis ſpem nos vetat inchoare longam; (*k*)

viri, nobis obdormiſcentibus, ſuperuiuerent, docti, & ſtudiorum noſtrorum vnice obſeruantes, quique, curarum hasce reliquias, lubenti animo, ſuas facerent, immo penitus conficerent. Filios præterea, *Carolum Andream*, & *Matthiam Godofredum*; (nam, ſecundo genitus, *Iohannes Theophilus*, totus licet, ac præcipue quidem, ad litteras percolendas, a natura factus, præpoſtero quodam *inſtituto* ſuo, armatæ *Palladi*, adhæſiſſe maluit, quam ſub *Apolline*, cum *Muſis* facere;) ita, diuino munere, partim educaui iam, partim educare pergo; vt, & iisdem hiſce ſacris, curate initiarentur, neque paternarum lucubrationum eſſent ignari. Quibus ideo, teſtamento quaſi, pulcherrimam eam procurationem, nuncupaui: qua ſane, communicatis mutuo conſiliis opeque, nullo, ſaltem leui ac iucundo negotio, defungi poterunt: quando, in toto ſcriptionis genere, vix quidquam reſtat ad conſummandum, quam, ne deſint, qui adtendant, vt deſignata ſemel operis vniuerſi compages, eodem, quo primum iniit, tenore atque

(*h*) STATIVS, ibid.
(*i*) HOMERVS Iliad. II.

(*k*) HORATIVS, Carm. Lib. I. Ode IV., 15.

que adcuratione, ad calcem decurrat. Sed de his, plus ſatis.

XII. Iam docendus mihi es *Lector!* quid, toto hoc volumine, quod in manus *Tibi* tradimus, quaque diligentia, expromſerimus. Hiſtoria eſt nimirum, quatuor HVNGARIAE CIS-DANVBIANAE Comitatuum: *Neogradienſis*, *Barſchienſis*, *Nitrienſis*, & qui ſecundo loco poni debuerat, *Hontenſis* vtriuſque. *Trentſinienſem*, & *Aruenſem*, coadunare his, in animo fuit; ſed eam tamen deſtinationem, moles, ad quam, nec opinantibus nobis, inter manus increuit liber, differre nos coegit, retrudereque, in *Partem Hungariæ Cis-Tibiſcanam*, adeoque, operis totius, *Tomum*, qui ſequetur, *Sextum*. Prouincias enim vero, quas nunc exhibemus, ita, ab omni ad ſcribendum materie, inſtructas reperimus, vt parum abfuerit, quin ab rerum, & euentuum, multitudine, obrueremur. Id, quominus fieret, curam ac ſtudium adhibuimus; ne, aut nimia copia, luxuriaremur; aut, ſcrupuloſiore delectu, macri fieremus & exſangues. Neque diligentiam hanc, temere quisquam accuſauerit; niſi rerum patriarum faſtidioſus, peregrinarum vero incurioſus ſit, & ad vitium vsque negligens. Id enim nobis, per totum hoc opus negotii conſciuimus, ne, quantum eius præſtari poteſt, ſicco pede tranſeamus quidquam, cuius notitiam, aut neceſſariam vtilemue, aut iucundam lectoribus futuram, cum ratione opinaremur. Sed de *his*, viderint, iuſti conatuum noſtrorum exiſtimatores.

XIII. Quod reliquum eſt, ſpondemus TIBI, erudite *Lector!* haud degenerauiſſe, hanc, quanta quanta eſt, operis partem, a priorum illarum adcuratione, atque dictionis habitu. quas gratanter, neque ſine inſigni adprobatione, orbem eruditum accepiſſe, læti recordamur. Nam, bibliopolæ quidem, & operarum oſcitantiam atque ſordes, quemadmodum indignabundi reprobauimus perpetuo; ita, confidimus fore, vt in elegantiores homines incidamus in poſterum, &, qui, non ſciant tantum; ſed & poſſint, cum noſtri dignitatem operis, tum & famæ ſuæ integritatem, pertinaciter atque

que induſtrie tutari. Ceteroquin, mappæ chorographicæ, omni cura ac diligentia elaboratæ, adhuc operis ſunt *Mikouiniani.* quas, vir illuſtris, eo vſque concinnare perget, dum conſummetur opus vniuerſum. *Tres* enim ſuperant *Tomi*, quibus reliquam *Hungariam*, XXXVIII. Comitatibus deſignandam, complecti eſt animus. quorum vltimus, exaggeratiſſimum, & multifariam diſpertitum, totius operis indicem, exhibebit; multo credo opportunius, quam ſi illam eius partem, quæ in *quatuor* retro *volumina*, elaborata iam & ad manum eſt, iſthic adtexuiſſemus. Vale, candide *Lector!* & HVNGARIAE noſtræ, nobiſque, qui eius illuſtrandæ prouinciam, a D. CAESARE, magna benignaque adſenſione demandatam, tuemur *hucdum*, &, dum vita ſufficiet, obſtinata diligentia, tueri pergemus, bene precabere. PISONII, Anno MDCCXLI. III. Idus Decembr.

CLA-

CLARISSIMO VIRO,

MATTHIAE BELIO,

ECCLESIASTAE PISONIENSI,

SOCIETATVM REGIARVM LONDINENSIS, ET BEROLINENSIS,

COLLEGAE DIGNISSIMO,

POLYHISTORI CELEBERRIMO,

PARENTI OPTIMO,

CVM HVNGARIAE NOVAE TOMVM QVARTVM

AVSPICATO EDERET,

HORATIANAM ODEN IMITATVS,

LVBENS AC MERITO ADCANTABAT

M. CAROLVS ANDREAS BELIVS,

FILIVS *OBSEQVENTISSIMVS.*

BELIVM quisquis cupit æmulari,
Balbe! ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres,
Quem ſuper notas aluere ripas,
Feruet immenſuſque ruit, profundo
BELIVS ore.
Laurea donandus Apollinari:
Seu perorando ſacra diuinatus
Verba deuoluit, numeriſque fertur
Lege ſolutis;
Seu Deos Regesque canit, Deorum
Sanguinem, per quos cecidere fauſto
Prælio *Turcæ*, rediitque noſtræ
Gloria gentis;
Siue, quos auguſta domum reducit,
Palma victores, pugilemue equumue
Laudat, & centum potiore ſignis
Munere donat;
Flebili ſeu voce pericla clades
Plorat, & vires animumque gentis
Martium deducit in aſtra, nigroque
Eripit orco;

Siue

Siue deſcribit Cererisque Bacchi
Dona, vel Pluti grauidas cauernas,
Montium faſtus, validas & agro,
Pannonis vrbes.

Summa *Piſanum* leuat aura PHOEBVM,
Tendit ex Iſtro quotics in altos
Nubium tractus. Ego, apis Rhenanæ
More modoque,

Grata carpentis tyma per laborem
Plurimum, circa nemus, vuidoſque
Galliæ riuos, operoſa gnauus
Germina carpam.

Concinis grandi, pie PHOEBE! voce
Cæſarem: quando trahit is *triumphans*
Hoſtium fractas, merita decorus
Fronde, pharetras.

Quo nihil maius meliusue terris
Fata donauere bonique cæli;
Nec dabunt, quamuis redeant in aurum
Tempora priſcum.

Concines porro populi renati
Publicum plauſum, ſuper expetita
Fortis AVGVSTAE trabea, precatis
Atque triumphis.

Tum meæ, ſi quid loquar audiendum,
Vocis accedet bona pars, & o Sol
Pulcher! O REGINA! canam Tuorum
Geſta laborum.

Tuque dum procedis, Io triumphe!
Non ſemel dicemus, Io triumphe!
Ciuitas omnis; dabimusque Patri
Tura benigno.

Mille TE laudes, totidemque lauri
Principum, BELI! fauor &, manebunt,
Quis neget tanto dubius labori
Præmia digna?

Me pius ſemper ſtimulabit ardor,
Dum Tuos feruens imitabor ignes:
Flagret in natis, TVA quo laboris
Fama perennis.

Scribebam ARGENTORATI, in ædibus SCHÖPFLINIANIS, ſub ipſum PARISIOS abitum. A. MDCCXLI. IV. Cal. Febr.



COMITATVS NEOGRADIENSIS, PARS PRIOR GENERALIS.

PROOEMIVM.

AVgusta, Comitatuum, Peſt, *Pilis*, & *Solth*, ſpatia emenſis, reliqua *Hungariæ Cis-Danubianæ* portio, inſignis ea, & multarum conuerſionum, ad deſignandum ſupereſt: illa nimirum, quæ inde a *Peſtienſium* collimitio, hinc quidem, perpetuo *Strigonienſium*, *Comaromienſium*, ac *Piſonienſium*, quin & *Morauiæ Sileſiæque*, latere ſtringitur; coercetur illinc, *Heveſienſium*, *Gömörienſium*, *Zolienſium*, *Thúróczienſium*, & *Liptouienſium* finibus; dum apud *Aruenſes*, poſt varios ſituum anfractus, in *Sileſiæ* & *Poloniæ*, vicinia, termi-

netur. Scilicet, Comitatus ſunt, vaſti & elegantes, ſed alter commodior altero: *Neogradienſis*, *Hontenſis*, *Barſchienſis*, *Nitrienſis*, *Trentſchinienſis*, atque *Aruenſis*. Volumen hi dabunt, iuſtæ molis, neque prioribus, ſeu rerum habitu, ſeu adparatibus aliis, impar. Exordimur autem, deſignationis eum laborem, a *Neogradienſium* prouincia, dum per interſitos *Comitatus*, ad *Aruenſes* delati, tomo huic, juxta & *Parti Primæ*, ſiue, *Hungariæ Cis-Danubianæ*, finem conſtituamus. quod vt bene vertat, ſtatorem operis vniuerſi, DEVM, ſupplices deprecamur.

MEMBRVM PRIVS, PHYSICVM,

DE

Sitv, Natura & Opportunitatibus Comitatus Neogradienſis.

SYNOPSIS.

Denominationis origo Slauica. §. I.

Regionis ambitus. §. II.

Eius longitudo, & latitudo: *ſitus montanus partim, partim campeſtris: planities quæ? an ſit totius Hungariæ vmbilicus?* §. III.

Montes *Neogradienſium qui? eorum natura, arbores, feræ:* Mátra: Medves: Sátoros: Butſony: Kárants: Málna-Patakenſes & Kornenſes: Ofztroſlky: Dobrocſenſes: Ienőienſes: Naſzály: Szanda Liſzets. §. IV.

Siluæ, & harum opportunitates. §. V.

Ferarum exinanita luſtra: eius rei cauſſæ: ferarum genera: aues ſilueſtres. §. VI.

Fluuii *Neogradienſium nobiliores, & horum piſces, atque amphibia:* Ipoly: *eius origines: qua curſum teneat: inſternitur, per prouinciam, tribus pontibus: traiectus alii: eluniones regioni noxiæ: alit, prope ad capita,* trutas: *genera alia:* luciorum Ipolæ *laus, prouerbio celebrata:* ſturiones, & carpiones, *e Danubio illapſi:* lutræ, & caſtores: Zagyva: *eius capita: acceſſus ad* Heveſienſes: *decurſus reliquus: quibus locupletetur amniculis: exitus in* Tibiſcum. §. VII.

Amniculi *minores:* Loſontz: Tugár: Sztregovienſis *amniculus:* Szalatnya: Kürtös: Fekete-Viz: Lokus: Filekienſis: Geregenſis: Ságenſis: Homok-Terenyenſis: Utas-Terenyenſis: Lucſinenſis: Tóldenſis. §. VIII.

Fontes acidi: Garábienſis: Poltárenſes: Filekienſes: Eſztergarienſes: Kürtöſenſes: Szalatnyenſes: Tiſzownikenſes. §. IX.

Aquæ admirandæ, *& circa has,* Wernheri *error: falſus fons* Soós-Hartyanenſis: *gelidarum ſcaturigines.* §. X.

Quibus metallis *gaudeat regio noſtra: habet* ſtannum, & plumbum: aurum, & argentum: *denique* ferrum. §. XI.

Cali, apud Neogradienſes, *ingenium: tempeſtatum ratio, quas* Carpatus *immittit: quæ oriuntur domi.* §. XII.


Soli habitus, triplicis naturæ: ſterilis, ad ſeptentriones, & intra ſinus montium: fœcundior, in montium radicibus: optimus, qui a Szétſinenſi ora, *in meridiem panditur: huius ingenium.* §. XIII.

Vitis, *apud* Neogradienſes, *ſata: quomodo proficiat: vini laus ac varietas: vina notæ optimæ:* Kosdienſium *laus præcipua:* Rádenſium, *Tokayenſis indoles:* Jobbagyienſium *ingenium.* §. XIV.

Cultus hortorum, *qualis? pomaria, vineis, & ruſticanis ædibus, conſerta: herbarum, & radicum culinarium, cura: aquilonaris ora, leguminum quomodocunque ferax: materia medica.* §. XV.

Rei pecuariæ ratio: variat, pro ſituum habitu: deſunt heic armenta illa copioſiora: equorum *duplex genus:* ouium *greges numeroſi: caſei qualitas: porcorum copia, & per querceta, opima ſagina: glandium diuerſitas.* §. XVI.

§. I.



NEOGRADIENSI Comitatui, nomen, ab arce NOVIGRÁD inditum eſſe, res ipſa loquitur, quam Hungari, *Nógrád*, & totam inde regionem, *Nógrád Vármegye*, adpellant. Vox eſt, originis Slauonicæ, *Arcem* ſignificans *Nouam*. Vnde, pronum eſt, de eius vetuſtate, colligere; tametſi *Noua* audiat. Nimirum, longa, ante aduentum Hungarorum ætate, *Jázyges*, *Slauicum*, ſeu *Sarmaticum* genus, iſthic coluerunt, montanis paſſim caſtellis, regionem præmunientes, ne impreſſionibus pateret vicinorum. Nam, erat hoc apud barbaras, illorum temporum, gentes, in præcipua laude poſitum; nunc inceſſere vicinos; *Denominationis origo Slauica.*

vicinos; nunc, factis demigrationibus, vel nouas instituere colonias, vel certe regionis terminos, quaquauorsum prorogare. Arces autem huiusmodi, *Hrad*, & crassiore pronunciatione, *Grad*, sicuti iam *Poloni* & *Russi*, adpellabant. quas, vt, mutuo distingui possent, denominabant varie. Ita, *Visse-Grád*, ab altitudine; *Bjely-Grád*, ab albedine; *Stary-Grád*, a vetustate, & *Nowy-Grád*, a noua sua origine, traxit adpellationem. Proinde, opus haud est, vt idem istud, vel arcis, vel prouinciæ etymon, a græcis arcessamus; tametsi, latinæ denominationi, videtur, græci quidpiam vocabuli inesse, dum, *Comitatum Neogradiensem* dicunt. Tunc enim, Slauicum *Nowy*, in ea compositione, cum græco, Νέος, significationis eiusdem, euphoniæ caussa, permutatur: quod tamen, neque semper fit, neque ab omnibus. Enim vero, sunt, qui malint *Nowigradiensem* dicere, *Slauicam* vocis originem, plane referentes. Prisci, & *Neugrad* scribebant. cuius rei causas, cum sigilla examinabimus, opportunum erit expromere.

§. II.

Regionis ambitus.

INcludunt regionem, ab oriente brumali, *Comitatus Gömöriensis*, ab æstiuo autem, *Heuesiensis*; breuiori ille, hic tractu longiore. Occasum, *Nagy-Hontensis* claudit; sicuti *Kis-Hont*, cum *Zoliensium* limite, septentrionem. Meridiei, iterum *Heuesiensis*, & ora *Pestiensis*, obiacet. Qua, vltra arcem *Filek*, Gömöriensibus adsedit, mira terminorum est implicatio. Enim vero, Neogradiensium vici, *Czered*, *Hideg-Kút*, *Ó-Bást*, Gömöriensium; sicuti contra pagi: *Egyházas-Bást*, & *Tajti*, Gömöriensibus adscripti, Neogradiensium agro, toti propemodum, circumfusi sunt; vt suis regiunculis, angusto admodum tramite, sicuti peninsula continenti, adhæreant. Hinc, Heuesiensium limes init, montano primum situ, vbi vici, *Pogony*, *Novák* & *Némti*, consederunt. quem postea, *Zagyua amnis*, *designat*, ex iisdem montibus defluens; tametsi agri vicorum, qui ad eundem sunt *fluuium*, vltro citroque procurrant. quod olim, haud caruit controuersiis, in primis, dum tributorum rationes dispertiri oportuit. Iam vero, mutuo vtriusque Comitatus, consulto, sancitum est, vt ii quidem vici, qui occidentali *Zagyuæ* margini, sunt inædificati, licet agrum, apud Heuesienses habeant, iuris sint Neogradiensium; quemadmodum contra, Heuesiensium, qui ad occidentale amnis latus habitantur. Et isto quidem limite, vsque ad oppidum *Hatvan*, Neogradienses, ab Heuesiensibus, discriminantur. Certe, vicina eidem oppido insula, quam *Zagyua*, diuaricato alueo, efficit, Neogradiensium est, cum insulano prædio, cui *Baj* nomen. Postea, Pestiensem Comitatum, regio nostra, arcuato confinio, adtingit; quod a prædio *Varsány*, pone vicos, *Turá*, & *Héviz*, per *Kállo*, & prædium *Eczkend*, vsque ad pagum *Guta*, protenditur. Inde, flexo limite, vallem ambit, cui *Mátsa-Völgye* nomen, atque, reducto iterum tractu, per vicos: *Rád*, *Kosd*, *Veröcze*, in

in Danubium, & huius insulam, *Ros*, incurrit, vicum, *Kis-Oroßz*, septentrionali insulæ ora, sedentem, *Neogradiensibus* admetiens. *Hinc*, *Nagy-Hontensis* regio, ab occidente, Comitatui nostro, obtenditur; vbi, ab oppido *Maróth*, quod in ripa Danubii septentrionali, *Vissegrádo* aduersa, situm est, per vastos montes, vsque ad arcem *Drégel*, iugis, passim horrentibus, porrectos, confinia nostra procurrunt. Vltra eam arcem, *Ipoly* fluuius, in agro vici *Patak*, prouinciam, a Hontensi disterminat, vsque ad oppidum *Gyarmath*; vnde, aduerso amne *Kürtös*, quem, partem maximam, *Neogradienses* sibi vindicant, versus arcem *Kékkö*, per aspera montium, repunt limites, dum, deserta *Nagy-Hontensium* vicinitate, *Zoliensem* agrum adtingant. Primi hic sunt vici, *Szenobrad*, & *Left*; vltra quos, interiectis montibus, *Tiszovnyk*, Neogradiensis adhuc oræ vicus est. Ad hunc, montes *Osztroska*, adtolluntur, variatis nominibus, in orientem brumalem, pone *Detvam*, Zoliensem vicum, & *Otsovam*, eiusdem ditionis oppidum, vasto ambitu, vsque ad *Kokavam*, *Kis-Hontensium* vicum, decurrentes; donec, penes *Cseh-Brezó*, *Póltár*, & vicos alios, in territorio *Nagy Darócz*, in cuius vicinia *Comitatus Gömöriensis* incipit, iidem termini, in orbem quasi recurrant.

§. III.

Eius longitudo, & latitudo.

REgio, quæ isto circuitu continetur, XII. milliaria longa est, lata, heic quidem sex, quinque alibi; raro angustior. qui ambitus, parca admodum supputatione, milliaria habebit, plus minus XXXV. Metimur autem regionis longitudinem, a *Kornensium*, & *Malnapatakiensium* montibus exorsi, vsque ad insulanum Danubii vicum, *Kis-Oroszy*; sicut, contra latitudinem, qua maxime protenditur, a *Heuesiensium* confinio, ad *Nagy Hontensium* terminos, designamus. Situs prouinciæ, arcum leuiter intensum, referre putatur. quam eius formam, alii aliter interpretantur. *Alioquin*, quia *Carpathi* radicibus subiacet, trahit ex eo confinio, & montes vastos, & saltus opacos. In primis ora *Comitatus* septentrionalis, montibus est aspera. qui postea, quo longius in meridiem procurrunt; eo molliori deuexitate, passim mitescunt: quin & in campos abeunt, & vberes illos, & amœnos adspectu: quippe, montibus circumsessos. In his, planitiem, oppido *Szétsény* circumfusam, iure numerauerimus. Præterquam enim, quod medium totius regionis, merito dixeris; ita facta est, vt hortum æmulari posse videatur. Nempe, vniuersus planitici ambitus, ludentibus decliuiorum montium iugis, clauditur. In huius medio, oppidum *Szécsény*, situ eleuatiore, consedit. Frequentes hinc vici sparguntur, agris frumentariis partim, partim pratis, vndiquaque obsessi. Est, & ad *Losontz* oppidum, non inamœna planities; sed angustior *Szécsénienſi*, steriliorque. Elegantior ea est, quæ se ad *Gyarmath* diffundit: quippe, & gleba meliore, & iucundiore prospectu. Reliqua, in meridiem regio, lucis, nemoribus, collibus item siluosis, interstinguitur: quam

Sicus montanus partim, partim campestris:

planities quæ?

ideo, *Cserhát* Hungari vocant, quasi, *dorsum quercinum*, diceres. Cum enim montes, qui ad septentriones vergunt, arboribus lætentur piceis, & faginis; humiliores hi, & ad meridiem proiecti, quercum habent familiarem, multa sæpe & vtili, ad porcorum saginam, glande, luxuriantem. Quæ vltra *Cserhát*, agro *Comitatus Pestiensis*, confinia sunt, & montibus nuda esse incipiunt, & siluis; sed fœcunditatis eo exquisitioris. Sunt, qui id ad *Comitatus* nostri commendationem pertinere existimant, quod totius *Hungariæ*, quidam quasi vmbilicus sit, ita positus, vt, ad quamcunque orbis plagam respexeris, medii sint *Neogradienses*. quod nos, vti non refellimus; ita, neque credimus temere: cum palam sit, arctiora terrarum esse spatia, quæ intra *Poloniam* interiacent, quam quæ, *Temesvarienſem* & *Neogradienſem* agrum, disiungunt; vt *Transiluaniæ* hinc, illinc *Croatiæ* obiectus, intercapedinis haud omnino æqualis, taceamus.

an sit totius Hungariæ vmbilicus?

§. IV.

Montes *Neogradienſium*, qui ſecrum natura, arbores, fera:

QVæ hactenus diximus, facile fidem fecerint lectori, montanam potius, quam campestrem, regionem dici oportere: vt proinde opportunum omnino fuerit, montes singulos exquisitiore diligentia, designare. Qua in re, sequemur situum rationem, vt eos primum adnotemus, qui regionem circumsepiunt; tunc vero illos, qui varie eandem interstinguunt. Et ab oriente quidem, qua ab *Hevesienſibus* distinguitur, *Comitatus*,

Mátra: I. MÁTRA, nominari debet, quæ tametsi apud *Hevesienses*, decliuibus initiis, prope ad oppidum *Hatvan*, adsurgat, & præcelsis postea iugis, ad quinque milliaria, eadem regione, versus *Gömörienſem* agrum, protenditur; tamen, spargit radices suas, & cis *Zagyvam*, vt adeo, protenditur; tamen, spargit radices suas, & cis *Zagyvam*, vt adeo, eius propagines, iure optimo, in *Neogradienſium* montibus, censeantur, licet nomen mutent, & a *Mátra*, *multifariam* discriminentur. Certe, ex *Mátræ* radicibus montes,

Medves: II. MEDVES, continuantur, *Gömörienſibus* contermini. Ab *vrſis* illis nomen, quia *Medve*, vrsum Hungaris significat; & *Medves*, vrsorum diuitem; forte, quod ferarum istud genus, lustra hic aliquando habuerit frequentia. quæ hodie exinanita sunt, siue, ob frequentes venatus, siue, quod ad tenebrosiores saltus demigrauerint bestiæ. Qua dorsa adtollunt, fagis opaci sunt, eximia proceritatis, roboribus contra, & quercetis, qua deuexiores esse incipiunt. Ab hoc monte, tractus *Medvesallja*, de quo infra, nomen tulit. Isto fere positu est, etiam mons,

Sátoros: III. SÁTOROS, quem ita dixere, quod longioribus iugis productus, tentorii speciem referat. Nam *Sátor*, Hungaris *Tentorium* dicitur. Quercetis totus obsitus est, & profunda longaque valle, quam infra designabimus, memorabilis. Inde, flexuoso, ad septentrionem, ambitu,

IV. Bu-

Butsony: IV. BUTSONY insurgit, non plane vastus mons, sed limitaneus tamen *Gömörienſibus*, vicis *Korlat*, & *Bolgárom*, aduersis lateribus, subsessus. Retracto, in mediterranea, situ,

Karánts: V. KARÁNTS est, insignis iugo triplici, totidemque saltibus. Ea est altitudine, quæ vix vlli montium *Neogradienſium* contigit; si *Szandam*, de quo paullo post, eximas: quippe, celsitudinis æmulæ. Nominis ratio, sicuti reddi nequit, ita pluribus vicis, qui circum montem consederunt, communicata est. In his sunt: *Karánts-Allja*, *Karánts-Apátfalva*, *Karánts-Keszy*, *Karánts-Berény*: vnde inclutæ gentis Comitum BERÉNY, origo manuit. quæ ideo, *de Karánts-Berény*, optimo suo iure, dici consueuit. Medio vertice, qui inter duos vicinos, altissimus adsurgit, sacellum insedit, *S. Margarethæ* dedicatum, quod ante hos centum, & quod excurrit, annos, *Catharina Pálffy*, Comitis *Sigismundi Forgách*, Regni Hungariæ Palatini, vidua, posuit, vt haberet, vbi suam testaretur religionem. Ferunt enim, subinde, nudis pedibus, per salebrosos calles, isthuc adscendisse, precibus vacaturam. Olim, mons hic, ceruorum longe fuit fœcundissimus, qui passim, agminatim saltibus inerrarunt; hodie, vix vnus alterue, multa & sagaci indagatione, si venandum sit, deiici potest. quam montis orbitatem, nimiis, hibernantium militum, venationibus imputari, accepimus. Tubera, *(a.)* proximis annis, opiliones heic reperere, inusitato adhuc exemplo, quæ, si in posterum sint reperturi,

Tunc erit, vt faciant, optata tubera canas,
Neogradienſibus maiores.

Hinc limite, in septentrionem submoto, montes procurrunt,

Málna-Patakenses, & Kornenses: VI. MÁLNA-PATAKENSES, & KORNENSES. Vtrique, *Kis Hontenſium* regiunculam, a nostra disterminant, suntque in *Carpathi* propaginibus censendi. cuius naturam, cum aeris asperitate æmulantur, tum in primis, piccarum arborum variis generibus. Aestate multum adulta, niuibus consitos videas, vnde postea, cum in decliui regione, æstu pene fatiscunt omnia, *Ethesias* spirare, aduersum est. Illud noxæ habet plurimum, quod diutinæ istæ niues, subiectam late regionem, partim intempestiuis pruinis adurant, partim tempestatibus fœuiant, non paucarum calamitatum. Vulgus, ex montium horum, sereno nubiloue obtutu, de procellis hariolari consueuit. Nomen acceperunt a vicis, quos proximos habent: quorum alter Hungaris, *Málna Pataka*, Slauis *Málinetz*; alter *Korna*, Slauis *Krna* dicitur. Inde *Zoliensium* termini incunt, & cum his,

Ofzroſſky: VII. OSZTROSSKY, quorum, quia apud *Zolienses (b.)* mentionem habuimus; nam dorsa, quæ septentrioni obiiciuntur, ad eam regionem pertinent; heic non est, vt multis eos persequamur. His contermini sunt:

VIII.

a.) Hungari, *Szarvas-gomba*; Slaui, *Gelenie-Huby*, adpellant, familiare alpibus Italiæ, fungi genus; quodque in deliciis habent, exquisitioris palati homines.

b.) Tomo II. Operis Historiæ Comitatus Zoliensis, Partis I. Memb. I. §. III. n. VIII. p. 37.

Dobrocſenſes: VIII. DOBROCSENSES, vaſti illi & ſiluoſi, ac priorum innexi radicibus, varieque diffuſi. Hos, minores alii, in occidentem continuant, vsque dum, inclinatis, ad arcem *Kékkő*, iugis, prorſus in colles deſinant, humiles, & nemoribus quercinis obſitos. Inde, per *Nagy Hontenſium* confinia, montoſa vbique regio eſt; & paſſim, vitium egregie patiens. quæ poſtea, ad vicum *Nagy-Oroſzy*, adtolli denuo incipit, & præruptis hinc inde cacuminibus, aſperari, quorum vni, arx *Drégely* inſidet, iam pridem ſuis ruderibus obruta. Tunc montes

Jenőlienſes: IX. JENŐ ineunt, longe lateque protenſi, & vaſtis ſaltibus, varie inſeſſi. Hungari, plurali numero *Jeney Hegyek*, ideo adpellant, quod partitis iugis, in plures montium ordines abeunt. Quercus his potiſſimum familiaris eſt: qua vero, lentis decrementis ſubſident, atque vicis adrepunt, caſtaneas arbores, ferunt haud inique: credo, attauorum memoria, ex induſtria conſitas. Interna montium ſaltuumque, abdita, feris referta ſunt, ceruis potiſſimum ac damis; quæ duo genera, montanis ſolitudinibus delectantur, quas neque frequens venator adeat, neque lignator concutiat. Torrentes, ex his montibus deiecti, haud raro, *granatellos*, molis & pelluciditatis eximiæ, ſecum, inter arenas, vehunt, tanta ſubinde copia, vt venatores ruſtici, pretioſis iſtis lapillis, plumbeorum globulorum vice, vtantur. Sunt, qui viderunt, magnitudine avellanas, colore autem rubinos, propemodum æmulatos fuiſſe. Profecto, ſi eſſent, quibus res iſta curæ foret, non id equidem fructu cariturum crediderim: quod nobilium aliquot feminarum exemplo liquet, quæ integra, pro gentis more, cingula, ex hoc *granatorum* genere, & collecta habent, & gerunt. Vltimus, iſto tractu, montium eſt:

Naſzály: X. NASZÁLY, meridiano ſoli ita obuerſus, vt altero quidem latere *Danubium*, *(c.)* & adſitum ei oppidum *Vácz*; altero, regionem noſtram, proſpiciat. Qua radices deprimit, *benignius vitem* alit, *in primis in Kosdenſi* agro; *cuius* ſane vinum, tota iſta regione, *nobiliſſimum* eſt. Sed, qua adſurgit altius, petris horret præ*ruptis*, & paſſim in acutum deſinentibus, vnde nomen enatum monti *credunt*, qui etymon Hungaricum rimantur, quaſi ſit: *Nagy-Szál*, ingens columna, & contracte *Naszály*. Illud certum eſt, montem eximiæ altitudinis eſſe: quique qui, proſpectum, in meridiem, atque ortum æſtiuum, habeat longe patentiſſimum. Budam certe, quatuor milliaribus diſiunctam, quaſi vicinam deſpicit. Qui ſudo cælo, & aere a vaporibus puro, montem conſcendunt, *Ketskemethinum*, campeſtris Hungariæ, inſigne oppidum, viſu adſequi poterunt; tametſi ad milliaria XII. Hungarica, in orientem reiectum. Et hi quidem montes fuerunt limitanei. In mediterraneis, vt humiliores alios taceamus,

XI.

c) Fuit nobis eius mentio, ſupra, Tomo III. Hiſtoriæ Comitatuum, Peſt, Pilis & Solth, Parte I. Memb. I. §. II. p. 3. quatenus nempe, ad eam regionem pertinuit.

Szanda: XI. SZANDA occurrit, incerta omnino denominatione. Gemino is faſtigio, ſed inæquali, intra conuexa montium, ſuſtollitur. Et decliuior quidem vertex, arcem inædificatam olim habuit, eximiæ opportunitatis; ſiue amœnitatem loci ſpectes; ſiue ſecuritatem: quippe, altius ſubmotam, quam quæ a vagabundi hoſtis impreſſionibus, metuere ſibi debuerit: de qua in arcibus dicemus. Montium alter, adſurgit is quidem altius, ſed priori fere gracilior, certe acutior eſt, & ad paſſus plus minus mille, in orientem ſeiunctus. In eius cacumine, foſſarum *ſunt* veſtigia, forte, præmuniendæ arcis, expugnandæue cauſſa, ductarum. Inde, fons proxime abeſt, perennis olim, & in obiectam arcem deductus; ſed, qui hodie obrutus eſt, neque, niſi lento quodam humore, veſtigium ſui prodit. Quæ ſub his apicibus ſunt, denſa quercu, & opacis ſiluis conſita vidimus. De montis altitudine, inde coniici poteſt, quod liquido aere, qualem metatores noſtri habuere, ſeptem *circumſitos Comitatus*, haud obſcure, notare liceat. *Diſſidet Szétsényo*, duobus, in meridiem, milliaribus. Altius, in ſeptentrionem, & montibus *Oſztroſky*, vicinus mons,

Liſzetz. XII. LISZETZ *(d.)* eminet, vico *Parócza*, adſitus, ideo memorandus, quod præſagus & ipſe ſit tempeſtatum. Nam, ſi imbres imminent, triduo ante, ſuſurris perfremit, neſcio, quo ventorum excitatis illapſu; cuius demum vertice, dum pluuium eſt cælum, perpetui audiuntur ſonitus, non prius ceſſaturi, quam pluere deſierit. Ergo, ex facili cognoſcunt accolæ, quando

Fulminaque & tonitrus & nimbos conciet atros.

Et heic aggerum viſuntur veſtigia, credo, ab *Huſſitis*, cum iſta regione graſſarentur, poſitorum. Ad quod eos, perennis fons, adhuc ſaliens, inuitare poterat; vt altitudinem montis, ſpeculam quodammodo æmulantis, taceamus.

§. V.

Siluæ, & *harum opportunitates.* MOntoſa cum ſit regio noſtra, non eſt, cur ſiluas deſideres. Dorſa *Cſerhát*, ſupra meminimus, ad quinque propemodum milliaria, per fractos varie colles, proiecta. Poſtea, ſiluæ, quas *Medves-Allja* vocant, merentur nominari. Vocabulum, a montibus *Medves* inditum: quippe, quibus ſubiacent. id quod Hungarica notio ſignificat. Vaſtæ eæ ſunt, & ſparſis, per decliua montium, nemoribus lucisque, inſignes, ac multa ſæpe glande luxuriantes. Suppares his, aut certe fructuoſiores, ſaltus *Banenſium* dixeris. Nam, præter vberem glandium prouentum, robora habent, compingendis doliis, in primis idonea. Sed, ſiluæ *Malnapatakenſes*, *Cornenſesque*, piceæ ſunt fere, & materiandis domibus idoneæ. Reliqua ſiularum, fagis alibi conſita ſunt, quercu & ilice alibi. Betularum, rariores lucos

d) LISZY, Slauis, caluum ſignificat.

notare potuimus: forte, quod amet hoc arboris genus, ſolum ſterile & exſuccum. Illud, ad laudem ſiluarum *Neogradienſium* retuleris, quod paſſim, maxime vero humilioribus montibus, paſcuis ſint lætæ, pinguibus, & ſaginandæ pecudi idoneis. Hinc videas, montanas villas, æſtiua item, & hiberna, cum ouium, tum pecoris alterius, ſtabula, intra ſiluas, longe a vicis ſubmotas, conſtitui. Hic demum, quidquid armenti habent, quod eſt a domeſticis vſibus diſcretum, & pascunt æſtate, & hieme alunt. Porcos certe, quos ſemel enutriuere in ſiluis, nunquam inde, niſi, vel ad mercatus repetunt, vel ad lanienam. Quin & ouibus, perpetua in ſiluis ſunt ſtabula. Ceterum, vt iſtis pecorum ſtabulationibus, præter æſtiua paſcua, hiberna etiam ſint pabula, fœnum, in ſiluis cogi ſolet, idque, vbi raræ ſunt arbores, locaque ideo apriciora.

§. VI.

Ferarum *excinanita luſtra:*

Siluis, iuxta & montibus, feræ antea inerrabant, & variæ, & multæ: quæ hodie, quaſi naturam deſeruiſſet regio, tam eſſe incipiunt raræ, vt venatus, etiam cum cura, & ex artis præſcripto, inſtituti, irriti ſint, & inanes: cum antea, nihil indagine opus fuerit, ſed ad primum, in ſiluas illapſum, crebriores ſe obtulerint feræ, quam, quibus conſectandis numeroſiores etiam venatores, potuiſſent ſufficere. Nos ipſi meminimus, integra nobis aliquando, hinc ceruorum agmina, illinc damarum imbelles greges, intra ſiluas proficiſcentibus, occurſauiſſe. Reuera autem, non eſt regionis iſtud vitium; ſed hominum, modum venationi ponere neſcientium. Qua culpa, *eius rei cauſſa:* tametſi nobilium virorum aliqui: quin, quod mirere, ruſticorum etiam impotens vulgus, haud caret; tamen, eſt hic præcipue, æſtiuantis hibernantisque militis licentia, notanda. Quando enim vitam, ab occupationibus vacuam, degunt, ſubinde venatibus, magno inſtitutis adparatu, tempus extrahunt. *quod, ſi tempeſtiue facerent*, & *cum modo, ferendi eſſent; ſed quoniam*, & ea tempeſtate inſidiantur feris, qua eis, ab ipſa natura, vt genus propagare poſſint, datæ *ſunt* induciæ; id vero, ferri haud deberet. Fit autem iſta venandi intemperie, vt feræ, in annos ſingulos, diminuantur: & metuendum omnino fuiſſet, ne, quemadmodum

Triſte lupus ſtabulis,

ex Anglia; ita nobiliſſimæ quæque feræ, ex regione noſtra, vel eliminentur penitus, vel luſtris, intempeſtiue depulſæ, mitterentur in exſilium; niſi optimi Principis, atque Ordinum *(e.)* auctoritate, maturius, libidini iſti, modus fuiſſet poſitus. Alioquin, ex montano, & fœcundo regionis habitu, facile eſt coniicere, quæ heic feræ lubenter *ferarum genera:* hoſpitentur. Nimirum, ad ſeptentriones, qua *Zolienſium*, & *Kis-Hontenſium*

e) Vide, Anni MDCCXXIX. Decret. Articulo XXII. quem citauimus, in eandem hanc rem, ſæpius.

tenſium montibus cohæſit regio, vrſi, ſua habere ſolent luſtra, maiores illi, iuxta & graciliores. *Linces* aliquando, eadem iſla ora, interceptos fuiſſe, meminerunt venationum periti; ſed credo, ex vicinia huc deuiantes, non vero iſthic ſatos. Reliquum regionis, *apros*, grandes illos & validiores, *ceruos*, *damas*, *vulpes*, *martes*, *lepores*, & *feles* ſilueſtres, promiſcue alit. In auibus ſilueſtribus, *Tetraones* ſunt, maiores *aues ſilueſtres.* minoresque, *attagines*, *perdices*, *turdorum* variæ *ſpecies*, *ficedulæ* item, & id genus volucres aliæ. Sed, nec *Phaſiani* refugiunt regionem noſtram, qua mitioribus iugis, in *Peſtienſis Comitatus* viciniam, porrigitur. Amat enim auis hæc, ſiluarum & camporum, opportunas viciſſitudines, vt patriam quodammodo referat, non magis apricis locis, quam montibus, inſignem. Nam, ſi veteribus credimus, ex *Colchide (f.)* in *Græciam*, & inde in reliquam *Europam*, delata eſt, ab Argonautis. Tametſi vero rariores adhuc, noſtra regione viſuntur, frequentes nihilominus ſunt, menſis *inſtructioribus*, atque id, non diebus tantum feſtis, quod, de *Alexandro Seuero*, memorat Lampridivs *(g.)* *Kalendis*, inquit, *Ianuariis*, *& Hilariis Matris Deum*, *& Ludis Apollinaribus*, *& Iouis epulo*, *& huiusmodi feſtis*, *Phaſianum adpoſuit: ita, vt aliquando duo ponerentur.* Quam Severi frugalitatem, ſi populares noſtri, cænantes & ipſi ſeuerius, æmulari vellent; breui *Hungaria*, tantum *Phaſianorum* daret, quantum propemodum domeſticarum gallinarum habet. Sed proſequamur inſtitutum.

§. VII.

Fluuii *Neogradienſium nobiliores, & eorum piſces, atque amphibia:* Ipoly: *eius origines:*

Fluuios nobiliores, duos admodum habet Comitatus Neogradienſis, varie curſum tenentes. Horum præcipuus:

I. Ipoly eſt, Latinis *Ipola*, Slauis *Ipel*, Germanis *Eipl.* Etymon, nec quidquam indagabis, ita obſoletum eſt. Caput eius, in montibus *Malnapatakenſibus* ſcatet, ea valle, cui a prædio *Szamotves*, nomen eſt, duobus, ſupra vicum *Malnapatak*, milliaribus. Poſteaquam, e perenni fonte proſilit, vbere ſtatim limpidoque riuo, ſtrepcrus defluit, ſubinde, conuallium, quas permeat, torrentibus increſcens. Inde egreſſus, tantum vehit aquarum, quod verſandis molis, etiam pluribus, ſufficiat. Nondum enim *Malnapatak* præteruectus eſt, cum geminam molam, materiariam alteram, alteram frumentariam, rotare incipit, pluribus poſtea aquas miniſtraturus. Primum hunc vicum, haud ſine fructu eximio, præteruectus, in meridiem pronus labitur, concitatus quidem adhuc, ſed minus iam ſonorus; credo, ob aluei, cum laxitatem, tum mæandros etiam, quibus mirum in modum ludit. Fit vero ea re, vt, & ripas ſubluat, & pluribus locis, voraginibus locum faciat. Longum foret, vicos percenſere, quos adluit; ſunt *qua curſum teneat:* enim, ſi parte admodum ſupputaueris, hac prouincia, plus minus

f.) Meminimus eius rei, Tomo I. Comitatus Poſon. Parte Generali, Memb. I. §. XIII. p. 36.

g.) In Alexandro Seuero.

XXXII. totidem fere molis frumentariis, infeſſi. Oppidum, *Balaſſa-Gyarmath*, medium ſecat: vnde poſtea, inter *Neogradienſem*, & *Nagy-Hontenſem* agrum, limitaneus decurrit: dum XIV. a fontibus milliaria emenſus, *Danubio*, haud procul ab arce *Damaſd*, inſinuetur. Eius illic aquas, non ſine iucunditate aliquando, naue præteruecti, ſpectauimus. Enim vero, longiore interuallo, retinuerunt natiuum colorem, qui ob *Danubii* vndas, liuidas illas, nigricanti ſimilis, adparuit.

inſternitur per prouincias, tribus pontibus:

Ceteroquin, pontibus, intra Comitatum, quatuor inſtratus eſt. Horum primus, ad vicum *Rap*, *Lvſonczino*, proximum; alter, ad *Tarnótz*; tertius, in *Balaſſa-Gyarmath*; denique quartus, ad *Pôſteny* eſt. *Tarnotzenſem*, publico ſumtu Comitatus inſtaurari, accepimus; ſicuti tres reliquos, vectigalibus poſſeſſorum.

traiectus alii:

Traiectus habet plures, qui, ſi tumuerit amnis, cymbis transmittuntur, plerumque male materiatis; ſin decreuerit, vadoſus eſt, & nullo negotio ſuperatur. Quo a fontibus fit remotior, eo manat *placidius*; ſed latice multum diuerſo: quippe quem, *illapſi* vtrinque riui, & limoſus plerumque alueus, alienant a natiua limpiditate. Imbribus, etiam modicis, facile increſcit,

eluuiones regioni noxiae:

ob torrentium, quos e montibus plures accipit, incurſum. Maxime autem, incunte vere, & cum niues diffugiunt, noxius eſt eluuionibus. Vbi enim ſemel ripas ſupergreſſus eſt, late vagatur, & quem adtigit agrum, limo inficit; quin ſubinde, molis ipſis funeſtus eſt.

alit, prope ad capiat, Trutas:

Piſcium, pro vndarum mole, feraciſſimus. Scaturigini *vicinior*, *trutas* liberaliter alit, magnitudinis & ſaporis eximii. At, infra vicum *Malnapataka* delapſus, tametſi adhuc ſalebroſo vehatur alueo, delicatiſſimo piſci inhoſpitalis eſt. Mineram ferri accuſant aliqui, quam ea regione, copioſe adluat. Ego, limum eſſe credo, ſaxatili huic piſci, inimicum, qui eum arceat. Sed, hanc iacturam, egregie penſat,

genera alia: Luciorum Ipolæ laus, prouerbio celebrata:

qua profundius in regionem illabitur. Habet enim, frequentes *Murenas*, *Barbones*, *Alburnos*, & omnium exquiſitiſſimi ſaporis, *Lucios*. qui, ita ſe piſcorum *Hungarorum* palato, adprobauerunt, *vt prouerbio* etiam *locum* fecerint: *Duna Pontya; Tiſza Ketſegéje; Ipoly Tſukája; leg jóbb bót, ha Szeremi Borban fött.* Id eſt: qui *Carpionem* Danubii, *Sturionem* Tibiſci, Ipolæ *Lucium*, *adpoſitum habeat, vino incoctos perfuſosque, Sirmienſi, eum, ferias eſuriales ſine querela poſſe celebrare.* Nempe, amant commeſt ipiſces, ſi prodeſſe debeant, generoſa vina: qualia, ante *Mohátſienſem* pugnam, *Sirmienſia* fuerunt. Hinc apophtegma, *(b.)* illud Hungarorum: *maledictum eſſe piſcem qui in tertia aqua natet.* Iſtud volunt: Piſcem, fluuiatili, qua editus eſt, aqua protractum, & excoctum altera, puta culinari; *maledictum* fore, ſi tertia aqua, ſtomacho ſuperfuſa, mergeretur; huc enim vinum requiri, eo generoſius, quo procliuius eſt, hauſta aqua, quidquid piſcium ingeſſeris, corrumpere. Forte, & huc reſpexere, quod piſcibus veſcentes, ſiti vrgeantur exquiſitiore, quam, qui bubula famem ſedauerunt: eam, ſi aqua conati fuerint reſtinguere, non poterunt non, ſtomacho deprauato, prauos

b.) Fuit nobis eius mentio, Tomi I. loco citato, §. VII. p. 25. in nota *)

prauos ſimul, vniuerſo corporis habitui, ſuccos inducere. Sed, hæc obiter. Præter hos, quos diximus piſces, & *Sturios* habet, *carpiones*-

Sturiones, & Carpiones e Danubio illapſi:

que, quos infra villam *Pôſtény*, intercipi accepimus. Credunt autem, increſcentibus *Danubii* aquis, iſta piſcium genera, quaſi errore ablata, in noſtrum flumen deferri; & aduerſo amne, tamdiu niti, dum ſe alieno ſub ſole natare, animaduertant, atque reditus ignara, ſuum hic propagent ſeminium. Denique, nec *amphibiis* caret fluuius noſter. Creberrime, *Lutras*, & quod mirere, *Caſtores*, capi videas, hieme potiſſimum, vbi gelu amnis concreuit.

Lutræ & Caſtores.

Tunc enim, vt aere libero queant perfrui, molarum cataractas ſubeunt: vbi, a rerum gnaris, nullo negotio, intercipiuntur. Iſta, de fluuio *Ipoly*, mediam prouinciam, ad octo milliaria, interlabente.

II. Zagyva, fluuiorum alter eſt, exilioris quidem, neque, ſiue vndarum tractu, ſiue opportunitatibus aliis, priori ſuppar; eo tamen memorandus; quod limes, a natura factus ſit, qui noſtram prouinciam, a *Heveſienſi* diſterminet. Oritur is, e radicibus montium *(i.) Medves*, ad vicum ſibi cognominem, parco admodum fonte. Hinc deiectus, riuo ſimilior manat, quam amni; modico poſt interuallo, varie augendus. Vtroque enim latere, montibus obſeſſus eſt, qui riuulos paſſim emittunt, *Zagyvæ* illabentes. Qua ille acceſſione, pluuio cælo, & vere potiſſimum, cum niues dimanant, vndoſior factus, ſonantiorque, per planas valles, præceps voluitur; dum vicum adtingat, cui *Kis-Terenne* nomen. Illic, flexo, aduerſus *Verbély* alueo, radicibus montium *Mátra*, immergitur; inter quas, varie fractus, tandem, mitiore aquarum lapſu, primum quidem *Tar*, Heveſienſium vi-

Zagyva: eius capita:

acceſſus ad Heveſienſes.

cum, poſtea vetuſtum, eiusdem ditionis oppidum, *Pásztó*, ſubluit, magno molarum frumentariarum commodo. Hinc, laxior iam, quam profundior, in campeſtrem Hungariam, exſpatiatur, atque vicos iterum *Neogradienſium*, *Jobbágy*, *Szántó*, & *Lôrintzy*, præterſuectus, inſulam efficit, noſtræ adhuc prouinciæ adſcriptam. Tunc oppido *Hatvan* adlapſus, & in propugnaculorum foſſas deriuatus, ſtagnoque ſimilis, difficilem eius olim expugnationem faciebat. Inde, lento admodum lapſu, vt, in quam partem feratur, dignoſci vix poſſit, ſubit patentiſſimos *Jázygum* campos, atque oppidum *Jáſz-Berény* interluens, gemino poſtea amne, locupletatur. Alter *Tarna* eſt, e montibus *Mátra*, demiſſus; *Tapju* alter, ex *Comitatu Peſtienſi* adrepens. Noua iſta aquarum mole, factus exuberantior, in *Szólnokienſem Comitatum*, ſtagnans, an fluens, defertur, & ſupra oppidum *Szólnok*, ad vicum *Rékás*, a *Tibiſco* hauritur. Piſcium non æque, ſicuti *Ipoly*, dives eſt; niſi, qua propior ad *Tibiſcum* manat. Illic enim, factis ſubinde eluuionibus, piſces *Tibiſci* hoſpites accipit, altius plerumque, ad-

decurſus reliquos:

quibus locupletetur annicula:

*) Male Istvanfius, lib. XXX. p. 690, 21. Sogiua, inquit, oritur e paluſtribus lacunis, quæ inter Danubium, & Matram montem, inter *Cumanos* ſtagnare ſolent: ac primo *Berinum*, *Jazygum* oppidum, indeque *Hatuanum* præterfluens, tandem, apud *Solnocum*, Tibiſco miſcetur. *Reſte, qua de exitu in* Tibiſcum; *reliqua prauæ omnia.*

uerſo flumine, natantes. Hoc admirationem, in fluuio habet, quod, cum & ipſe perenni fonte ſaliat, & intra *Neogradienſium* fines, amniculis, oppido copioſis, locupletetur; haud raro, cum ſunt æſtates impluuiæ, atque ſoles æſtuantiores, aquis deficiatur penitus. Nos certe, anno MDCCIV. menſe Auguſto, ſicco eum pede, ad oppidum *Hatvan*, tranſiuimus, mirati alueum, ſiccitatibus, ad eum modum exſuctum, vt etiam dehiſceret, & rimas ageret, ſpithama latiores, ac longiſſime procurrentes. Atque, iſti fuere, *Neogradienſium* inſigniores amnes, gemino quaſi vbere emiſſi: quorum alter, *Danubium*, fluuiorum principem; *Tibiſcum* alter, ſuo illapſu, honeſtaret. Nobis, id ominis quidpiam habere videtur, quod, quale ſit, infra dabimus. Nunc, amniculos minores videamus.

exitus in Tibiſcum.

§. VIII.

Amniculi *minores:*

Bifariam eos, natura locorum, diſpertiuit. Nam, alii quidem, in *Ipolam* incurrunt; in *Zagyuam*, contra, alii. Dabimus, vtrorumque nobiliſſimos. Nimirum, quia montoſa, *Comitatus* noſtri, regio eſt, vallibus paſſim finditur, varie exeuntibus. Nulla vero earum eſt, quæ non fluuiolo rigetur, hinc inde, e montibus corriuato. In his eſt:

Loſontz: 1. *Loſontz*, haud exilis amniculus. id nominis, ab oppidi vicinia, quam perreptat, accepit. Fontes, in confiniis Comitatus *Zolienſis*, ea valle habet, quam *Fürész-Völgy*, Slaui, *Pilnánská-Dolina*, a machina materiaria, adpellant. Per hanc, ad duo propemodum milliaria lapſus, augeſcit ſubinde, non vnius riuuli adlapſu, vnde egreſſus, ſeptem vicorum agros, trium milliarium interuallo, irrigat, dum infra oppidum *Loſontz*, cuius vocabulum adſciuit, recepto prius fluuiolo *Tugár*, *Ipolæ* ſe inſinuet.

Tugár: 2. *Tugár*, modicus is quidem amniculus; ſed ideo non ſilendus, quod *Loſontzinum*, occidentali eius latere, *ſubluat*. Emittitur ex *Diuinenſium* montibus, & arci *Gáts* ſubiectus, poſteaquam *Loſontzienſes* ſalutaſſet, duo fere milliaria emenſus, ac fluuio *Loſontz* coadunatus, in *Ipolam* exit: trutarum, intra montes, vterque ferax.

Szregovienſis *amniculus:* 3. *Sztregova-Vize*, ſiue *aqua*, ſeu fluuius *Sztregovienſis*, ita dictus; quod geminum, eius nominis, vicum, adluat; alioquin, altius e montibus *Oſztroſka*, ſupra *Felſö-Tiſzounjk*, ortus. Totam ille vallem cognominem, ſinuoſo alueo permeat, octo circiter vicos, aut ſubluens, aut interfluens; cetera, molis frumentariis pluribus, vtilis: trutarum eo patientior, quo primis fontibus eſt ſimilior. Nam, qua limoſus eſſe incipit, murenis, alburnis, & cancris, magis gaudet. Incurrit in *Ipolam*, in exitu vallis *Ráros*, ſupra vicum *Múlad*, trium milliarium interuallo, poſt ſe relicto.

Szalatnya: 4. *Szalatnya*, ſcatet vltra vicum *Felſö-Eſztergár*, in prædio cognomine, vallemque eiusdem nominis facit irriguam, priori, & aquarum mole tenuior, & decurſu breuior. Nam, cum tres quatuorue vicis

vicis adlapſus, molæ vni alteriue, aquas commodaſſet, *Ipolæ*, infra vallem *Ráros*, mergitur.

Kürtös: 5. *Kürtös*; occidentalis Comitatus noſtri, a *Nagy-Hontenſibus* diſterminator, qua eſt finibus *Neogradienſium* adſcriptus. Non vna ſcaturigine, ſupra arcem *Kékkö*, emiſſus, modicus primum decurrit, poſtea, adlapſu plurium, ſiue torrentium, ſiue riuulorum, exundantior factus, complures vicos adluit, molarum & ipſe miniſtério, inſignis. Intimat ſe *Ipolæ*, ſupra oppidum *Ipoly-*, ſeu *Balaſſa-Gyarmath*.

Fekete-Viz: 6. *Fekete-Viz*, ſiue, quod idem eſt, *aqua nigra*, credo, ob eum colorem ita dictus amniculus. Curto eſt admodum alueo; nam, in agro vici *Hérentsén* ortus, ab oriente, in occidentem, non tam labitur, quam late ſtagnat, in primis infra *Szögy*, vbi & ponte longiore iunctus eſt. Illabitur *Ipolæ*, ad *Gyarmath* oppidum. Eadem regione,

Lokus: 7. *Lokus* manat, ex montibus *Jenö*, demiſſus. Qua a fontibus propius abeſt, *decurrit præceps*, *ſed in regionem* humiliorem delapſus, paluſtris eſſe incipit, & ſegneſcente diffuſoque alueo, etiam reſtagnans: vnde, ex latino vocabulo, *lacus*, nomen ei ſubnatum, credunt aliqui. Agros vicorum, *Nótènes*, *Agárd*, *Felsö-Petèny*, & *Romhány*, non tam interfluit, quam deſes perreptat. De lentitudine aquarum, inde coniicias, quod verſandis molis, prorſus inutilis exiſtat. Exit in *Ipolam*, ad vicum *Détar*, lento ſatis oſtio. Altius, in orientem brumalem, ſunt:

Filekienſis: 8. *Filek-Völgye*, vallis *Filekienſis*,

Geregenſis: 9. *Gerege-Völgye*, vallis *Geregenſis*, &

Ságenſis: 10. *Ság-Völgye*, vallis *Ságenſis*. quæ ſingulæ, ſuis interluuntur amnibus, molariis omnino, & multarum vtilitatum. Atque, hi omnes, in *Ipolam* exonerantur. Sed neque *Zagyuæ*, ſui corriuales deſunt. Præcipui horum ſunt:

Homok-Tereny-enſis: 11. *Homok-Terenyenſis*, ex montibus *Medues* deiectus.

Utas-Terenyenſis: 12. *Utas-Terenyenſis*, ab arce *Salgó*, præcipiti alueo adlapſus.

Lucſinenſis: 13. *Lucſinenſis*, ad *Samſonháza*. Denique

Tóldenſis. 14. *Töldenſis*, penes *Csécſe*, defluens. Hi omnes riui ſunt vndoſi, molaribus miniſteriis egregie ſufficientes; trutarum adhæc, & gobiorum, diuites. Hæc de fluuiis.

§. IX.

Fontes acidi: Fontium, non minor eſt, cum numerus, tum varietas. Nam, vt dulces iam taceamus, *Acidorum* profecto, complures ſcatent, ſapore non minus, quam ſalubritate, memorabiles. quos iuuabit percenſuiſſe. Sunt autem, vt hinc initium faciamus, in præcipuis:

Garábienſis: 1.) *Garábenſis*, (quem, & *Kálnovienſem*, aliqui dicunt, ob vicinitatem,) modico interuallo, a profluente *Ipoly*, in pratis vici illius, vbertim ſcatem. Magna is, totius vicinitatis adprobatione, bibitur, deferturque ideo paſſim, ac *Loſontzinum* in primis, vbi eius amphoram, plurium ſextariorum capacem, vno alteroue numulo, emeris.

Cum

Cum in pueris eſſemus anno MDCXCIV. & qui hunc ſequutus eſt, V. familiariſſimus nobis fons hic fuit, ac quotidiana fere excurſione, fatigatus. Quia enim, cum agreſtibus *Kalnovienſium* Muſis, quas hic *Paullus Batta de Vatta*, vir generoſus, & litterarum amans, pro copiarum modulo, liberaliter aluit, tunc diuerſabamur; quidquid, a plagoſo magiſtro, temporis vacabat, acidulis iſtis dabamus, niſi id aeris intemperies prohibebat. Sapor earum, adhuc ſe palato adprobat, ita memoria eius pertinaciter inhæſit. Sed, quæ earum fuerit ſalubritas, non habemus dicere: quippe, ætatis vitio, ab ea curioſitate, tunc alieni. Poſt has:

Pultárenſes: 2.) *Poltárenſes* nominauiſſe iuuat, vico *Poltár* vicinas, & *Garábienſibus* ſuppares; ſed frequentatas minus, quod altius ad ſeptentrionem ſunt reiectæ. Bibuntur tamen, cum a pagana illa plebe, tum ab incolis vicorum adfinium. Plures horum ſunt ſcaturigines, diuerſi, & ſaporis, & efficaciæ, *vt procliue foret*, multo *numeroſiores* fontes aperire, ſi id vſus poſceret. Sunt &

Filekienſes: 3.) *Filekienſes*, ſaporis quidem exquiſiti; ſed *Garábienſibus*, ſicuti accepimus, in cienda aluo, ſegniores. Multum opportunitatis inde habent, quod oppido olim nobiliſſimo, adſitæ ſunt. Atque, iſti quidem fontes, orientali *Comitatus* ora, ſcatent. In occidentali tractu ſunt:

Eſztergárienſes: 4.) *Eſzergárienſes*, a nobis aliquando potæ, ſed quantum recordamur, remiſſius acidæ, quam quarum nobis iam mentio fuit. Eadem ora,

Kürtöſenſes: 5.) *Kürtöſenſes* bulliunt, ad vicum, cui *Kürtös* nomen. Exquiſitioris, & ſaporis eſſe creduntur, & efficacitatis, ſed nobis intentatæ. Habet

Szalatnyenſes: 6.) *Szalatnya* quoque, vicinum, arci *Kékkő*, prædium, fontem acidum multæ, apud incolas, laudis.

Tiſzowniikenſes: 7.) *Tiſzowniikenſes* certe, tametſi *non poſſint optimis* adnumerari, tamen, *multum ſibi* commendationis ex eo conciliant, quod *ad iter* adſitæ ſunt, per montes *Oſztroſſkenſes*, ad vrbes montanas *ducens*. Fit enim, ea fontis opportunitate, vt nemo ſit viatorum, ſiue abeat, ſiue redeat, quin eum ſalutet, & curuato hauriat cortice. Nobis profecto, ſemel atque iterum, iter illac facientibus, egregie ſe adprobauit. Atque, hi omnes, aciduli ſunt fontes, iique priſci. Ante aliquot luſtra, nouus aliquis, ad

8.) *Szétsény-Kovátſy*, repertus eſt, nitro copioſiore ſcatens, ſed non omnium ſtomacho, ex æquo idoneus. Qui eis adſueuere, vino generoſiori diluendo, inter prandendum, adhibent, citam inde aluum ſibi ſpondentes: quod, cum anno MDCCXIX. menſe Maio, in *Paulli Ráday*, viri, dum viueret, noſtri amantiſſimi, conuictu, apud *Ludanenſes*, valetudinis cauſſa ageremus, non vno documento, experti ſumus. Hauriuntur vero, ante ſolis ortum: vbi, qui primus acceſſit, nitrum, *alumine maritatum*, tenellæ inſtar glaciei, fonti innatare, aduertit.

vertit. An vero ideo, cum fonte *Roytſchenſi*, quod meus tunc hoſpes, voluit, conferri debeat, non audemus adfirmare. Fontes acidos hucuſque vidimus.

§. X.

Aquæ admirandæ, *& circa has* Wernheri *errot*:

AD aquas admirandas, quod adtinet, pauciores earum potuimus notare, quam id montana hæc regio, ſpondere videbatur. Nam, quod *Filekienſi* antro WERNHERVS, & ex hoc BEHAMB, atque exſcriptores alii, meminerunt, id nuſpiam reperias. WERNHERI *(k.)* verba hæc ſunt: *Ad arcem Filek, in Comitatu Neográd, ſpecus eſt, in quo ſuperne deſtillans aqua, continuo durescit. Ibi vero videas, ceu ſtatuas hominum conſiſtere ſaxa, ex hac deſtillatione concreta. Albus his color eſt, nec per ſe tantum ſunt alba, ſed etiam coloris albicantis vſum, trita, pictoribus præbent.* Nullum hodie, ſiue lapideſcentis huius aquæ, ſiue antri veſtigium, *in tota prouincia, nedum in agro Filekienſi*, exſtat. Niſi credamus, aut ſpecum collapſum eſſe, iſtosque naturæ luſus, ſepultos, aut certe peregrinum portentum, Comitatui noſtro, WERNHERVM intuliſſe, errore inductum, vt pro *Agtelek*, vico Gömorienſium, *Filek* poſuerit. Nam illic omnino, ingens iſtiusmodi antrum viſitur, multis naturæ prodigiis refertum. Hoc ſilendum non eſt, in vico *Sóos-Hartány*, fontem eſſe ſalſum, cuius aquæ, largum ſalem purumque præbent, ſi igne decoquantur luculentiore; vt dubium haud ſit, officinam ſalis coctilis, cum fructu heic excitari poſſe, ſi id neceſſitas poſceret. Vico certe hinc nomen hæſit; *Sós* enim, *ſalſum* ſignificat, quaſi *ſalſum Hartány* diceres. Fontem interea, adaquando pecori adhibent incolæ; quin, & farinam, aqua eadem ſubigunt, vbi coquendus panis eſt: nam, pane ſalſo veſcuntur *Hungari*. Eſt apud noſtros, & gelidiſſimorum fontium copia, qui mutatis naturæ viciſſitudinibus, feruentiſſima æſtate, glacie ipſa ſunt frigidiores, neque ſine ſtomachi *iniuria* bibuntur: *contra, dum extus* gelu rigent omnia, referunt teporem æſtiuum. In his eſt fons, ſupra *Turopolyam*, ſummo cacumine montis *Jazvora*, ſaliens: qui æſtate quidem, ob inuſitatum frigus, dentes, palatum, gulamque adurit, & vix ac ne vix quidem bibi poteſt; hieme, quod iuſto plus tepet, propemodum nauſeam prouocat. Plures eiusmodi, cum fontes, tum riuos etiam, alibi *(l.)* dedimus, vt iam nihil adtineat, in eius rei cauſſas, inquirere.

ſalſus fons Sóos-Hartyánenſis:

gelidarum ſcaturigines.

§. XI.

Quibus metallis *gaudeat regio noſtra*:

ERat olim metallifera regio *Neogradienſis*, a qua quidem laude, non tam ſuo, quam temporum vitio, deiecta pridem eſt. Loquuntur id hodieque, duo illi vici, quibus fodinæ nomen conciliarunt, quique olim, in oppidis metallicis, cenſi ſunt: *Szinó-Bánya*, & *Lóno-Bánya*. Vbi noſtra adhuc ætate, paſſim, per montium latera,

k.) De admirandis Hungariæ Aquis, in Scriptor. Rerum Hungaricarum, p. 601, 10.

l.) Vide *Hiſt. Comit.* Torontalenſis, atque iſthic Antri Szilicenſis deſcriptionem.

cuniculorum aditus, decidua humo obturati, notari poterant. quos *Comes Steinville*, Cæsarei dux exercitus, cum montanis vrbibus, nupero bello *Rákóczíano*, cum imperio, præesset, aperiendos curauit, & minerarum, quæ erutæ illic sunt, periculum fieri: sed, præter plumbi vestigia, larga illa, nihil amplius notari potuisse, accepimus. Quod si est, nihil fuerit opus, de etymo loci vtriusque; *Szinó-Bánya*, seu, *Czinowá-Bánya*, & *Lóno-Bánya*, dubitare amplius. Profecto enim *Szinó-Bánya*, hoc est, *stanni fodina*, dicebatur; haud vero, quod volunt aliqui *Szén Bánya*, id est, *carbonum fodina*, quasi, vbi carbones tantum exusti fuerint; cum a carbonariis officinis, *Uhlisste* dici debuisset: vt autem credamus, fossiles carbones hic aliquando fuisse erutos, causa idonea nulla est. Ad eundem modum, & *Lóno-Bánya*, quod Slaui hodie *Lowiná-Bánya* dicunt, olim *Olowená-Bánya*, hoc est, *plumbi fodina*, audiebat, ob plumbi mineram, quæ hic effodiebatur. Nescio, an ista cuiquam *in mentem venerint*; nobis certe, in nominum illorum etymon indagantibus, vltra veri similitudinem, certa esse videntur. Proinde, *Stanni*, & *Plumbi*, rariori, in orbe Hungarico, metallorum prouentu, priscis illis temporibus, *Neogradiensium* regio gaudebat; iam vero, etiam ditari posset, si essent, qui expergefactam, montanarum ciuitatum industriam, vellent æmulari. Neque enim, ita venas exinaniuisse atauos, temere crediderim, quin manserit super, quod seri nepotes, si voluerint, cum fructu possint scrutari. Præter ignobiliora hæc metalla, *aurum* quoque & *argentum*, heic erui *oportuit*. Et illud quidem, ex mineris *Szinobanyensibus*, sacrorum Diuinensium antistitem, examinandorum metallorum, apprime gnarum, eduxisse adfirmant, qui viderunt. Argentearum vero venarum, indicio sunt, *Banyensium siluæ*, quas vulgus Slauum hodieque, *Streborné Hory*, hoc est, *siluas argenteas*, adpellat; ob cuniculos, quos illic prisci illi homines, erucndi argenti caussa egerunt. An alibi, eadem ista metalla notari queant, adfirmatu difficile est, *in tanto rei metallicæ neglectu*. *Pana* enim, & *Cererem*, malunt sibi propitiari *Neogradienses*, quam *Plutum*, & feras cuniculorum puteorumque spes, annuo, pecudis & sementis, prouentui, ante ponere. *Ferri* præterea mineram, montes *Málnapatakienses* habent; sed cuius naturæ, non possumus dicere, siquidem rei eius, nemo adhuc, quod sciamus, periculum fecerit. Est autem, cur credamus, nihilo deteriorem ea fore, quæ apud *Tiszólczenses* eruitur; cum, & montes illi, perpetuis iugis, cum nostris, cohærcant, & locorum situs, egregie sibi inuicem respondeant. quæ vtraque res, quantum in *gnomonica metallorum* valeat, norunt rerum periti. Ista, de metallis *Neogradiensium* adnotasse, haud piguit, ne eorum memoria, penitus obliteretur.

habet stannum & plumbum:

aurum & argentum:

denique ferrum.

§. XII.

Cæli, apud Neogradienses, ingenium:

IAm, quod ad reliquum cæli solique habitum adtinet, totus is, ex montanæ regionis ingenio, existimandus est. *Carpathi*, Zoliensium, item & Gömörienſium montium, vicinitas facit, vt, aere nostri

nostri fruantur, frigidiore eo; sed salubri admodum. Nam, æstate quidem, nunc *Etesias* adspirant, nunc tempestiuos, in vniuersam regionem, imbres effundunt. Sed diffitendum haud est, multum subinde calamitatis, *Carpathico's Aquilones*, in regionem inuehere. Scilicet, collectas, in sinu, tempestates, vbertim eructant, quæ, vbi montium illorum cacumina supergressæ sunt, sicuti ipsæ ventos cogunt; ita elisæ Aquilonibus aliis, magno tonitruum fragore, regionem peruadunt, & nonnunquam in cataclysmos, in grandinem interdum, desinunt. Tametsi, pro indole annorum diuersa, nunc mitiores, nunc iterum concitatiores tempestates obseruauerimus. Quin, & illud longior vsus incolas docuit, deiectas a *Carpatho* tempestates, quo vehementius sæuituræ credebantur, eo citatiore cursu, in campestrem regionem, & vltra montes delatas fuisse; quod Aquilonum vehementiæ acceptum ferendum esse, facile vident, gnari situum regionis. Neque tamen, peregrinis solum tempestatibus, *Neogradienses* sunt expositi; vrgentur quandoque, domesticis etiam; & quæ intra conuexa montium collectæ, varie subinde regionem peruagantur. Si mitior annus sit, nihil cælo huiate temperatius est. Nam, & hiems opportune exit, & solis postea ardores, tot montium, siluarum, nemorum, lucorumque vmbris, accepti, lassantur quodammodo, atque faciunt, vt & tunc queant cum voluptate quadam tolerari, cum sunt intensissimi.

tempestatum ratio, quas Carpathus immittit:

quæ orinuntur domi.

§. XIII.

CÆli hæ rationes, multum ad soli vbertatem, vel conferunt, vel demunt eidem; sed pro diuersa eius indole, modulo etiam diuerso. Tres soli *Neogradiensis* species, vt eas generatim dispescamus, obseruatæ nobis sunt, sicuti nimium discretæ inuicem, ita, diuerso cæli habitu, gauisuræ. Vniuersim, ora *Comitatus septentrionalis*, sterilior est, & aliena, a reliqua agri indole. Nam, qua altius intra montes vici confederunt, solum nacti sunt salebrosum, & lapidibus, ad *silicis* modum læuibus, quasi ex industria consitum. In his sunt, *Abelowá*, *Lentvora*, *Maddtska*, *Polichna*, *Prága*, reliqui. Illi vero agri, cum ad subigendum operæ plurimum requirunt, tum larga opus habent lætificatione. Atque tunc sicco magis cælo proficiunt, quam pluuio; nam illud quidem, inter opacas circumiectarum siluarum vmbras, æquius tolerant; quod lapides, ex nocturno rore, humoris quiddam haurientes, sementem, occulta illa humiditate, egregie fouent; quod contra se habet, si cælum plus iusto madeat. Tunc enim, quem semel imbibere humorem, salebrosi agri, diutius retinent, & nocturnis frigoribus, quæ heic familiaria sunt, in primis, vbi serenare cælum incipit, plus iusto refrigerati, segetum radices iniquius habent: quæ ideo, & in culmos adolescunt ægrius, & segnius spicas trudunt; grana vero gracilia edunt, & plus habentia glumæ, quam medullæ. Erant, qui cæli has iniurias, declinare vellent, egestis ex

Soli *habitus, triplici natura:*

sterilis, *ad septentriones, & intra montium sinus:*

agris, quantum eius fieri potuit, lapidibus. Sed, ea diligentia, adeo non profecerunt, vt deprauauerint etiam agros, fecerintque, neutri cæli temperici ferendæ, amplius idoneos: proinde, vt ad ingenium redirent, opus erat, lapides, multo eruderatos labore, per agrum, ex industria, spargere denuo. quæ res, dicterio locum fecit, vt, si vicini, huius oræ hominibus, facete, quod fit, illudere velint, id eis obiectent, quod lætificandis agris, lapidibus opus habeant. Prima hæc agri temperatura fuit, oppido macilenta, & rusticationis iniquissimæ. *Altera*, foecundior quidem est, neque ad subigendum æquè refractaria. Hæc, cum sub radicibus montium septentrionalium, tum in primis, in *Losontzienſium* ambitu, visitur. Gleba huic argillacea ac tenax, quæ, sicuti imbribus nimiis effœta fit, magisque macilenta; ita, si solis æstus ingruant diuturniores, multum durescit, segetem datura gracilem & exsuccam. Itaque, larga hic stercoratione opus, & arationibus, maiori cura *instirutis*, quæ humum faciant *resolutam*, & commotam altius: quod, qui negligunt facere, suam ipsorum messem, odisse putandi sunt: quibus vero, laboris illa patientia cordi est, sementem recipiunt ingenti cum fœnore; grano item, pingui & farinoso. Supereſt, *tertia* agri species, laudatissima illa, & cum agricolationis facilioris, tum vberioris etiam fructus. Init hæc, in *Szétsénienſium* campis, & hinc secundo amne *Ipola*, protenditur, illinc, per *Cserhátenſia* dorsa, quæ molli asperitate collium fracta, superius diximus, procurrit, dum in campestrem regionem *Heveſſienſibus* & *Peſtienſibus* vicinam, desinat. Sed, neque laudati huius agri, eædem vbique sunt rationes; habent nempe, pro varietate locorum, fœcunditatis incrementa, decrementaue. Ita, oppido *Szétsény* adsitus ager, fertilis omnino, probique fructus; fertilior, qui trans montes, duobus illinc milliaribus, in meridiem recedit, idemque, in primis tritici prouentu lætus; omnium autem fertilissimus, qui vltra siluas *Cserhátenſes*, hinc *Zagyuæ* adhæsit; illinc, versus *Peſtienſium* oram, procurrit: *quippe qui*, nec stercoratione vlla indigeat, & cum fœcundissimis Hungariæ agris, *contendi* possit. Tota hæc regiuncula, cælum amat, imbribus & *solibus*, ita temperatum, vt illi, huius ardores, restinguant; *isti contra*, pluuiarum tempore, alant grauidentque humum. Quod si aliter se habet, messis in periculo est. Nam, solis quidem æstus immoderatior, pinguí terra acceptus, exurit segetem; pluuium autem cælum, efficit, vt nimio humore luxuriet fœcunda tellus, & tribulis inhorrescat, quæ segetem deprimunt, fructumque corrumpunt.

fœcundior, in montium radicibus:

optimus, qui a Szétsinenſi ora, in meridiem panditur:

huius ingenium.

§. XIV.

Vitis, apud Neogradienſes, fata:

Ista, *Cereris* erant munera: nunc, quæ sint *Bacchi*, videamus. Ante, quam ex *Mohátsiana* clade, infelix esse cœpisset *Hungaria*, sicuti Comitatuum, isto tractu, florentissimus fuit *Neogradienſis*; ita, neque vineatico cultu, facile concessit vicinis: iis potissimum oris, quæ

quæ se, in occidentem & meridiem porrigunt. Postea, cum *Buda*, regni caput, a tyranno teneretur, martium campum dixisses, prouinciam nostram, ita, sanguinolentissimi hostis impressionibus, fatigabatur. Quibus rebus fiebat, vt, cum agri frumentarii, tum in primis colles vitiferi, inculti iacerent, atque calamitate illa, sesqui seculum perdurante, inhorrescerent siluis. Vites, validissimis roboribus, opaco nemore, adnatas mirabamur. quod indicio nobis erat, vineam illic consitam fuisse, felicioribus temporibus. Post exactos *Buda* hostes, iamque vltra Hungariæ terminos reiectos, *Liber Pater*, haberi cœpit liberalius. Vix enim vicum ea, quam diximus, ora, videas, cuius est quædam, ad eam rem, opportunitas, quin iam, vel vitem paugat, vel certe vineta habeat, multa adcuratione exculta. Vniuersim, bene *vitis*, in agro *Neogradienſi*, meridionali illo, & occidentali, convalescit; in primis, si in meridianum solem ponatur, & colles a tergo habeat, qui Aquilonis flatus, vel arceant, vel mitigent. Hinc, si annus fauerit, diuite prouentu exuberant vineta *Neogradienſia*, vinumque fundunt, mensis etiam opiparis, haud fastidiendum. Sed, non vna vbique locorum, sicuti fit, vini est præstantia. Præcipua laus est, *Zóleienſi*, *Galáboczenſi*, *Szőlősienſi*, *Bujakenſi*, & *Kiertősienſi*. Sed, quæ tamen omnia multis, post se parasangis relinquunt, *Kosdienſia*, *Rádenſia*, *Etségienſia*, & *Jobbágyenſia*. Singulis, cæli solique opportunitates, egregie velificantur. Et *Kosdenſes* quidem vineæ, in radicibus montis *Naszály*, quem supra meminimus, ita confederunt, vt solem meridianum, conuexis quodammodo collibus, accipiant; aquilones autem, qui noxam viti adflare possent, montis obiectu, retundant. Accedit, mira soli benignitas: nam, resolutum alibi est, glarea permixtum alibi. Cum his, *Rádenſes* colles, de palma certare posse videntur. Hoc, enim vero, suo sibi iure vindicant, quod *Tokayenſi* traduce consiti sint, referantque non nihil, quod æmulari, saltem imitari credatur *Tokayenſium* vina, toto orbe celeberrima. Nam, habent omnino saporem, ita suauem, vt, qui *aromatum* odorem fragret. Vtraque, alba *sunt* & rubella; vtrisque, gloria propemodum eadem. Denique, *Jobbágyenſia* vina, ideo ad istam notam retulimus, quia eo situ, in *Mátræ* radicibus gignuntur, qui est ad eam rem, vnice opportunus: sunt tamen exiliora iis, quæ iam laudauimus, credo, ob seminum, quæ hic pepigere, primi illi vinitores, iniquiorem naturam.

quomodo proficiat? vini laus, ac varietas:

vina nota optima:

Kosdienſium laus præcipua:

Rádenſium, Tokayenſis indoles:

Jobbágyienſium ingenium.

§. XV.

Vinearum hæc mentio, hortorum nos commonefacit. Eadem his, cum vite, fata fuisse, non est, cur dubitemus. Nimirum, est id in more positum popularibus nostris, vt, qua vineas ponunt, pomaria simul conserant, quæ, vinetorum infimam regionem, occupent, viti, ob decliuitatem, inhospitalem futuram. Proinde, sicubi vinearum cultus est, illic, nec *Pomonæ* dona possis desiderare. Quin, & hoc obser-

Cultus hortorum, qualis?

pomaria, vineis, &

ruſticanis ædibus cum ſerta:

obſeruauimus, vicos ſingulos, hortis circumſeptos eſſe, cum ita factas habeant ædes ruſtici; vt anteriorem eorum partem, cum familia habitent; mediam, pecus domeſticum teneat; iſtam horrea claudant; quod vltra eſt, hortis colatur, ſegnius alibi, alibi diligentia exquiſitiore. In primis, nobilium ædes, quas in vicis colunt, non pomariis tantum, ſed viridariis etiam inſtrui vidimus: olerum certe, & quidquid culinarium radicum eſt, herbarumue, tantum educant noſtri, quantum longis hiemibus ſuffecturum credunt. Nam, vt ruſticanis iſtis mercibus, lucrum faciant, opportunitate carent: quæ tota, copioſarum vrbium eſt. Maxime, peponum ſatu delectantur, quorum ſemina in apertis agris deponunt, & ſemel iterumque repaſtinata humo, lætificant, vberrimo dein prouentu, æſtatis partem feruidiſſimam, vlectitantes. Sed iſta felicitas, fere auſtralium tantum eſt: nam, qui ad ſeptentrionem colunt, ſicuti cupediis iſtis non ducuntur; ita malunt leguminibus operari, quæ & ipſa tamen proueniunt *iniquius*, piſa in primis: quippe quæ, muſcas ante *concipiunt intus*, quam hibernis agreſtium menſis adhiberi potuerint. quod ego vitium, cui rei adſcribere debeam, neſcio. Seminibus certe non poſſum, quæ optima licet ſint, contagione hac corripiuntur; vt procliue ſit exiſtimare, telluris aerisque eam culpam eſſe. Ergo, montani, *panicum* in primis colunt, quod eleuatis agris, vehementer lætatur; at, niſi matureſcat tempeſtiuius, aduritur pruinis, & fraudat agricolam. Materia medica, eadem heic, quæ apud *Zolienſes*, & *Liptouienſes*, gignitur.

herbarum, & radicum culinarium, cura:

aquilonarii oris, legumina, quomodocunque, ferax:

materia medica.

§. XVI.

Rei pecuaria ratio.

VLtimum nunc eſt, vt, de re pecuaria Neogradienſium, dicamus. Variat ea, pro regionis diuerſo habitu. Nam, quod ſæpius diximus, montanum pecus, exile eſt; grandius, quod decliuioribus locis naſcitur; toroſum autem *maxime*, quod aruis inerrat campeſtribus. *Ad eundem modum ſe habent*, armenta *Neogradienſium*. Qua regio ad ſeptentriones vergit, pecora illic ſunt gracilia, neque tamen, ſicuti alibi, pilo verſicolore, aut male detortis cornibus, deformia. Medium regionis, armenta habet, grandiora quidem montanis; ſed quæ non exæquant campeſtrium, ſiue molem, ſiue compagis venuſtatem. Quod vltra *Szétsényum* regionis procurrit, benignius pecudem educat. Deficiunt tamen noſtros, numeroſiora illa armenta, quæ *Gulya* vocant, non tam paſcuorum inopia, quam anguſtia locorum, hac in primis tempeſtate, qua nihil incultum relinquitur. *Hungarica* enim armenta, ex quibus, inuſitatus ille boum numerus, promitur, arua requirunt, non pingui modo pabulo luxuriantia, ſed ſpatioſa etiam, & ad eum modum porrecta, vt eadem paſcua, rarius cogantur reuiſcre. Interim, non deſunt, cum primoribus e nobilitate viris, tum & ruſticanæ plebi, eximia armenta, quæ per compaſcua nemora, gregatim vagentur. *Equorum*, neque educatur plus, neque alitur, quam quod

variat, pro ſituum habitu:

deſunt hsic armenta illa copioſiora:

quod rei ruſticæ ſufficiat. Hinc, rariora ſunt huius pecudis armenta; neque, niſi apud opimiores, & quorum miniſteria equos, requirunt numeroſiores. Duplex horum genus aduertimus, agreſte alterum, quod & minutius eſt, pernix tamen, & cum equitationis, tum vecturæ etiam patiens; alterum herile dixerim, & quod ditiorum aulis ſtabulatur, ea generoſitate, quæ poteſt eſſe maxima. Sed ouium greges numeroſiſſimi aluntur, ratione prorſus eadem, quam alibi dedimus explicatius. Nequit tamen, *Neogradienſium* caſeus, cum *Zolienſium*, aut *Liptouienſium*, comparari. quod ego, paſcuorum diſcrimini adſcripſerim, quæ teneriora illic naſcuntur, robuſtiora hic, & magis ad ſaginam comparata, quam lactis probitatem. Inde, id quoque eſt, quod lana huius, *Zolienſi* aſperior ſit, neque pannificiis æque idonea. Ceteroquin, duum, & in iſta regione, generum, oues iam eſſe incipiunt; quorum vnum minutius teneriusque, lana item curta eſt ac molli; alterum procerius, promiſſo vellere, & gyratis in acutum cornibus. Iſlud, *Hungaricum* dicunt; illud *Stauicum*: quod ea Hungariæ parte, quæ a *Stauis* colitur, & tota montoſa eſt, optime proficiat, alaturque copioſiſſime. Denique, regionis glandiferæ opportunitas facit, vt porcorum greges ingenti numero, cum in vicis habeant *Neogradienſes*, tum ruri etiam, & locis ſilueſtribus educent. Hos, ſubulci, ferum genus, ſectantur, æſtiua ſimul & hiberna ſtabula, intra nemorum receſſus, colentes. Si annus glandis ferax ſit, ſimul ea defluere cœpit, gregatim, ad ſatyros iſtos, ſubulcos volo, quidquid, idoneæ ad ſaginam, pecudis habent, incolæ depellunt, ante brumam haud repetendum. Interea, pecus, niſi cælum ſit iniurium, paſſim glandiferos ſaltus pererrans, egregie increſcit, fitque toroſum, ac ſuccidum, dum, aut ad mercatus abigatur, aut ad domeſticam lanienam. Silendum forte non eſt, duplici, ſiluas *Neogradienſes*, glande abundare. Altera, fagorum eſt, minuta nuce, quarum plures vno echino concluduntur; quercum altera, priori vulgarior, notiorque. Hanc, querceta ferunt, tota regione ſparſa; illam, ſiluæ in ſeptentrionem reiectæ, priori, neque copia, neque in ſaginanda pecude, fructu æquandam. Nam, fagina quidem glande, quod dulcior eſt, atque pinguior, pecus etiam pingueſcit celerius; ſed lardum præbet minus probum, & facile in vitium abiturum: quod contra eſt, ſi porcus glande quercina, ſaginatus fuerit. Eſt paſſim, & tertium quoddam glandis genus, ilicibus naſci ſolitum, atque montibus *Jenöenſibus* familiare, echinato id calice, ritu caſtancarum, naſcitur; cetera, & mole, & ſapore, glandi promiſcuæ, ſuppar. quod ea regione prouenit, quæ eſt caſtancarum fructu, nobilitata. Hactenus, de *Comitatus Neogradienſis* ſitu, & huius natura, cultuque.

equorum duplex genus:

ouium greges numeroſi: caſei qualitas:

porcorum copia, & per querceta, optima ſagina:

glandium diuerſitas.

MEM-

MEMBRVM POSTERIVS, POLITICVM,

De

Incolis, Magiſtratibus, Prærogatiuis & Ditionibus, Comitatus Neogradienſis.

SYNOPSIS.

Regionis habitus hodiernus : colebatur olim a Jazygibus Metanaſtis : *poſt hos* Hunni, Auares, *denique* Hungari, *rerum potiuntur.* §. I.

Hodie, incolarum præcipui Hungari, *eius ſanguinis nobilitas vniuerſa : huius indoles, ac ſtudia belli & pacis, & qui, in vtroque genere, excelluerint :* Verbőcius *iſthic ſatus :* Nicolai Tóldii *ortus : eius inſolens robur : mores nobilium hodierni.* §. II.

Pompa funebris : quomodo adſeruetur cadauer defuncti : domeſtica, die funeſto, ſolemnia : exſequias honeſtantium, ſubſellia : equi funebres : phaleratus alter, alter pullatus : leſſus & lugubris concio : carmen panegyricum, vernacula recitatur : funeris deductio : ſolemnia, quæ fiunt in eccleſia : ſilicerniorum opipari adparatus : eorum antiquitas apud Hungaros. §. III.

Fœminarum *nobilium ingenium.* §. IV.

Ruſticorum natura, *atque in his* Slauorum : *eorum occupatio diuerſa ac fructuoſa : merces domeſticas, quo modo nundinantur : eorum natura : feminarum ingenium : ambiendarum nuptiarum ritus : gentis fœcunditas.* §. V.

Hungarorum *indoles, a* Slauorum *diuerſa : eorum deſidia increpatur : idioma inficetum : nubendi tempora præmatura : cur* Hungari *ſteriliores ſint* Slauis? §. VI.

Ruſſi *olim, inter prouinciæ habitatores : a* Colomanno *rege adducti : eorum coloniæ, referunt hodieque nomen* Ruſſicum : *colonis pridem exinanitis.* §. VII.

Plebis Neogradienſis *occupationes, quam fructuoſæ : frumenti, in vrbes montanas, frequens, & fructuoſa vectura : non item vini.* §. VIII.

Magiſtratus *Neogradienſium : eorum laus : corrumpi largitionibus, probroſum ducunt : partiendorum tributorum æquitas.* §. IX.

Eligendorum Magiſtratuum ratio : circumſpectio, qua vtuntur : comitiorum loca variant : Sedes Iudiciariæ Loſontzini *fiunt.* §. X.

Supremorum Comitum ex gente Forgách, *catalogus :* §. XI.

Eiusdem gentis antiquitas, & merita, diplomate regio docentur. §. XII.

Familiæ Neogradienſium *illuſtres aliæ.* §. XIII.

Comitum Balaſſa, *ortus & propagines.* §. XIV.

Ordo equeſtris, & huius fortitudo militaris, ac prærogatiuæ : Inſignia *Neogradienſium : a Leopoldo I. locupletata : originis alioquin incertæ.* §. XV.

Vice-Comitum Catalogus. §. XVI.

Ditiones regionis variæ : Gátsenſis : Divinenſis : Kékkőienſis : Gyarmathenſis : Filekienſis : Sághienſis : Salgóienſis : Bujakienſis : Neogradienſis : Nobilium *poſſeſſiones.* §. XVII.

Prærogatiuæ Comitatus : motam ſibi, anno 1723. in comitiis controuerſiam : validis rationibus elidunt, Neogradienſes. §. XVIII.

Exemtus eſt a iure neoacquiſtico : *in eam rem diploma* Leopoldi M. §. XIX.

§. I.

REgio, cuius nunc ſitum, atque opportunitatem vidimus, tametſi, neque habitatoribus caret, neque cultu; tamen, ad priſtinam, qua ante *Mohátsienſem* cladem fuit, celebritatem, nondum potuit eluctari: quinimmo, oſtentat paſſim, priſcæ illius felicitatis, *monimenta*, frequentibus arcium vicorumque ruderibus, deformia. Ante *Hunnorum* aduentum, *Jazygibus Metanaſtis*, quos inter *Tibiſcum* & *Danubium*, vsque ad *Granum* coluiſſe, diximus ſæpius, tota hæc ora fuit adſcripta. Erant autem *Jazyges*, gens omnino *Sarmatica*, quam, ob communionem originis, atque idiomatis, & *Slauicam* dicere poſſis: id quod, in *Hungaria* antiqua docebimus, argumentis, vt opinor, idoneis. Proinde, primi regionis inquilini, *Sarmatæ* erant, quos *Hunni*, & poſt hos *Auares*, ac denique *Hungari*, non tam victos, quam ſpe prædandi adlectos, in ſuam ſocietatem pertraxerunt, regione auita, ad incolendum genti permiſſa. Poſtea, rerum vtraque *Danubii*, & *Tibiſci* ripa, potiti *Hungari*, ſicuti viribus increſcebant in dies; ita cum *Slauis*, vel mixtim habitabant, vel his, in montanam regionem ſubmotis, ipſi, campeſtrem obtinuerunt. Non ergo alienigenæ iſthic *Slaui* ſunt exiſtimandi; ſed ipſis omnino rerum dominis, antiquiores, iidemque, habitatores indigenæ. quod, eorum cauſſa fas eſt monuiſſe

Regionis habitus hodiernus :

colebatur olim a Jazygibus Metanaſtis :

poſt hos, Hunni, Auares, *denique* Hungari, *rerum potiuntur :*

nuisse identidem, qui, nescio, qua ducti vanitate, *Slauos*, late, per septentrionalem *Hungariam*, diffusos, tanquam ignobile quoddam genus, huc irrepsisse, & sub iugum missum, pristinæ illius seruitutis honeque referre indicia, nihil dubitant adfirmare: cum aliter omnino se rem habere, & historiæ loquantur, & *Regni Decreta*. Sed, quemadmodum, nouis subinde coloniis, aucti fuerint *Slaui Hungariæ*, quia in vicinis Comitatibus, pro eo, ac necessum fuit, semel atque iterum, expromsimus; non est iam opus repetere.

§. II.

Hodie, insolarum præcipui Hungari: eius sanguinis nobilitas vniuersa:

HVngari interim, haud quidem numero, dignitate tamen, *Slauis* omnino sunt potiores. Nobilitas profecto omnis, *Hungarici* est sanguinis, referens auiti moris decus, cum castigatum seueritate, tum comitate, contemperatum haud adfectata. Neque intra montes *Hungariæ*, facile Comitatum repereris, cui, prisci moris obseruantia, sit commendatior. Antequam *Filekiensis* arx oppidumque, alter, prouinciæ Neogradiensis, ocellus, elisus fuisset; plane, maiorum institutis viuebat regio, æmulabaturque, & belli, & pacis studiis, auorum virtutem; tametsi belli potiora habere debuerit, ob *Turcarum* vicinitatem: cum quibus, non velitationes modo, sed prælia fere perpetua, inire cogebantur nostri; nescio, maiorene virtutis militaris, an laudis accessione. Colligere hinc possis, de reliqua nobilium indole, quæ tota ita facta est, vt &, melioribus litteris idonea sit, & militiæ. In vtroque genere, habuere suos heroas Neogradienses. Certe *Verbőczius*, (nisi factionum se studiis contemerauisset) laudatissimus ille Hungarorum *Vlpianus*, ista regione prodiit, in castello vici *Perény*, nobili sanguine prognatus, vbi postea & viuus degebat. Eius, de Iurisprudentia Hungariæ merita, quia in omnium sunt ore, & opus *Tripartitum* satis loquitur, non est, *vt* multis memoremus. Manu autem *fortium virorum*, vel numerum inire, *difficile est, nedum pro eo*, ac digni sunt, singulos *collaudare*. Inprimis celebratur, cum virtus bellica, tum inusitatum corporis robur, *Nicolai Tőldy*, quem *Curialis* vicus *Tőld*, *equestri* loco natum, tunc dedit, cum fortibus viris maxime indigebat Hungaria. Nimirum, vixit in comitatu MATTHIAE Coruini, eius castra, instar prodigii, sequi solitus: quippe, tanti roboris, quantum in mortales vix cadere posse putabatur. Clauam, scilicet, manu gerebat, eius ponderis, quod robustissimum quemque, solo onere fatigare potuisset. Neque minori hasta, siue in præliis, siue in ludis, vtebatur. Quam, ea virium contentione, vibrabat; vt vomerem, nondum vsu detritum, vno ictu pertunderet. qualem *Budæ*, in ea porta, quæ *Viennensis* dicitur, (*a.*) suspensum mirabamur, tamquam roboris inusitati, ad posteros, documentum, ferro hastilis, adhuc

huius indoles, ac studia belli & pacis. & qui in vtroque genere excelluerint:

Verbőczius ibidem fatus:

Nicolai Tőldii ortus:

eius insolens robur:

a.) Tomo III. Operis nostri, Parte Spec. Memb. III. Sect. I. in Hist. Vrbis Budensis, Cap. II. Periodo III. §. VII. p. 442.

huc intus hærescente. Hodie, præcipuam ordinis equestris laudem, in eo positam vidimus, quod se morum illa peregrinitate, abstineat, quæ iam vniuersam pene *Hungariam*, instar turbinis, corripuit. Quod ego, in primis ad nobilitatis decus pertinere existimo, si, & tenax sit eius, quod in auorum moribus egregium est, neque, quod prauum in peregrinis, adpetens. Vbi prodeundum in publicum est, splendidi sunt, & cum comitate graues. Quod fere accidit, dum, aut prouinciæ magistratus instaurant, aut nuptias concelebrant, aut festos aliunde dies, agunt. Conuiuia illis, si ea instrui oporteat, opipara; sed, quæ ornat adcumbentium seueritas: quod quidem, his locis diuersati aliquando, non poteramus non suspicere. Nunc, iuniorum vitio fieri audimus, vt conuictuum ille, & splendor, & sanctitas, miris modis corrumpatur. Nuptias, & funera, pompa, quam fieri potest, exquisitissima, prisco tamen ritu, obeunt. Sed de nuptiarum solennibus, quia dictum alibi est; funerum hic cerimonias, *iuuabit* commemorauisse.

mores nobilitatis hodierni.

§. III.

NImirum, si quem ex optimatibus, in Libitinæ rationes abire contingat, cadauer, habitu emortuali indutum, spectandum tantisper exponitur, dum adparetur sarcophagus. Hic, vbi adest, magno, & acerbo domesticorum eiulatu, loculo immittitur, exsangue corpus, quod postea, in secreto fornice conditum, sæpe ad trimestre spatium, in funestis ædibus, detinetur. Interea, quidquid exsequialis adparatus necessarium est, magno studio curaque, conquiritur. Eo congesto, dies edicitur, funeri efferendo destinatus. Mittuntur passim lugubres litteræ, quibus exsequiatum inuitentur, non ii tantum, qui defunctum, qualicunque propinquitate adtingebant; sed plurium etiam *Comitatuum* primores. *Hi demum, tempestiue adsunt, dolorem quisque suum*, prolixe testantes. *Cum* dies iniit funestus, tumba cum cadauere, mature effertur, atque media ædium area, ferali pegmati imponitur. Et tumbam quidem, sericeo panno circumdant, pullato eo, ac præfixis demortui insignibus, interstincto. Quin & pegma, atris, & late diffluentibus pannis, inuestiunt. Dislocantur vtroque latere subsellia, accipiendis his, qui ad cohonestandas exsequias, vel inuitati, vel sponte, confluxere. Tunc vero, dextrum tumbæ latus, viri cingunt, feminæ sinistrum. Mira omnibus doloris significatio, multis, profusæ etiam lacrymæ. Ad eam sarcophagi regionem, quæ pedes cadaueris habet, pullatus signifer adstat, vexillum, hastili suspensum, tenens. Nigrum id esse consuetuit, & picturis illusum, aureis argenteisue; quin, & insignibus mortui decorum. cuius bifurcatæ alæ; nam ita sunt vexilla Hungarorum; in humum vsque defluunt. Proxime, ad dextrum tumbæ latus, vidua, cum filiabus, si quæ sint, & sororibus,

Pompa *funebris:*

quomodo adiornetur cadauer defuncti:

domestica, die funesto, solennia:

exsequiæ honestantium, subsellia:

ribus, lugubri habitu, collocantur; siniſtrum contra, conſanguineorum, longus plerumque ordo, occupat. Vltra caput, filii conſident, generi, & nepotes. Adſunt præterea, duo equi; alter, dextro latere, phaleratus, quem miles cataphractus inſidet, ſtricto enſe, equeſtrem defuncti dignitatem ſignificans; alter, a ſiniſtris, pullatus totus, & inſignibus decore adſutis, conſpicuus, quem agazo, frenatum detinet, quaſi qui amiſſum ſeſſorem lugeat. Reliqua circum ſpatia, exſequialis multitudo, per ea, quæ diximus, ſubſellia, iuſto ordine diſtributa, implere conſueuit. Pompa, ad eum modum inſtructa, leſſus primum canitur. olim, funebribus etiam tibiis adhibitis; tunc ſacerdos, pro concione dicere occipit, quod maxime opportunum eſt. Interea, tabulæ inſignium, inter hos diſtribuuntur, qui concelebrando funeri, triſtes adſiderunt. Vbi dicendi finem fecit, ſacer orator carmen patrium recitatur. quo, partim laudes defuncti commemorantur; partim, cum ſingulis ſigillatim, tum vniuerſim omnibus, argumentis, ad *ciendum* dolorem conquiſitis; valedicitur. Videres hic, fortiſſimis quibusque manare lacrymas, alios ſingultibus, ſuſpiriis alios, fatigari; feminas vero, ne planctibus quidem temperare. Tandem, ſublata, in funeſtum currum, tumba, funus, deduci ad ſepulchrum, incipit. Præcunt, longo ordine, ſcholarium & ſacerdotum coetus: leſſum iterum canentes, triſtem, & mortalitatis monitorem. Sequitur cadauer, quod proximus eques cataphractus, criſtatam galeam capite gerens, equi greſſu, ad magnificentiam compoſito, lentus præcedit: inſequitur alter, pullatum equum ductans. Pone tumbam, ferales tædæ, a lugubri miniſterio, præfixis vbique inſignibus, deferuntur. Poſtea, exſequialis multitudo ſubit, dum ad emortualem cryptam veniatur. Hic, ſermones ſacri audiuntur denuo; tunc cadauer, ſepulchro immittitur, vexillum autem funeſtum, tanquam anathema, in eccleſia ſuſpenditur. Redux, ad ædes, exſequiantium multitudo, *dolorem primum his teſtatur, qui ſunt eo funere*, ad orbitatem redacti. Init poſtea ferale epulum, quod interea, domeſtica miniſteria, lautiſſimum adparauerunt. Si ditior fuerit, & non conſanguinitate modo; ſed clientelis etiam valens, *cui* iuſta perſoluta ſunt, pluribus ſæpe tricliniis, diſcumbitur, ac ducenti ſubinde epulatores, numerantur. Meminimus, pueris nobis, & inter prima litterarum rudimenta verſantibus, emortuali iſtiusmodi conuiuio, mediocrium fortunarum nobilis viri, boues duos, vitulos complures, porcorum, & altilium inſignem numerum, vini præterea, dolia aliquot (*b.*) conſumta fuiſſe. Neque enim heri tantum, & digniores quique, in conui-

equi funebres, phaleratus alter, alter pullatus:

leſſus, & lugubris concio:

carmen panegyricum, vernacula, recitatur:

funeris deductio:

ſolennia, quæ fiunt in eccleſia:

filicernium, quæ fiunt in eccleſia:

filicerniorum opipari adparatus:

b.) At, ſi funus ſit in gente opimiore, &, cum priſcæ nobilitatis, tum dignitatum prærogatiua inſigni; viginti ſubinde boues; vitulorum, porcorum, ferarum item, altilium & auium ſilueſtrium, innumera propemodum multitudo, in hos adparatus, inſumitur: vt generoſiſſimi vini profuſionem, taceamus. Tale filicernium illud fuit, quod, *Loſentzini*, ante hoc ſexennium, in funebri pompa, PAVLLI RADAY, vidua, & filii, dederunt.

conuiuium adhibentur; ſed viliſſima etiam famulitia, vti ſunt; agazones, rhedarii, & cetera vernarum turba, demenſum accipiunt ſuum, quaſi ideo venerint, vt alieno dolore, gulæ perlitarent. Iſta, filicerniorum, apud Neogradienſes, & vniuerſam gentem *Hungaricam*, ratio eſt, ne *Romanis* quidem ignorata; ſed noſtris profecto hominibus, ſuo quodam iure, a prima gentis origine propria. Iam tum enim, mortuo ATTILAE, inferias celebrantes Hunni, *Strauam* ingentem inſtituiſſe, apud *Jornandem* leguntur. Ita *Sarmatæ*, poſtea *Slaui*, funebres epulas vocabant, cum Hunniaco ſermone, *Tor* dicantur: quæ vox hodieque in vſu eſt. Vt male omnino, eius vocabuli indicio, ſummus LEIBNITZIVS, & plures alii, arguant, *Hunnorum* gentem, *Sarmaticæ*, ſeu *Slauicæ* fuiſſe originis. quod alibi, dedito ſtudio, confutabimus.

eorum antiquitas apud Hungaros.

§. IV.

DEtinuit nos, *exſequialis hæc pompa*, tametſi, quod credimus, non ab re: quia & ipſa, ingenium loquitur, cum gentis vniuerſæ, tum in primis nobilitatis *Neogradienſis*. Cum viris, feminas, amore virtutis, certare vidimus. Nam, donec iuris ſunt patrii, & virgineam degunt ætatulam, moribus innutriuntur caſtis, & dignis cum genere, tum ſexu etiam ſuo. In primis, diligentes ſunt pudicitiæ cuſtodes. Inter huius inſtrumenta, referunt matres, ſi mature adſuefaciant *Tulliolas* ſuas, & lares amare domeſticos, & in his, muliebribus diſtringi operis. Tum, ſi prodeant in publicum, vbi id, aut religio poſcit, aut honeſtas ſuadet, ſolicite cauent, ne oculos habeant emiſſitios, neue, vltra, quam par eſt, vrbanæ ſint & comes. Quod mihi quidem, iuſta ratione facere videntur, cum nimia femellarum, ſeu vrbanitas, ſeu comitas, a vilitate vulgati corporis, parum abſit. Poſteaquam, iuſtis nuptiis, in manus viri peruenere, fidem matrimonii egregie tuentur. Adde, viduarum continentiam, quæ ſubinde, priora vota, ita ſancte habent, vt, *licet, forma non minus valeant*, quam ætate; raro tamen, ad ſecunda tranſeant. quæ res, dicterio dedit occaſionem: *viduas Neogradienſium nobiles, nouam, ſuo iſto more, hæreſin inuexiſſe.* Certe, vix alibi ambiguæ pudicitiæ feminas, faſtidiri magis aduerti, quam iſta prouincia. Quam quidem laudem, vtinam, cum multis communem haberent. Nam, incipit omnino paſſim inuerecundia, iniquiſſima temeratrix pudicitiæ, in virtute haberi, magno, priſci honeſtique moris, detrimento. Ceteroquin, forma pleriſque *Neogradienſium* feminis, venuſta contigit; indoles autem, prorſus ad rem familiarem intenta. quod a procacibus, in vitiis earum cenſum fuiſſe, meminimus; ſi tamen vitium ſit, formam tueri pudicitia; & hanc, aduerſus inſidiatores, perpetuo, atque vtili opere, circummunire. Enim vero:

Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus,
Contemtæque iacent, & ſine luce faces.

Feminarum nobilium ingenium:

Hoc porro silendum haud est, nubendi hic spatia, adulto *Hungarorum* ritu, raro vltra vernantem pubem, proferri solere. Quod, tametsi minus probatur exteris: habet tamen, non excusationem solum; sed iustam etiam laudem. quod ea re, & insidiæ, quas seculo hoc prauo, castitati instrui videas, ante declinentur, quam ætatem potuerunt circumuenire; & teneræ adhuc mentes, atque ignaræ solicitatæ pudicitiæ, suauius adsuescant, vni castoque toro. quem demum, tanto sanctiore cura intemeratum habent, quanto magis alieni sunt expertes.

§. V.

Rusticorum *natura, atque in hâc* Slauorum:

NObilium ista indoles moresque fuerunt, a quibus, multum diuersi sunt plebeiorum. Ac *Slaui* quidem, & hic ingenium sequuntur suum, quod quale sit, alibi vbertim explicuimus. Illud, in laude gentis, heic memorandum iure est, quod præter rusticationem, qua pars anni maxima distinetur, operas sectentur, alibi, non facile in agrestium laboribus, *referendas*. *Nempe*, sicuti locorum, quæ colunt, opportunitas est, ita illi opificiis vacant. Qua montes, in septentrionem reiecti, abietibus atque pinis lætantur, *materiarii* sunt, edolandis scandulis, & scindendis asseribus, operam, haud sine fructu, impendentes: sed, qua ligneas, quernasue siluas habent, dolia pangunt, compaginant scrinia, & quidquid currulis supellectilis est, arte egregia, præparant. Alii, quibus humus contigit argillacea, fictilia vasa, omnis generis, educunt, & igni torrent. Hæc ipsis, non hiberna tantum, sed, æstiua etiam occupatio est, dum agrestes operæ, per interualla, cessant redeuntque. Quidquid ista diligentia parauerunt, integris plaustris, cum maxime opportunum est, vltra meridionalem *Comitatus* regionem, quam fere *Hungari* colunt, deuehunt, merces commutantes mercibus. Non raro vidimus, ollas, cantharos, qualos, & id genus, vtensilia, tanto frumento vendita fuisse, quantum vasa ipsa poterant capere. Quo sane mercatu, nihil esse potuit opificibus fructuosius. Ad eum modum, *plaustra, quæ, seu ligned*, seu *testacea merce*, onusta auexerunt, frumento, lardo, leguminibus, cannabe, pomis, item aut prunis oppleta, egregio cum fœnore, *domum* reuehunt, noua iterum nundinatione, apud suos, quæstum facturi. Has vero peregrinationes, tanto subinde adparatu instituunt, quanto vix transmarinas alii. Risu temperare tibi haud possis, si velis itineris rationes scisciteri, quorsum, vel proficiscantur, vel vnde redeant? ex regione, inquiunt, inferiore, *Zdolney Zemy*, quasi ipsi, orbem diuersum colerent; tametsi, vltro citroque, vix quindecim milliaria emensi. Lingua illis rudis, cultus obsoletus, mores austeri, ingenium vafre, corpus robustum, statura, inter nimiam & exilem, media: reliqua indoles, ad laborum patientiam, & si necesse sit, tolerantiam, omnis generis difficultatum, conformata. Quod voculam *Kre*, otiosam illam, & nihil fere significantem, sermoni, qui & ipse inficetus admodum est, & a *Slauorum* dialecto, puriore illa, multum secretus, frequenter ingerunt,

eorum occupatio diuersa, ac fructuosa:

merces domesticas, quo vendo nundinentur:

eorum natura:

gerunt, per conuitium, *Krekátsy*, a vicinis dicuntur. Feminarum supra ingenium est, robur propemodum virile, venustas non multum commendabilis: quam, ingentes vittæ, rotata crinium plicatura, vltra occiput adsurgentes, multo reddunt ingratiorem. Vestis plerisque, e cannabi, quam instar lini, solertissime subigunt, textrinas domi habentes. Amant *Slaui* maturas nuptias, quas, nisi iusta ætate, non adpetunt. Postquam vero, animum, ad ducendum, induxerunt, vicos peruagantur vicinos, sponsam, suo talamo commodam, conquisituri: quod indagationis genus, *Wyhlady* vocant, quasi *speculatum* diceres. Sicubi puellulas, certo indicio repererunt, harum parentes salutant, accipiunturque prolixa humanitate, quandoque, & accubitu, *multum sibi*, hoc istiusmodi honore, placentes. Nulla tunc nuptiarum mentio: mores illi puellarum, venustatem, rei familiaris curam, & parentum copias, speculantur. Atque, hæc quidem, nocturnis curis peragunt; semel atque *iterum* redeuntes. Tunc, vbi opportunas sibi nuptias, neque negandas facile, hariolari poterunt, vota sua promunt, formulis vsi, pro more & ingenio gentis, conceptissimis. Quodsi vero, negata sponsa, abeundum sit, ingentis id opprobrii loco habent, ideoque, & *Cynthiam* eiusmodi, & parentes, & vicum, quem illi colunt, multis sæpe dicteriis, incessunt. quæ res, infestis iuuentæ congressibus, non raro occasionem præbuit. Sin negotium, ex animi sententia cessit, nihil, lætitia eorum dici potest effusius. Alioquin, fœcunda in primis est natio *Slauorum*, & quasi proletaria, hoc est, in id facta, vt apum instar, fœtificaret, emitteretque examina, passim, per *Hungariam*, nouas datura colonias.

feminarum ingenium:

ambiendarum nuptiarum ritus:

gentis fœcunditas.

§. VI.

Hungarorum *indoles, a* Slauorum *diuersa: eorum desidia increpatur:*

DIuersa, multo est, *Hungarorum* agrestium indoles, non tam naturæ vitio, quam sua ipsorum culpa. Quia enim, & solum, & cælum, *Slauis*, nacti sunt benignius, fit, vt remissius in opus incumbant. Nam, vbi solemnes agriculationis operas, superauerunt, adparatu, quem ex annuo fructu acceperant, quomodocunque victitant; pane plerumque triticeo, brassicis item, non æque leguminibus. Lardum, regionis glandiferæ beneficio, partum & affatim, & in deliciis habent: quippe quod, crudum, neque duratum fumo, salitum tamen largiter, auidissime edunt, optima etiam fercula, præ istis dapibus, fastidientes. Vix illi quidquam agrestium laborum, præter sementem, ipsi faciunt. Fœnisecia, & messem frumentariam, quin & trituram, vicinis *Slauis*, permittunt: quas hi operas, alacres obeunt, & fructuosa, rerum suarum, accessione. Vidimus aliquando, vastissimos agros, & purissimi tritici prouentu grauidatos, ea lege *Slauos*, & messuisse, & extriuisse demessum, vt, cum in agro, *octauus*, quin & *septimus* quisque cumulus, tum in horreo, eadem illa mensura, sua esset. Quod demum laborum præmium, ad ipsos operariorum vicos, decem subinde milliaribus, intra montes, reiectos, boni isti *Hungari*, deuehebant,

bant. Nescio, vnde vetus, ista regione, prouerbium: *Magyar Jobbágy, perlő társ*, id est, qui *subditum habeat* Hungarum, (nam *subditorum* nomine, *homines proprios* vocant nostri) *eum* plerumque *litigantem simul antagonistam habere.* Id certum est, colonos *Slauos*, fructuosiores hero esse solere, quam *Hungaros*, si adtendas, operarum adsiduitatem. Ceteroquin, sui sunt mores, agresti huic generi, idioma crassum, co in primis tractu, quem *Ipola* interluit. Dicunt enim, cum maxime blandiri cupiunt: *Edes leukem, tsoukám, gavambotskám*, id est: *dulcis animula, monedula, columbula.* quæ sunt omnino blandientium, apud *Hungaros*, formulæ; sed corruptæ nimium, & rotundius ita enunciandæ: *Edes lelkem, tsókám, galambotskám.* His, cum sint moribus, tamen disparibus nuptiis, nimiopere gaudent. Nimirum, sponsus, sæpe annos triginta natus, sponsam in torum subinde adducit, vix duodecimum ætatis annum, supergressam: an satis commode, & rustico ingenio conuenienter, adfirmare *non* ausim; eo quod, obseruatum *sit*, ægrius *femellas istiusmodi* reueras, adolescere, & fœtificare tardius, quam pro agrestium fortuna, quibus larga proles, merito in opibus deputatur. Non est ergo operose quærendum: cur *Hungari*, rustici illi quidem, *Slauis*, eadem ista regione, steriliores sint, ac propemodum improles? In promptu causæ sunt, quæ id doceant. Desides, supra diximus, & hiemes, per inertiam extrahentes; cum *Slaui* contra, adsidui sint in opere, & sine cessatione, occupati. Id vero, quam sit ad prolificandum opportunum, quam contra noxium, si lento otio torpeant coniuges, physici norunt. Adde, præcocia illa matrimonia, sicuti ex se frugis nullius, ita corporibus nondum vndiquaque solidis, noxia fieri: quippe quæ, ante redduntur effœta, quam debuissent fœcunda existere. Denique, huc & matrum *Hungararum* insaniam, an indulgentiam, retuleris; quæ infantes, præter morem gentium aliarum, plerumque in tertium, quartum &, quod mirere, quintum, sextum, atque septimum annum, ab *vberibus* diuellere nequeunt, certe nolunt. quæ quidem *lactationis* tempora, necesse *est*, matres, sine noua prole, male prodigere. Relatum accepimus, puerum septennem, eundemque cum patre rusticantem, *subinde ab* aratro, cuius iumenta ductabat, ad matrem cucurrisse, rediisseque iterum, postea quam distenta eius vbera, quam auidissime exinaniuisset, tenellus oppido lactens, & dignus, qui hircum fugat. Quam equidem matrum iniquitatem, duplici de causa, refrenandam esse, existimarim. Altera est, quod pariendi tempora, nequiter eludant, magno, non heri tantum, sed etiam reip. detrimento; altera, quia, vsu didicimus, adultos huiusmodi lactentes, obtusioris fieri indolis, & nullius bonæ frugis. Sed hæc obiter.

idioma infectum:

nubendi tempora præmatura:

Cur Hungari, *fertiliores sint* Slauis?

§. VII.

Russi olim, inter prouinciæ habitatores:

SVnt, qui præter Slauos & Hungaros, *Russos* quoque, prouinciæ nostræ adtribuant. Nimirum, COLOMANNVS, Rusforum colonias, ex

ex *Ladomeria*, & *Gallicia*, huc deduxisse perhibetur, collocasseque iis locis, quæ hodieque *Russici* nominis, præferunt memoriam, ea lege, vt ostiarii essent regii. Hoc vero victor, an victus fecerit COLOMANNVS, non habeo adfirmare. Id certum est, ingentem, a *Russis*, cladem accepisse *Colomannum*; sed matrimonium etiam, quod cum principe eius gentis femina, inierat, adulterii notatum infamia, diuortio, & bellis nouis, occasionem dedisse. Vicus, quem incolebant, *Orosz-falua*, id est, *Ruthenorum* vicus, postea *Nagy-Oroszy*, dici cœptus est: tum, vt ab alio discriminaretur, qui vnicus est prouinciæ *Neogradiensis*, in Danubiali insula, cui *Kis-Oroszy* nomen; tum, vt prærogatiuam loci indicarent, quod peculiaribus iuribus, regum donatus indulgentia, in oppidis census est. Hodie, tametsi adhuc loca ista coluntur, Ruthenicæ tamen gentis, nullum heic amplius, vestigium notari potest; licet superfuerit, ISTVÁNFFI temporibus. Quod eo minus habet admirationis, quia vicus *ille*, cum multis *subinde malis*, ob vicinam arcem *Neogradiensem*, conflictari debuit, quoties, seu a *Turcis* obsidebatur, seu recuperabatur a nostris. cuius rei mentio, recurret, vbi oppidum lustrauerimus.

a Colomanno *rege, adducti:*

eorum colonias, referunt hodieque nomen Russicum:

colonia pridem exinanita.

§. VIII.

CEterum, quæ sit plebis *Neogradiensium* occupatio, nihil iam adtinet recognoscere. Totam eam, agricolationis præcipue laboribus absolui, supra diximus. Quem hinc fructum collegerunt, in vrbes montanas, operosis itineribus, inuehunt: ac meridionalem quidem oram colentes, *Schemnitzium*, reliqui omnes, *Neosolium*. cuius vrbis hebdomadarios mercatus, *Neogradienses*, in primis frequentes faciunt. Frumentum, mercium rusticarum, caput est; & si glans bene prouenerit, porci quoque, egregie saginati. quos agminatim, ad eadem loca, propellunt, aut domi vendunt, his, qui istiusmodi mercibus, ex more, quæstum faciunt. Boues & equos, rarius montium inquilini vendunt; frequentius, qui *in* austrum, *Cserhát*, & planam regionem, *habitant*: eo quod res illic pecuaria amplior est, meliorque. Vnum istud *incommodis* regionis accensendum omnino, quod vrbibus careat, quæ commeatibus indigerent. Oppida certe, quæ habet, tenuiora sunt, paucioraque, quam, vt reditibus plebis veliificari possint; quid? quod & ipsa, rem rusticam faciant. Proinde, habent, *Neogradienses*, cur metallis *Zolienſium*, & *Hontenſium*, bene precentur. Aduersum est enim, si reditus ex fodinis sint ditiores, maiori multis modis, commeatu, metallicorum turbam, indigere; siue, quod augeatur operarum numerus; siue, quod nepotabunda gens, stipem propemodum omnem, in hebdomadas singulas, deglubere soleat. quod, non potest non, cum nostrorum hominum fœnore, coniunctum esse. Vinum Neogradiense, rarius aliorsum euehitur; cum *Schemnitzienſes* quidem, vicinorum; *Neosolienſes* autem, præter *Hontenſe*, *Miskoltzienſe*, iuxta & *Tokaienſe*, bibere malint. Neque tamen defuerunt, quibus se

Plebis Neogradiensis *occupationes, quam fructuosæ:*

frumenti, in vrbes montanas, frequens, & fructuosa vectura:

non item vini.

Kosdienſe, ob guſtus præſtantiam, probauerit ſæpius. Iſta, agreſtes opes permutandi, apud *Neogradienſes*, ratio eſt, quam iis fructuoſiorem, in poſterum, toto animo precamur.

§. IX.

Magiſtratus *Neogradienſium*:

AD *Magiſtratus* prouinciæ, quod adtinet, & rerum adminiſtrandarum formam, tota ea, ad legum patriarum normam, compoſita eſt; & muneribus abſoluitur iisdem, quæ toties meminimus: ſi iura quædam *municipalia* exceperis, quæ mutuo nobilitatis conſenſu, lata ſunt, ſancitaque. Nam, gaudent ea libertate *Hungariæ Comitatus*, vt, pro eo, ac neceſſe eſt, domeſticas ſibi ipſis leges ferre, & ex earum præſcripto, ſi id vſus tulerit, ſententiam poſſint dicere: ea tamen prouidentia, ne quid, priuatæ huiusmodi ſanctiones, habeant, quod *publicis regni* legibus, *quomodocunque* contraeat. Huc vſque, in laude *Magiſtratuum Neogradienſium* ponebatur, quod iuſti & æqui, ſtudioſiſſimi exſtiterint. Certe largitionibus, ſiue litigantium, ſiue plebis queruloſæ, corrumpi, infamiæ ſuppar habetur, neque committitur facile, vt publicorum munerum procuratio, apud hæc iſtiusmodi reip. dedecora, vltra annuum ſpatium, relinquatur. In primis, eximia, in diſpertiendis tributis, noſtrorum, cum æquitas eſt, tum ſolertia. Nimirum, quia in numerato habent, non vicorum modo omnium opportunitates; ſed ſingulorum etiam ruſticorum copias, hoc eſt, iumenta, agros, prata, & quæ ſunt agreſtes opes aliæ; non facile euenit, vt, ſeu vici integri, ſeu incolarum ſinguli, plus iuſto, tributis onerentur. Qua quidem æquitate, fieri neceſſe eſt, vt, & præſtandis tributis, tum quoque par ſit plebs, cum ſunt tempora difficillima; neque ad vertendum ſolum, iniqua nimietate, adigatur: id quod aliis *Comitatibus*, & tunc ſolitudinem adtulit, cum per temporum qualemcunque felicitatem, *incolis*, *iuxta* & *opibus*, locupletari debuiſſent.

vrsum lam:

corrumpi largitionibus, probroſum ducunt:

partiendorum tributorum æquitas.

§. X.

Eligendorum Magiſtratuum *ratio:*

INſtaurandorum *magiſtratuum* ſolemnitas, triennalis eſt: quos, ſi commodos habuere, vno omnium voto, niſi aliter magiſtratus ipſi voluerint, porro confirmant; quod tunc aliter ſe habet, vbi noxæ aliquid, aut malæ famæ, ſibi collegerunt. Aduerſum autem eſt, nullos minus ad clauum reip. admotos hucusque fuiſſe, quam, qui eam dignitatem, obliquis artibus, ambiebant: nullos quæſitos magis, quam, qui locum illum, defugiebant. quæ res, quam fuerit, cum publica vtilitate coniuncta, illi ſatis intelligunt, qui cum magiſtratuum integritate, communem felicitatem, coniunctam eſſe ſolere, vſu didicerunt. Hinc, non facile vnquam, a priſco eligendorum magiſtratuum ritu, ſeceſſionem faciunt noſtri. Nempe, optimi

circumſpectio, qua utuntur:

timi quique e nobilitate, in candidatorum numerum leguntur, quos demum, non clientelarum fauor, aut emendicatæ bonorum voces; ſed plurimi calculi, iique ingenue collecti, in ſuam quemque dignitatem, adſciſcunt. quem nos ritum, & perpetuum *Neogradienſibus* precamur, & optimi ſucceſſus. Priuata prouinciæ comitiola, paſſim, pro rerum, de quibus conſultandum eſt, ratione, coeunt; ſed *Iudiciariæ*, quas vocant, *Sedes*, Loſontzini habentur ſemper, idque antiqua lege. quod & locus, accipiendis aduenis, commodus eſt, & domus, ad eum finem, heic iam pridem excitata, atque, iisdem, cum templo muris, incincta: vbi iam, poſt deletum *Filek*, tabularium quoque conſtitutum eſſe, relatum accepimus.

comitiorum loca variant: Sedes Iudiciariæ Loſontzini fiunt.

§. XI.

FAs nunc eſſet æquumque, inde, ab vltima memoria, *Supremorum Comitum* (*c.*) nomina, repetere, & ab ingrata oblitione vindicare. Sed, cum nos domeſtica *Neogradienſium* monumenta, deſtituant: quippe quæ, arcis *Filekienſis* occaſus, penitus interuertit; ſuffecerit, dum plures eruderari potuerint, ſeculi XVII. *Comites ſupremos*, enumerauiſſe, perpetua ſerie, ex *illuſtri*, eaque antiquiſſima FORGÁCHIORVM gente, regum prouidentia, delectos.

Supremorum Comitum, *e gente* Forgách, *catalogus.*

SIGISMVNDVS II. FORGÁCH Lib. Baro, perpetuus de Gyimes. Primum Iudex Curiæ Regiæ, deinde, Anno MDCXVIII. *Palatinus Regni Hungariæ.* Quam ille dignitatem, difficillimo patriæ tempore, ſumma cum moderatione geſſit. Primus ex hac gente, *ſupremus* Neogradienſium *Comes*, idemque arcis *Gátſch* dominus. Moritur anno MDCXXI pridie Calend. Julii, *Tyrnauiæ*, magno Cæſaris, regni, ac prouinciæ, deſiderio.

ADAMVS I. FORGÁCH, Sigismundi II. Filius, primus in *Comitum* numerum, FERDINANDI III. indulgentia, cum Fratre *Iohanne Sigismundo*, Anno MDCXL. relatus. Præfuit variis muneribus. Et ſub FERDINANDO quidem III. cubicularius, præſidii *Szétsénienſis* ſupremus, & *Erſek-Vjvarienſis*, *Vice-Capitaneus*, atque conſiliarius, exſtitit. Dignitates easdem, LEOPOLDO I. rerum potito, non retinuit modo; ſed nouis etiam acceſſionibus, locupletauit. Erat quippe, *Pincernarum Regalium Magiſter*, poſtea *Iudex Curiæ Regiæ*, atque *Generalis*, quem vocant, *Campi Marſchallus.* Idem, & ditionem *Galgócz* 180000. florenorum, gente Thurzonum exſtincta, ſuam fecit. Denaſcitur anno MDCLXXXI. *Rajkæ*, in Comitatu Moſonienſi, octogenario propemodum maior.

ADAMVS II. FORGÁCH, patri *Adamo I.* ſucceſſit, fide in Cæſarem, quam ei intemeratam ſeruauit, in primis commemorandus. Vir

c.) In Diplomate COLOMANNI R. Tragurinis in Dalmatia dato, SLAVIZ, Comes Nouogradenſis, legitur apud IOHANNEM LVCIVM, de Regno Dalmatiæ & Croatiæ, Lib. III. Cap. IV. p. 117. b. ad annum MCVIII.

magnanimis, & multorum, aduersus *Turcam*, præliorum consors. Vitam cum morte commutauit, anno MDCCXVI. d. XXVII. Iulii, ætatis LIII. *Rajkæ*, apud Mosonienses, vbi, & paterno sepulchro, illatus est.

IOHANNES ADAMVS III. patre ADAMO II. genitus, eique a Cæsare Augusto, rege optimo, ingenti vniuersæ nobilitatis adplausu, successor datus. Moritur anno MDCCXXXV.

FRANCISCVS IX. Germano fratri, CAROLI VI, indulgentia, magna prouincialium adsensione, nuper surrogatus: vir, sicuti militiæ clarus, ita, æqui ac iusti, in administranda republica, cum laude tenax. *Feliciter!*

§. XII.

Eiusdem gentis antiquitas, & merita, diplomate regio, docentur.

SEd, quia in mentionem antiquissimæ gentis FORGÁCHIANAE, ventum est, iuuat eius, cum origines, oppido vetustas, tum merita, in reges, & patriam, ex regio diplomate, adeoque procul omni adsentatione, *commemorauisse*. *Ita vero illud:*

„ FERDINANDVS III. D. G. Electus Romanorum Imperator, semper „ Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. &c. Rex &c. „ Vobis fidelibus nostris, Spectabilibus & Magnificis *Comitibus*, „ *Adamo Forgách de Ghymes*, Neogradiensis, præsidii nostri Szétsé- „ niensis supremo Capitaneo &c. consiliario; & *Iohanni Sigismun-* „ *do Forgách de dicta Ghymes*, Borsodiensis, Comitatuum Supremis „ Comitibus, cubicularijs nostris, filiis quondam Comitis SIGIS- „ MVNDI, filii SIMONIS, filii alterius SIGISMVNDI, filii GREGORII, filii „ IOHANNIS, filii PETRI FORGÁCH de prænotata Ghymes, filii ANDREAE „ FORGÁCH de Lekenye, alias de Kozmárz, filii NICOLAI de dicta Le- „ kenye, filii alterius ANDREAE Comitis de Banya, filii olim Comitis „ IVANCAE, Fratribus Germanis. Salutem ac Cæsareæ, & Regiæ erga Vos nostræ gratiæ & clementiæ, continuum incrementum. Si „ laude digni habentur ii, qui ex re tenui & angusta, ad virtutem „ & gloriam enituntur, non *minus laudandi celebrandique sunt illi* „ *quoque, qui partum virtute maiorum nobilitatis decus*, & vitæ „ splendorem, insignesque titulos & honores in sese, *non* modo non „ patiuntur consenescere; sed virtutem sibi *sequendam* proponentes, „ non nisi alta spirare, capessendisque & aggrediendis magnis & splendidis quibusuis rebus & actis, sese adaptare consueuerunt. Non „ enim minori cum difficultate, cura atque labore transmissi ad posteros tituli, & honores retinentur, quam a maioribus acquiruntur. Ita sane plurimum celebrandi sunt ii, qui domestica gloria „ non contenti, suo quoque marte & solerti industria fortibusque „ & animosis actis, genus & familiam suam, alioquin celebrem vetustamque & nobilem, maioribus honoris & gloriæ titulis, illustrare condecorareque contendunt. Et licet hos quidem ipsa virtus remuneretur; quia tamen principum quoque, ac eo magis „ nostrum, quem DEVS Opt. Max. Potentatum Christianorum „ maximum constituit Monarcham, inter alia quoque non postremum

mum esse voluit officium, virtutis vtpote & honestatis cultores, „ propenso semper animo fouere, ad altiora euehere, & in exem- „ plum aliorum remunerari; officio tali nostro, peculiari quodam „ naturæ nostræ instinctu, inde a primis Imperii felicisque regiminis „ nostri exordiis, hucusque semper haud grauatim respondere cona- „ ti sumus, nihil antiquius habentes, quam eos, quorum singularis „ erga nos, & sacrum diadema nostrum fides est conspicua, præ- „ claris honorum titulis, in perennem rerum a se gestarum memoriam, „ cohonestemus. Cum autem intelligamus, ex ea Vos familia ac „ prosapia originem ducere, quæ viros complures a singulari pru- „ dentia ac auctoritate, in primariis regni functionibus, cum dignita- „ te sustinendis exercitatos, & proinde domi forisque celebres, & „ belli pacisque artibus claros, produxerit: vnde per varios hono- „ rum gradus, quod historiæ, aliaque passim monumenta testifican- „ tur, diuorum quondam *Hungariæ Regum*, prædecessorum nostro- „ rum, benignitate, in Regno sunt prouecti, & adhuc Anno Millesi- „ mo ducentesimo, in Comites creati, & Comites de Iuanca nominati, „ cuius quidem filius minor natu, THOMAS, dum ad Sajum fluuium, „ acerrimum cum Tartaris prælium iniretur, fortiter decertando oc- „ cubuit, præfatus vero olim ANDREAS, maior natu, Comes de Ba- „ nya appellatus, postquam fidelitatem suam erga BELAM Ducem, „ filium Regis BELAE quarti, amorem in patriam, multis argumentis & „ occasionibus comprobasset, in Anno Domini Millesimo Ducentesi- „ mo quadragesimo septimo, Magistri Tauernicorum Regalium, præro- „ gatiua & officio, qui honos in iure, Liberis Ciuitatibus dicundo, sum- „ mus est, insigniri, atque ad eum gradum & titulum promoueri me- „ ruit: quibus fidelitatis obsequiis, ac Regi suo gratissimis meritis, „ possessionem Ghymes acquisiuisse, ibidemque castrum eius nominis, „ exstruxisse perhibetur. Cuius duo filii IVANCA & ANDREAS, Regi CA- „ ROLO fidelitatem *Anno Ducentesimo nonagesimo primo* supra Milles- „ mum, *ipsa* etiam morte contestari non dubitarunt. Superstes au- „ tem tertius, NICOLAVS Lekenye donatus, vnde Comes de Leke- „ nye appellari meruit. Prænominatus porro PETRVS, alias Ianitorum „ Regalium in Hungaria, ac Curiæ Regialis Magister, anno Millesimo „ quadringentesimo decimo octauo, ad coercendam Polonorum te- „ meritatem, qui eo tum Regni Hungariæ fines armis infestassent, a „ diuo quondam SIGISMVNDO Imperatore, & Rege Hungariæ, prædecessore nostro, cum exercitu missus, & hic quidem bona Ghymesiana auxisse, sibique titulum rursus de Ghymes vendicasse, perhibetur. Ac dictus IOHANNES, ad persequendam profanam Hussitarum „ gentem, quæ pernicioſissimo suo dogmate totam Bohemiam & magnam partem Germaniæ infecerat, anno Quadringentesimo decimo „ quinto supra millesimum, ab eodem Imperatore ac Rege, similiter „ cum exercitu euocatus, præclara generis ac virtutis eorundem militaris, meruisse dicuntur testimonia. Prælibatus autem GREGORIVS, „

„ Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo trigeſimo ſeptimo, Supremi
„ Comitis Comitatus Barſienſis, & SIGISMVNDVS, Theſaurarii Regni
„ officiis condecorati, iisdem per totam vitam, cum laude functi fuiſ-
„ ſe perhibentur. Antelatus quoque SIMON FORGÁCH, Auus Veſter,
„ præclaris maiorum ſuorum virtutibus incitatus, inde a primis iuue-
„ nilibus annis, operam ſuam, ſacræ cum primis Regni noſtri Hunga-
„ riæ Coronæ, & deinde inclytæ Auguſtæque domui noſtræ Auſtriacæ,
„ deuouens, in diuerſis apertis bellis, ſub felici regimine ſacratiſſi-
„ morum olim Principum MAXIMILIANI & RVDOLPHI ſecundi, Roma-
„ norum Imperatorum, ac Regum Hungariæ, Prædeceſſorum & Pa-
„ truorum noſtrorum, feliciſſimarum recordationum, cum hæredi-
„ tariis Chriſtiani nominis Turcis, varia martis alea & miro rerum euen-
„ tu geſtis, diuerſis conflictibus arcium & fortalitiorum oppugna-
„ tionibus, prudentiſſimi Ducis, ſimul & militis fortiſſimi munia
„ obeundo, ac in Regni confiniis, & primo quidem in expugnatione
„ arcis Lippa, iam tum in ipſo flore iuuentæ militia clarus, acerrime
„ pugnans, vndecim vulneribus acceptis, & vtroque crure, lancea
„ traiecto, inter cadauera ſemianimis repertus, ægreque ſanatus, egre-
„ giæ planæque heroicæ virtutis ac fortitudinis ſuæ laudem retuliſſe;
„ deinde vero, quum Anno quingenteſimo quinquageſimo quinto,
„ ſupra milleſimum, Arx Temesvár a Turcis oppugnaretur, adducta
„ ex proprio ſtipendio turma equitum, tam in defenſione loci illius,
„ quam etiam aperto campo, cum perfidis hoſtibus manus conſeren-
„ do, & præclara fortitudinis ſuæ militaris facinora edendo, tandem
„ arce rerum omnium difficultate laborare cœpta, expugnata, con-
„ tra datam fidem, multis confoſſum vulneribus, naſoque inter pu-
„ gnandum mutilato, in manus hoſtium incidiſſe, & ex eadem capti-
„ uitate, nonniſi graui prius lytro depoſito & exſoluto, libertatem
„ conſecutus fuiſſe, ac poſtmodum in celebri illo conflictu, & pugna
„ Kereszteſiana, eximia fortitudinis ſuæ ſpecimina, edidiſſe. *Tem-*
„ *poris autem ſucceſſu, meritis* ac virtutibus ſuis, ita exigen*tibus*, in
„ Anno videlicet Domini Milleſimo Quingenteſimo ſexageſimo, Ca-
„ pitaneatum Waradienſem, & officium Generalis Capitaneatus par-
„ tium Regni vltra Tibiſcanarum, ac Anno quingenteſimo ſeptua-
„ geſimo ſecundo ſupra Milleſimum, Capitaneatum Agrienſem aſſe-
„ cutus fuiſſe dicitur; donec Anno Milleſimo quingenteſimo nona-
„ geſimo ſecundo, officio Generalis Capitaneatus partium Regni Cis-
„ Danubianarum, ac inſuper Pincernarum Regalium Magiſtri munere
„ inſignitus, tamquam optimus Patriæ Ciuis, in proſperis pariter &
„ aduerſis, fideliſſimum ſeſe ſemper atque charum Regibus ſuis præſti-
„ tiſſe, ac omne ſuum ſtudium laborem ac diligentiam, in pro-
„ motionem publici boni, & tuendæ conſeruandæque Patriæ emolu-
„ mentum collocaſſe dignoſcitur. Cuius duo filii, SIGISMVNDVS nempe
„ & FRANCISCVS, in vtroque ſtatu Eccleſiaſtico ſcilicet & Politico, ad
„ generis & familiæ ſuæ claritatem locupletandam, recentibus ſuis vir-
tutibus,

tutibus, magnam lucem & ornamentum addiderunt. Et hic qui- „
dem Vir, cum primis in omnibus ſcientiarum facultatibus diſertiſſi- „
mus, & exercitatiſſimus varia in Regno beneficia, & quidem Anno „
Milleſimo Quingenteſimo nonageſimo ſexto, Epiſcopatum Veſzpri- „
Mienſem; anno vero Quingenteſimo Nonageſimo nono ſupra mille- „
ſimum, Nitrienſem, expoſt etiam, Anno Milleſimo Sexcenteſimo de- „
cimo, Archiepiſcopatum Eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis ade- „
ptus, ac cum laude ſuſtinens, tandem ob excellentes animi ſui do- „
tes, in ſacrum quoque Cardinalium Collegium recipi meruit, ſic- „
que virtutum gloria ſtipatus, & optimis erga Patriam & Reges ſuos „
meritis clarus, ad illuſtrandam ſuam familiam multum nominis & „
ſplendoris adiecit. Ille vero, Genitor vtpote veſter, pace & bello „
præſtans, conſilio grauis, & ceteris laudabilibus animi dotibus ra- „
rus, diuerſis quoque officiorum muniis in Regno functus, inſigne „
vbique virtutis & gloriæ expetitæ, de ſe dediſſe ſpecimen. Et qui- „
dem, poſteaquam in primis iuuentutis annis, in Aula Stephani Báthori, „
Regis Polonorum verſatus, eidem obſequiis gratiſſimus exſtitiſſet, „
ætate deinde maturiore ſuccedente, omnibus ingenii ac animi vi- „
ribus in id incubuiſſe, vt cumprimis Sacræ Regni Coronæ, & inclyt- „
æ Domui noſtræ Auſtriacæ, ſumma ſemper fide ac ſinceritatis con- „
ſtantia, & alacritate famulari & inſervire poſſet variis occaſionibus, „
tempore aperti belli, per Auguſtum Imperatorem Romanorum, & „
Regem Hungariæ RVDOLPHVM SECVNDVM, felicis memoriæ, contra „
naturalem hoſtem Chriſtianitatis, Turcam, geſti, tam in obſidioni- „
bus, quam etiam particularibus expeditionibus, legationibus, & di- „
uerſis tractatibus, pro virili ſtrenuam operam nauaſſe perhibetur. Ta- „
libus itaque virtutis ſpeciminibus editis, meritisque ſuis ita exigenti- „
bus, per præfatum Imperatorem, & Regem RVDOLPHVM, ac diuum „
quondam MATTHIAM, in Imperio & Regno Hungariæ eidem ſuccedentem, „
ad altiores quoque honoris & dignitatis gradus euectus: Et „
quidem in Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo nonageſimo no- „
no, in numerum & ordinem Conſiliariorum, anno vero Sexcente- „
ſimo quarto ſupra Milleſimum, Pincernarum Regalium Magiſter de- „
claratus; Anno Milleſimo ſexcenteſimo ſexto Iudicis Curiæ Regiæ „
titulo condecoratus; poſtmodum autem a prælibato Imperatore & „
Rege, MATTHIA SECVNDO, tam Comitatuum, Saroſienſis, Neo- „
gradienſis, & de Zabolch Comitum titulis, quam officio Generalis „
Capitaneatus, partium Regni ſuperiorum inſignitus, in iisdem fun- „
ctionibus ſtrenue, nec laboribus fracto animo deſudans, præclarum „
virtutis & ingenui erga Patriam & Chriſtianam Remp. affectus ſui „
ſymbolum exhibuit; donec in Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo „
decimo ſexto, publicis regnicolarum ſuffragiis, in Regni Palatinum „
ab eodem euehereetur. In qua quidem primariæ dignitatis functio- „
ne, & officio, toto vitæ ſuæ tempore, ea fidelitatis ſtudia, ipſum „
præſtitiſſe & exhibuiſſe conſtat, quæ vſpiam a ſolerti fidelique & „
con-

„ conſtanti Seruitore, in vtroque fortunæ euentu, cum perpetua &
„ inſigni nominis ſui laude exſpectari oportebat, Patriaque & Natio
„ Hungarica, curam & ſolicitudinem, in conſeruationem eius, aſſe-
„ rendamque tranquillitatem & permanſionem, ac ipſa functio ab ipſo
„ expoſcebat. Cum autem virtus per ardua tendat, in rebusque
„ aduerſis magis illa eluceſcat, poſteaquam ſuperioribus annis, Tranſil-
„ uaniæ quondam Princeps GABRIEL BETHLEN, nociuam & clandeſti-
„ nam conſpirationem, cum perduellibus tunc iam in Regno Bohe-
„ miæ, & circumiacentibus hæreditariis Prouinciis noſtris, graſſanti-
„ bus & deſæuientibus foueret, & terna quidem vice, valido cum ex-
„ ercitu Turcarum quoque, infenſiſſimorum Chriſtiani nominis ho-
„ ſtium, auxilio & ſuppetiis ſtipatus, ex Tranſiluania egreſſus, ditio-
„ nes præfatæ ſuæ Cæſareæ Regiæque Maieſtatis, & conſequenter no-
„ ſtras, ferro & igne inuaſiſſet perfide, multique regnicolarum partim
„ metu perculſi, partim rei nouitate pellecti, leuiter & temere a
„ conſtantia *fideque*, & *fidelitate ſacræ Regni* noſtri Hungariæ Co-
„ ronæ debita, deficientes, ſeditioſis & nefariis Bethlenii factionibus,
„ adhæſiſſent, & contra Regem ac publicum Regni bonum, arma ſum-
„ ſiſſent; dictus Comes SIGISMVNDVS FORGÁCH, auitæ maiorum ſuorum
„ virtutis, conſtantiæ, & fortitudinis memor, infracto & excelſo ani-
„ mo pro dignitate & auctoritate legitimi Regis & Domini ſui obſer-
„ uanda, nullos labores, ſed nec vitæ ac ſuorum impendentia pericula
„ pertimeſcendo, vel facultatibus expenſisque ſuis parcendo, bonorum
„ ſuorum & ampliſſimarum facultatum, etiam iactura & detrimento,
„ prompto & exſerto deſideratæ fidelitatis & conſtantiæ exemplo,
„ præluxit. Qui demum, vbi partes officii ſui, ſumma cum laude &
„ nominis ſui exaltatione obiret, in Seruitiis Regni Inclytæque Domus
„ Noſtræ Auſtriacæ obſequio, poſteris ſuis, cum maximo ſui deſide-
„ rio, ad virtutem ſectandam viuidum relinquens exemplum, anno
„ Milleſimo Sexcenteſimo vigeſimo primo vltimum ſuum clauſit *diem.*
„ *Quorum laudabilibus veſtigiis, vos quoque* ADAME & IOHANNES SI-
„ GISMVNDE FORGÁCH, inhærere ſemper contendentes, & inde ab
„ adoleſcentia Veſtra, virtutem ſequendam proponentes, ſpretis vitio-
„ rum ac deſidiæ illecebris, laboribus ac corporis exercitiis vosmet
„ dedentes, vt Sacræ Regni noſtri Hungariæ Coronæ, inclytæque &
„ Auguſtæ Domui noſtræ Auſtriacæ, & per conſequens, Maieſtati
„ quoque noſtræ, ſumma ſemper fide, ac fidelitatis conſtantiæque
„ zelo & alacritate, complacendique ſtudio inſeruire poſſetis. Hinc
„ & ipſa adoleſcentia Veſtra, parentum ſtudio & diligentia in alias Chri-
„ ſtianitatis ditiones & prouincias miſſi, non ſolum politioribus diſci-
„ plinis animos exercuiſtis, verum etiam eos, qui armis & rerum
„ domi bellique geſtarum gloria aliis præſtarent, iam tum æmulandi
„ cupiditate incenſi, imitandos conſtanter proponendo, inibi verſati
„ eſſis, & prorſus animo ac propoſito honeſtiſſima conſilia ſecuti, vt
„ olim Reip. Chriſtianæ & Patriæ, vniuerſa vitæ ratio, atque omnia
ſtudia

ſtudia Veſtra, accommodata redderentur. Hinc exterarum regio- „
num, ſtatuum & conditionum, atque hominum linguas mores- „
que & conſuetudines, quibus diuerſæ nationes vtuntur, cognoſcendi „
deſiderio tacti, (præſertim vero tu ADAME) varias peregrinas regio- „
nes & loca diſſita, perluſtraſtis. Vnde demum, poſt emenſas annis „
iuentutis peregrinationes (ea quidem ſpe, quaſi ingenio, indu- „
ſtria & virtute Veſtra quoque, tamquam optimorum ciuium patriæ, „
priſtinarum *dignitatum* incrementa, & vetera ſua ornamenta reſti- „
tuenda reputarentur) reuerſi, iactoque in Aula præfatæ ſuæ Cæſareæ „
ac Regiæ Maieſtatis, FERDINANDI SECVNDI, virtutum Veſtrarum funda- „
mento, officio Cubiculariatus inſigniti, pluribus annis, & poſtmo- „
dum etiam eadem Maieſtate Cæſarea & Regia, fato cedente, Tu, Io- „
HANNES SIGISMVNDE, in Aula Noſtra, prout etiam in præſentiarum, „
eodem officio fungens, Vos laudabiliter & fideliter geſſiſtis. Porro, „
Tu, ADAME, aula egreſſus, amore patriæ, & ab infeſtationibus per- „
ennium Chriſtiani *nominis hoſtium*, Turcarum, tutandæ ſtudio, „
militari diſciplinæ te adplicando, in præſidio noſtro Zéchinenſi, cu- „
ius Capitaneatu etiam nunc cum laude fungeris, ad omnem occaſio- „
nem ſtrenuum & cordatum Ducem, pariter ac militem te exhibuiſſe, „
multisque & variis Turcarum excurſionibus reprimendis, ac dimi- „
cationibus perſonaliter interfuiſſe, Teque ibidem ſtrenue ac militari- „
ter geſſiſſe, compertum habemus. Ad quam quidem animi forti- „
tudinem, & declarandam hactenus in rebus agendis dexteritatem, „
aliis quoque laudabilis ingenii qualitatibus ac virtutibus accedentibus, „
omnino Te dignum iudicauimus, qui in numerum quoque fidelium „
Noſtrorum Conſiliariorum adſciſcereris. Quorum omnium, tam „
præmiſſorum, quam aliorum plurimorum, per Vos maioresque & „
progenitores Veſtros, domi & militiæ laudabiliter, & vtiliter, præ- „
ſtitorum, præclareque factorum, & Anteceſſorum quoque Veſtro- „
rum gratia, & *Noſtram erga vos* ſingularem propenſionem & cle- „
mentiam, præſtitæque fidei & *fidelitatis Veſtræ*, conſtantiæque & „
alacritatis memoriam, nunquam intermorituro teſtimonio cohone- „
ſtemus, quo *Veſtro* exemplo, non ſolum gratæ & ſeræ poſteritati „
Veſtræ; ſed aliis etiam fidelibus Regnicolis ac ſubditis noſtris, vir- „
tutes veſtras, & ſimilia bene merendi ſtudia, amplectendi & imitan- „
di maius incitamentum, & calcar a nobis addatur: Vos ADAMVM, & „
IOHANNEM SIGISMVNDVM FORGÁCH, vti optime meriti eſtis, alioquin „
etiam honore & titulo Comitum, a Germanica natione, Graff nuncu- „
patorum, gaudentes, quo in ſtatu hactenus quoque laudabiliter „
verſati eſtis, hæredes & poſteros Veſtros, vtriusque ſexus, vniuer- „
ſos, ex legitima ſerie deſcendentes, ſuper dicto caſtro & diſtrictu, „
ſiue Dominio Ghymes, in liberos, maiores & perpetuos Comites, „
ſolenniter pronunciauimus, creauimus, & præfecimus, Vosque & „
Veſtros hæredes, liberos & perpetuos Comites de Ghymes, ab „
omnibus dici, nominari, ſcribi, haberi & prædicari volumus. De- „

„ cernentes, & ex certa noſtra ſcientia, animoque deliberato conce-
„ dentes, ac ſtatuentes, vt Vos, ADAME, & IOHANNES SIGISMVNDE FOR-
„ GÁCH, hæredesque Veſtri vniuerſi, ſicut hactenus cera rubra, quoad
„ ſigillum inſignium præfatæ arcis ac Dominii Ghymes, ac ceteris
„ omnibus gratiis, prærogatiuis, honoribus, indultis, libertatibus,
„ ac priuilegiis, quibus ceteri dicti Regni noſtri Hungariæ, aliorum-
„ que Regnorum & Partium illi ſubiectarum, Liberi ac perpetui Co-
„ mites, de iure, & ab antiqua conſuetudine, vel alias qualitercun-
„ que vſi ſunt, & gauiſi, vtunturque & gaudent, vti frui & gaudere,
„ perpetuis ſemper temporibus, poſſitis & valeatis. Immo pronun-
„ ciamus, creamus, præficimus, volumus, damus, decernimus, ſta-
„ tuimusque & concedimus. Harum noſtrarum, ſecreto ſigillo no-
„ ſtro, quo, vt Rex Hungariæ, vtimur, impendenti, commu-
„ nitarum vigore & teſtimonio, litterarum. Datum, per manus fidelis
„ noſtri, nobis dilecti, Reuerendi Georgii Lippay de Zombor, Epi-
„ ſcopi Eccleſiæ Agrienſis, perpetui Comitis de Heues, Conſiliarii no-
„ ſtri, & Aulæ noſtræ per dictum Regnum noſtrum Hungariæ Can-
„ cellarii, in ciuitate noſtra Vienna Auſtriæ, die XII. Menſis Maii. An-
„ no Domini MDCXL. Regnorum noſtrorum, Romani quarto, Hun-
„ gariæ & reliquorum decimo quinto, Bohemiæ vero decimo tertio.
„ FERDINANDVS. GEORGIVS LIPPAY EPISCOPVS AGRIENSIS. GEORGIVS
„ OROSY. *Hactenus diploma.*

§. XIII.

Familiæ Neogradienſium illuſtres aliæ:

ISTis ergo, facinoribus, meruit gens FORGÁCHIORVM, vt ſeſqui pro-pemodum ſeculo, cum dignitatibus aliis, tum in primis, axiomate *Supremorum Prouinciæ Neogradienſis Comitum*, inſigniretur. Ante ea tempora, munus id longe honoratiſſimum, vetuſtiſſimarum familiarum perſonis, ſubinde, ac prout res ferebat, adtribuebatur. *In* his fuerunt: BEBEKII, RASKAII, *ORSZÁGII, & LOSONTZII*, celebria, in annalibus Hungaricis, nomina; ſed, quæ exſtincto genere, pridem eſſe deſierunt. Patria his plerisque, *Comitatus Neogradienſis* fuit, quorum ideo laudes, & præclari actus, non potuerunt non regionem hanc, cum celebrem reddidiſſe, tum acceptam regibus. Hinc præterea, multæ aliæ familiæ, oppido illuſtres, & quæ florent hodieque, prodierunt: Comites BALASSII, *de Balaſſa-Gyarmath*; BÁNFFII, *de Loſontz*; BERÉNYI, *de Karánts-Berény*; KÉRI *de Ipolykér*. Præter hos, ſuæ hic ſunt ditiones, Comitibus: KOHÁRY, ESZTERHÁZY, & ZICHY, iam pridem, iure hæreditario, poſſeſſæ. Quin, & poſteri *Baronis* FRANCISCI SZLVHA, de IKLAD, cui nuper, arx *Salgó*, cum vniuerſa ditione, optimi regis munificentia, in hæredium ceſſit, hic in poſterum cenſebuntur.

§. XIV.

Comitum Balaſſa, ortus & propagines,

SEd, ad BALASSIOS redeamus, vetuſtum genus, & belli artibus cum primis illuſtre. DETRICVS his, ſiue *Dietericus*, aliis *Henricus*, initia,

initia dedit, oppido clara, & geſtis regni magiſtratibus, memoranda. Præterquam enim, quod regnante BELA IV. *Comes de Zólyom*, fuerit, proregis ſimul dignitate, functum fuiſſe, domeſtici tabularii monumenta, ab ANDREA Hieroſlymitano, Dionyſio Palatino, & Venerabili Capitulo Strigonienſi, ad annum MCCCXXX. perſcripta, fidem faciunt. *Mikonem* hic I. *Petrum* itidem I. Comaromienſem, & Kraſznæ Comitem, *Nicolaum* præterea I. & *Detricum* II. *Comitem Poſonienſem*, genuit. Improles hi omnes, rebus humanis ſunt exemti; ſi *Mikonem* I. Zolienſium Comitem, excipias. Plures huic nati fuere. Suſcepit enim *Michaelem* I. duodecim arcium poſſeſſione, ſua quadam culpa, mulctatum. *Nicolaum* II. *Iohannem* I. *Mikonem* II. & *Bytterum* de Kékkő, Barſchienſis, atque Hontenſis prouinciæ, *Supremum Comitem*; eundemque, fratribus, ſine hærede mortuis, *Michaelis* II. *Iohannis* II. *Georgii* I. *Nicolai* III. & *Petri* II. *Bytter*, parentem. Tres huic filios fuiſſe, accepimus, *Iohannem* III. *Georgium* II. & *Nicolaum* IV. quorum hic *Blaſium*, cognomento *Magnum*, familiæ ſtatorem, *Ladiſlaum* I. *Iohannem* IV. *Emericum* I. *Georgium* III. & *Mikonem* III. genuit. Nulli inter tot fratres, præter *Blaſium*, hæredes ſuperabant. Hic ille fuit, qui *Gyarmathum*, oppidum caſtrumque, *Ipolæ* adſitum, ex ſuo nomine, *Balaſſa-Gyarmath*, adpellauit, cum antea, *Nagy*, ſiue *Magnum Gyarmath*, nominaretur. Vnicum hic filium, *Nicolaum* V. Hontenſium Supremum Comitem, ſuſcepit, *Georgii* IV. *Stephani* I. *Clementis*, *Michaelis* III. *Sigismundi* I. & *Ladiſlai* II. genitorem. qui vltimus, ad quinta vſque vota progreſſus, genus, in totidem filios propagauit. Fuere hi: *Franciſcus* I. *Bernardus* I. *Nicolaus* VI. *Georgius* V. & *Iohannes* V. Ex quibus quidem, *Iohannes* V. vltimo genitus, *Wolffgangum* I. *Ladiſlaum* II. & *Nicolaum* VII. omnes improles, genuit. Ergo, *Franciſcus* I. idemque primogenitus *Ladislai* II. fœcundo traduce, in *Melchiorem* I. *Ferdinandeum* belli ducem, *Iohannem* VI. Zoliensis, & Hontenſis, Comitatuum, Supremum Comitem, atque montanarum vrbium præfectum, *Emericum* denique II. inclutum genus, proſcuit. Et *Melchioris* quidem I. *Balaſſa* poſteri, in pronepotibus *Franciſco* V. & *Petro* III.; *Iohannis* autem VI. in nepote *Iohanne* VI. *(d.) Valentini* I. filio, eſſe deſiere: vt adeo ſolius *Emerici* II. *Franciſci* I. tertiogeniti propaginibus, hodieque conſtet gens *Balaſſiorum*: quippe qui, *Andream* I. iſte *Sigismundum* III. hic, *Iohannem* VIII. *Andream* II. & *Simonem* I. hodiernorum *Balaſſiorum*, auos, genuit. quorum nomina atque titulos, tabula, quam exhibemus, genealogica, deſignat.

§. XV.

Ordo equeſtris, & huius fortitudo militaris, ac prærogatiuæ:

RElíquus *(e.)* equeſtris ordo, olim, virtute bellica celebratiſſimus, vix definiri poteſt. Multitudinem inde colligas, quod, vbi vi-

d.) Exſtat hodieque, *Iohannis* huius Epitaphium, Wratislauiæ, in æde Magdalenea, prope ad baptiſterium. Vide IOHANNIS SINAPII Curioſitatum Sileſiacarum, Partem I. p. 220. ſeq.

e.) In promtu erat, plenior nobilitatis catalogus, quem tamen, alii loco ac tempori, adſeruandum putauimus: quod ideo monemus, ne quis forte, ſilentium, de gente ſua, injuriam interpretetur.

ritim in castra prodeundum fuit, agmen MCCCC. non censo famulitio, subinde, ac vltimo quidem anno MDCLXXXIV. cum iuuatum irent obsidionem *Vjvarienſem*, expleuerint. Fortitudinis autem militaris, documento est, eximia illa prærogatiua, quam prisci reges, *Neogradienſium* propriam esse voluerunt, vt & corporis essent custodes, & in castrorum metationibus, proximi ad regem, tentoria figerent; Regni, adhæc, vexillum tutarentur; immo illic etiam confligerent, vbi rex militabat. Sunt, qui credant, neque id, vt opinor, temere, ob militarem hanc laudem, insignia, quæ iam habet, *Comitatui* olim fuisse collata. Viri simulacrum est, cataphracti, & cristata ornati galea, qui quidem dextra porrecta, strictum gladium, sinistra insignia Regni Hungariæ, humo innixa tenet: significaturus isto habitu, cum fidem in reges, ac patriam, tum militarem simul fortitudinem, qua semper excelluerunt *Neogradienſes*. Eadem ista lemmata, & in sigillo expressa videas, recentiori illo, & quod annum MDCLV. refert, hoc est, eum ipsum, quo LEOPOLDVS I. *in* regem Hungariæ, Pisonii inauguratus est. Tunc enim, *Adamus. I. Forgách*, Supremus Comes Neogradiensis, impetrauit a Rege indulgentissimo, vt vetera Comitatus Insignia, non rata modo haberet, sed faceret etiam augustiora, additis regni insignibus, quæ iam vir cataphractus sinistra prensat, haud sine virtutis significatione. Vetus profecto sigillum, quod ex publicæ legis præscripto, quæ anno MDL. Art. LXII. lata fuit, *anno MDLI.* sculptum fuisse constat, eo axiomate caruit. Ceteroquin, *dubium* est, cui inter optimos illos reges, insignia sua, in acceptis ferre debeant Neogradienses. MATTHIAM Coruinum, in laudem huius benignitatis, vocant plerique, quasi, qui eo beneficio, calcar ad virtutem subdere voluerit, sui corporis custodibus. Sed, incerta omnino res est: nam, occurrunt adhuc litteræ, æque publicæ, quas suis iudices sigillis muniuerunt, atque id multo post Coruinianam ætatem: more nimirum, pluribus Comitatibus, hodieque solemni. *Quod in* vetustioris *sigilli inscriptione*, *Comitatus* hic, *Neugradienſis*, *vocatur*, inde arguunt quidam, quasi id germanicæ pronunciati*onis* vitio factum sit; sed non est ita: verum, fuit hæc eorum *temporum* scribendi ratio Hungarica, vt *ew* pingerent, *ö.* diphtongum significaturi; id quod diplomata passim docent. Igitur, credere fas est, olim, & dum crassius sonabat idioma nostrum, *Nógrád*, regionem dictam fuisse. quod demum vocabulum, Latinorum imitatione, qui eo charactere carent, in *Nógrád*, siue *Neográd*, abierit.

Insignia Neogradienſium:

a LEOPOLDO I. *inauguratus:*

originâ alioquin incerta.

§. XVI.

Vice-Comitatus Catalogus.

SEd, nec VICE-COMITES, qui rebus, in prouincia hac, præfuerunt, silendi erunt. Atque, ex antiquiore quidem ætate, cum primis memorandi sunt:

Petrus,

Petrus, Filius Stephani, de *Gécz*, &
Iohannes, Filius Dominici de *Pásztó*. A. MCCCXCV.

Vice-Comites Comitatus Neogradienſis.

Iohannes Fejes, A. MCCCCII.
Iohannes de Valkó, &
Thomas de Chaba, Vice-Comites A. MCCCCXXV.
Georgius Csabi. A. MCCCCXXXI.
Paullus Magnus de Balásthó.
Michael de Dalyo, &
Paullus Pethő, Vice-Comites A. MCCCCXXXXVII.
Auguſtinus de Legény, &
Petrus de Pelén, Vice-Comites A. MCCCCXXXXVIIII.
Michael de Dalyo, &
Paullus Petö de Petöfalua, Vice-Comites A. MCCCCLXIX.
Michael de Dalyo, &
Ladislaus de Libertſe, Vice-Comites A. MCCCCLXXIII.
Sigismundus B. de G., &
Paullus Petö, Vice-Comites A. MCCCCLXXVII.
Paullus Petö de Petöſalva, &
Demetrius Szalay de Kelecsén, Vice-Comites A. MCCCCLXXXII.
Osvaldus de Szántó A. MDVII.
Georgius Orbonácz de Szúg, &
Thomas Soós, Vice-Comites A. MDXXXII.
Thomas Soós de Polthár, A. MDXXXVIII.
Nicolaus Borſay de Dalyo, A. MDXXXXV.
Valentinus de Pelén, A. MDXXXXVIII.
Petrus de Libertſe, A. MDL.

Plures indagare non potuimus. Ex horum autem serie colligas, plerumque, duos *Vice-Comites*, prouinciam habuisse. Quod haud quidem ab re factum putamus, iis potissimum temporibus, quibus intemerata adhuc fuit regio, adeoque, & vicorum numero valuit, & incolarum copia. Iam, ea dignitas, vni admodum, priscæ nobilitatis viro, attribui consueuit; quod & rebus administrandis sufficiat, neque multiplicatis muneribus, sumtus profundere opus sit. Innotuere autem nobis, ex recentioribus, sequentes:

Stephanus Soós, de Polthár.
Franciſcus Struch.
Paullus Bata, de Vatta.
Georgius Foxich.
Iohannes Bene, de Nándor.
Georgius Madács, de Sztregoua.
Andreas Ráday, de eadem.
Michael Libertsej, de eadem.
Georgius Batik.
Franciſcus Motsárj.
Stephanus Vámoſi, de Kürth.
Paullus Némethy.
Paullus Bélteky.
Iohannes Dobay, de Dobó.
Franciſcus Bulyowszky, de Dulicz.
Caſpar Cſemniczky, de eadem.
Stephanus Gyurky.
Michael Dúl.
Iohannes Feja.
Paullus Kajaly, de eadem.
Michael Daruas, de Nagy Réth.
Franciſcus Boſſány, &
Iohannes Kovács, durante tumultu *Rákócziano*, a Cæſarianis ducibus, prouinciæ præfecti.
Nicolaus Jeſzenszky.
Andreas Török, de Szendrö.
Ladislaus Dobay, de Dobó.
Georgius Szentiványi, de eadem, qui iam quoque rerum potitur.

§. XVII.

Ditiones regionū varia:

REgio tota, ſparſis varie dynaſtiis, inter illuſtres, iuxta & nobiles familias, diuiſa eſt. *Dominia* vulgo dicunt, quæ iam recenſuiſſe iuuerit:

Gátsenſis: I. GÁTSENSE *Dominium*, inclutæ genti *Forgách* adſcriptum, vaſtum ſatis, neque non fructuoſum, eo quod *Vrbibus montanis*, vicinum. Nomen ei, *arx Gáts* communicauit, iuris olim *Loſontziorum*, quorum vltimus, *Stephanus Loſonczy*, heros profecto magnanimus,

nimus, poſt deditam arcem *Temesvár*, quam inuſitato fortitudinis exemplo, diu defenſarat, a Turcis, contra datam fidem, capite diminutus eſt. Poſt eius fata, quia filium non genuerat, ditio omnis, in filias, regis auctoritate, transſcripta fuit, vt ea re, parentis honorarentur merita. Hoc iure, ab *Orſzágiis, Enningo-Törökiis*, poſſeſſa fuit aliquantiſper, dum in poteſtatem hæreditariam, Comitum, FORGÁCH, de Ghymes, per nuptias, iuxta & indulgentia regum, concederet.

II. DIVINENSE, huic vicinum, ac quodammodo innexum. Eius caput, *arx Diuin* eſt, ruderibus iam pridem fœda. Priſca ætate, Comitibus *Balaſſa*, auito iure, paruit; ſed, quo *Franciſcus Balaſſa*, ſua culpa primus excidit. Inde arx, & ditio vniuerſa, *Fiſco* ceſſit, Comitibus *Zichy* de *Váſonykö*, regio munere, ſed lege tamen *maioratus*, permiſſa. Iam, in poteſtate eſt CAROLI ZICHY, cuius bonitate, *difficillimis hiſce temporibus*, egregie fouetur. Divinenſis:

III. KÉKKÖIENSE, occidentali Comitatus ora procurrens, & arci cognomini circumpoſitum. Subeſt Comitibus *Balaſſa*, de Gyarmath; cuius partem aliquam & *Zichii*, capiunt. Kékkö-ienſis:

IV. GYARMATHIENSE, eiusdem familiæ *Balaſſa*, iure, quod *ſimultaneum* dicunt, cum *Comitibus* ZICHY, poſſeſſum. Vtriusque dynaſtiæ, ea eſt amplitudo, quæ quartam propemodum *Comitatus* partem, abſoluit. Gyarmathenſis:

V. FILERIENSE, ad orientem ſolem proiectum, *Raſcaianæ* olim, poſtea, matrimonii iure, *Bebekianæ* etiam gentis, antiquæ illius, & multis in patriam meritis, conſpicuæ. Huic, familia *Szétsj* de *Rima-Széts*, ſucceſſit. quam denique, COMITES KOHÁRJ exceperunt, regum munificentia, opima iſthac ditione, potiti. Coniuncta ei altera eſt. Filekienſis:

VI. SÁGHIENSIS, antehac *Kendereſiorum*, & *Boſznyákiorum*; ſed quæ nunc, *Kohárjorum* iuribus, obſtricta eſt. Sághienſis:

VII. SALGÓIENSIS, *Baroni*, FRANCISCO SZLVHA de IKLAD, perpetuo iure, anno MDCCXXVI. CAROLI VI. Cæſaris, & Regis, beneficio, accenſa, atque in eius titulos relata. Salgóienſis:

VIII. BUJÁKIENSIS, ab arce denominata, olim, longe lateque, & per Comitatum Peſthienſem, ſparſa fuit, poſſeſſaque ab incluta gente *Báthoreorum*. Iam, in poteſtatem *Comitum* ESZTERHÁZY, tranſiit. Deniquc Bujákienſis:

IX. NEOGRADIENSIS ditio, quam primo loco nominare decuerat, memoratu digna eſt; non tam, quod vaſta ſit nimium, quam quod *Váczenſi Epiſcopatui*, priſco iure, obnoxia. Quod ab his dynaſtiis, reſiduum eſt, id omne, equeſtris ordo, poſſidet. Subiectorum, quos *Jus Ciuile*, *Homines proprios*, Hungaricum, *Jobbagyones*, gentili vocabulo adpellat ratio, eadem hic eſt, quam alibi diximus. Alii nempe, annuum cenſum, operas tributarias alii, Neogradienſis.

Nobilium poſſeſſiones.

alii, vtrumque seruitutis genus alii, heris præstare tenentur. Quin, & frugum, agnellorum, apumque, partem nonam, dependunt alii.

§. XVIII.

Prærogatiuæ *Comitatus*:

QVod ad prærogatiuas *Comitatus* ceteras, adtinet, variæ eæ sunt, & cum ita res ferret, etiam publice defensæ. Occasionem contentioni dederat, mota, de *Sessione Ablegatorum*, anno MDCCXXIII. in comitiis, controuersia: quam ita eliserunt *Neogradienses*, vt non possimus non eius rei, heic quoque meminisse. Adulto more, Comitatus Neogradiensis ablegati, sinistro, ad mediam *Tabulam*, latere, *Trentschenienſibus* proximi, adsidere consueuerunt. Dubiam eis hanc prærogatiuam, legatorum aliqui, reddere nitebantur, neque dubitarunt, exhibitis palam scriptis, eandem velle conuellere. Quod, cum sine insigni iniuria sua, haud fieri posse, putarent *Neogradienses*, nihil fecerunt residui, vt, quem a maioribus ordinem, ad se propagatum, acceperunt, eundem, pro virili sua, tutarentur. Itaque, præter antiqui moris obseruantiam, satis, ad defensandum ius illud, ex se valituram, conquisitissimis rationibus, in re alioquin non plane graui, disceptatum est. Adferebant nimirum *Neogradienses*, ea se, & regionis amplitudine esse, & *Prælatorum*, *Magnatum*, *Baronum*, atque *Nobilium*, celebritate, vt N. N. cum quo disceptatio illa intercesserat, optimo iure, conferri possint. Denominationem, præterea, *Comitatus* sui, non vti reliquorum, cum gente *Hungara* natam; sed a priscis regionis incolis, arcessendam esse. Nam, cum reliqui, huius illiusue arcis territorium, siue *Vármegye* adpellentur; *Comitatus* iste, vetusto vocabulo, *Nouigrád*, dicitur. Magni, & illud, momenti argumentum esse, quod insignia *(f.)* prouincia habeat eadem, quæ sunt communis patriæ: id quod, sicuti prærogatiuam indicat singularem; ita, non posse non condocere, quanti semper, cum a Regibus, tum a Statibus vniuersis, *Comitatus Neogradienſis*, fuerit habitus. Certe, quoties rex, castra aduersus hostes mouebat, *Neogradienses* fuere, qui & regni palladium deferrent, & proximi ad regem, non castra modo metarentur, sed pugnam etiam inirent. Quid, quod post funestam gentis Hungaricæ, ad *Mohácsium*, cladem, atque *Budam*, ab hoste interceptam, *Neogradienſis Comitatus* is fuerit, qui sua virtute prohibuerit *Turcas*, ne interius progressi, *Montanas Vrbes*, regni thesaurum, sub suam mitterent potestatem. Quinimmo, depulsos patrio solo, *Pesthienses* & *Heuesienses*, toto propemodum seculo, gremio suo fouerit. Ne quid, de summorum virorum, quos prouincia hæc edidit, prouentu, dicamus. Istis nunc argumentis *prærogatiuarum* suarum caussa, depugnauere *Neogradienses*.

putauit sibi, anno 1723. in comitiis controuersiam:

validâ rationibus, eliduntNeogradienſes.

§. XIX.

f.) Vide ea, supra descripta, hoc ipso *Membro*, §. XV. p. 44.

§. XIX.

Exemtus est a iure Neo-acquisitico.

PRæcipuum est, quod exemtum, a iure *Neo-Acquisitico*, insigni, ac regia prorsus munificentia, LEOPOLDVS M. voluit; quam eius augustalem benignitatem, iuuat, adscripto diplomate, ad seram posteritatem transmisisse. Ita vero habet: „ Nos LEOPOLDVS, *Diuina fauente clementia, Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæque REX. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ ac Virtembergæ, Superioris & Inferioris Lusatiæ, Comes Habspurgi, Tyrolis & Goritiæ. Memoriæ commendamus tenore præsentium, significantes, quibus expedit, vniuersis. Quod, posteaquam DEO ter optimo & maximo propitio, gloriosis & victricibus armis nostris, naturalem Christiani nominis hostem Turcam, a multis retro actorum annorum decursibus, in partibus Regni nostri Hungariæ sæuientem, faustis auspiciis, ad longinquiora propulsassemus, tandemque post tot glorioſe de eodem partas victorias & triumphos, exoptatæ pacis malaciam stabilissemus, & ex hac ipsa ratione, in aliquam duntaxat, tot expensarum, in tam diuturni belli continuatos successus, cum eneruatione ærarii nostri profusarum, recompensam, a Comitatibus, qua a iugo, qua a tributo turcico, eliberatis prætendissemus: Vnde, licet Comitatus noster* Neogradiensis, *vt plurimum, ab Anno* Millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio, *tributarius effectus, sæuiente adhuc in inferiores partes Hungariæ turcica tyrannide, instar aliorum Regni nostri Hungariæ Fidelium, redditus Sacræ Coronæ, Regalesque impositiones præstitisset, Dictis Regni, Coronationibusque Regum interfuisset, Juris & Justitiæ cursum in gremio sui, non ipse duntaxat administrasset, quin potius inferiorum quoque sibi vicinorum Comitatuum officiales, sedibus suis pulsos, in medio sui fouisset, Census, Decimas, Nonas, & alias dacias, a subditis suis percepisset, œconomias non minori tum, quam nunc fructu exercuisset, insuper vero* aliquot *Christiana præsidia, vti erat:* Fülekinum, Diuinium, Kékkő, Gács, & Somoskő, *itidem in gremio suo habens, ex iis sese, excursionibus Turcarum, forti & intrepido animo oppositisset, & quo minus virus suum, ad* Ciuitates nostras Montanas, *interioraque regni, exercret, pro virili obstitisset, sicque, pro conseruanda intaminata erga Maiestatem nostram fidelitate, vitam fortunasque suas sæpius periculis exponere, non exhorruisset; & ob hoc, velut a simplici duntaxat tributo turcico liberatus, se nulli* Armorum Juri, *eo magis* Neoacquisitico *obnoxium esse existimat: intuitu tamen modernarum diuersarum necessitatum nostrarum, pro tenuitate virium suarum, hac quoque ratione fidelem sese, & erga promouenda seruitia nostra obsequentem præstare volens, ad tollendam omnem pratensionem, confert ad Cassam nostram solutoriam Aulicam, & quidem præcise Domini terrestres (venerabili Clero, Bonis item, & signanter Possessionibus,* Lörinczi, Tarcsa, Heréd, Jobbagyi, Gede, Szántó, Palo- „ tás,

„ tás, Kökényes, & Hihalom, *ad Dominium* Hatuan, *conſcriptis, non-*
„ *nullisque aliis, iam inde præuie per Nos benigne exemptis, hic & nunc*
„ *quoque exceptis, ex propriis, & non ſubditorum ſuorum facultatibus, pa-*
„ *ratæ pecuniæ ſummam* Florenorum Rhenenſium Octo Millium, & „ *metretas Poſonienſes, mixti cum ſiligine tritici,* mille ducentas; *illam*
„ *quidem hic Viennæ defectu absque omni exſolutam; prainſinuati vero*
„ *frumenti metretas, Budæ, ad domum noſtram annonariam, admini-*
„ *ſtratas. Hinc Nos quoque gratam eiusdem, & eorundem, promptitu-*
„ *dinem, clementi vultu & paterno affectu, acceptantes, eundem &*
„ *eosdem, (exceptis prænuncupatis Bonis ad præfcitum Dominium Hatuan*
„ *conſcriptis, ſed nec eatenus vlteriori eorum, quorum intereſt Iuribus ſuis*
„ *inuigilandi facultate, ac inſtantia præcluſis) etiamſi fors quoquomodo*
„ *inter* Comitatus Neo-acquiſticos, *vel* Iuri Armorum *ſubiectos, pre-*
„ *tenſiue cenſeri potuiſſet, ab omni eiusmodi Neoacquiſtico, vel Iure ar-*
„ *morum, & quod inde emergere poſſet, onere, de pleno eximimus &*
„ *enodamus, exemptumque, ac enodatos, benigne reſoluimus, aſſecurantes*
„ *eundem & eosdem, in* Verbo Noſtro Regio, *quod ipſum & eiusdem ſin-*
„ *gulos ac quoslibet in omnibus, ac circa omnia, penes Regni leges, penesque*
„ *legales Fori competentis Proceſſus, benigne conſeruabimus, conſeruari-*
„ *que faciemus, Nos & Succeſſores noſtri. Inſuper vero, ſiquidem ad*
„ *hanc conteſtandæ fidelitatis gratia, Nobis collatam ſummam, non dun-*
„ *taxat hæreditarii, verum hypothecarii quoque, & temporanei bonorum*
„ *poſſeſſores concurrerent, benigne decreuimus, vt his & ſimilibus eius-*
„ *modi ſumma in tantum, in quantum concurrunt, ſupra bona eorum*
„ *tali iure tenta, in forma auctionis habeatur, ſuperinſcripta, ac inue-*
„ *ſtita, temporeque redemptionis, iisdem cum capitali, manutentione*
„ *Fiſci Noſtri Regii, & aſſiſtentia ipſius Comitatus, hoc in paſſu eidem*
„ *per Nos, vigore præſentium, benigne attributa, ſimul & ſemel per*
„ *eos, ad quos redemptio talium bonorum pertinet, deponatur, nec ſecus*
„ *ad remiſſionem eorum cogi poſſint: id quod ad alios quoque bonorum*
„ *poſſeſſores, a quibus fors expoſt bona talia, intuitu quorum nunc hocce*
„ *obſequii ſpecimen exhibent, proceſſu iuris abiudicarentur, extenſum be-*
„ *nigne volumus. Harum Noſtrarum Regiarum Litterarum vigore &*
„ *teſtimonio mediante. Dabantur in Ciuitate Noſtra,* Viennae, *die tri-*
„ *geſima prima May,* Anno Milleſimo ſeptingenteſimo tertio. *Regno-*
„ *rum noſtrorum, Romani, quadrageſimo quinto, Hungarici, quadra-*
„ *ſimo octauo, Bohemici vero quadrageſimo ſeptimo.* Leopoldvs. Got-
„ hardus Henricus Comes a Salaburgh. *Ad Mandatum Electi Domini*
„ *Imperatoris proprium.* Ca. Th. L. B. Aychpichl. Georgius Antonius
„ Ferner. Iſta, de *Comitatu Neogradienſi,* generatim dixiſſe ſufficiat. Iam, ad cognoſcendam eius partitionem, ſeu *Proceſſus*, & horum arces, oppida vicosque, accedamus.

PARS

PARS POSTERIOR SPECIALIS,

De

Quatuor Proceſſibus Comitatus NEOGRADIENSIS.

PROOEMIVM.

COMITATVS NEOGRADIENSIS, bifariam diuiditur. Ac primo quidem, in Nagy, & Kis-Nógrad, ſiue, in *Nográd Maiorem*, & *Minorem*. quæ quidem partitio, tota huc comparata eſt, vt diuerſorum *Epiſcopatuum Diœceſes*, eo deſignarentur adcuratius. Nam *Maior* quidem *Nográd*, totus *Archiepiſcopatui Strigonienſi*, adſcriptus eſt, cui & decimas debet; ſed a Comitatu, iuſto pretio, quod *pactatum* dicunt, redemtas. *Minor* contra *Nográd*, ad *Epiſcopatus Vaczienſis Diœceſin* (a.) pertinet, & vltra amnem *Fekete-Viz*, verſus *Zagyuam*, procurrit. Diuerſa pendendarum decimarum heic ratio eſt: quippe quæ, non iam elocantur amplius; ſed frugibus ipſis, quas dederunt agri, dependuntur. Altera regionis diuiſio, Processibvs, quos vocant, abſoluitur. Quatuor horum eſſe voluerunt, priſci illi partitores, *Loſonczienſem*, *Filekienſem*, *Szétsènienſem*, & *Kékkóienſem*. Nunc, ſingulos emetiamur, adcuratione, qua fieri potuerit, maxima, eaque ita diſpertita, vt arces primo, tunc oppida, denique vicos, & horum ſitus, adnotemus.

a.) Legeſis, Anni MDLXXIV. Art. XXVI.

MEMBRVM I.
DE
Proceſſu Loſontzienſi.

NOmen *Proceſſui* oppidum Losontz dedit, intra montes, campo haud anguſto, poſitum. Totus is montoſus eſt, & ſiluis inſeſſus; atque ab oriente quidem, *Filekienſi; Kékkőienſi* ab occidente; denique a meridie *Szétsénienſi*, circumcluſus. Reſidua, in aquilonem, pars, verſus *Comitatum Zolienſem*, per vaſtos montes, ac profundas valles, adtollitur. Cæli ſolique ingenium, ſupra dedimus: nunc, quas arces, oppida, vicosque habeat, videamus.

SECTIO I.
DE
Arcibus Proceſſus Loſontzienſis Gáts; & Divin.

SYNOPSIS.

I. *Arcis* Gáts *denominatio ab* Halitziis, *Ruſſiæ rubræ populis: eius apud* Bonfinivm *mentio.* §. I.

Situs, amœnitas, & regionis circum habitus. §. II.

Eius fata: funditus inſtauratur, a Comite Sigismvndo Forgách: *propugnacula, & opportunitates reliquæ.* §. III.

Incolumis perdurauit, ſuperioribus diſſidiis ciuilibus: nuperis Rákóczianis, *a nobilitate defenſa: huius fides in Cæſarem.* §. IV.

II. Divini *origines: ſitus arduus.* §. I.

Publicis operis munitur, capitur a Turcis: *atque iterum recuperatur a* Pálffio. §. II.

Emericus Balaſſa, *infelix arcis dominus, & huius actus fataque: fruſtra obſidetur a* Veſſelenio: *expugnatur a* Straſſoldo, *& deletur.* §. III.

Reſtaurandam ſtatuunt ordines, ſed irrito conſilio: hodie, genti Zichyorum *paret.* §. IV.

I. *Arx*

I. *Arx* Gats.

§. I.

VEtuſtatem arcis, ipſa eius nomenclatura loquitur. Etenim, quam *Hungari* Gáts dicunt, eam indigenæ *Slaui* Halitsch adpellant, certiſſimo indicio, rudus quoddam, aut monimentum eſſe, priſcorum *Halitziorum*, Ruſſiæ rubræ populorum, quos Colomannvs primum, deinde Stephanvs II. bello tentauerunt, Geyzaautem II. penitus Hungariæ adſeruit: regionis vocabulo, inter regum Hungariæ titulos, poſtea relato. Nimirum, vel colonias hic *Halitziorum* conſtituerunt, iidem, quos diximus, & ſequuti reges, vel certe, ex eorum manubiis, caſtrum excitauerunt, quod memoriam, miſſæ ſub poteſtatem *Halitziæ*, propagaret ad poſteros. Alioquin, ex *Slauico*, eoque genuino, arcis *Halitſch*, vocabulo, facile erat Hungaricum *Gálts*, ex quo poſtea *Gáts* factum, enaſci. Vtroque enim modo, *Galitziam* & *Halitziam*, regionem illam, dicimus; atque illud quidem *Polonorum*, & *Ruſſorum* more, qui adſpirationem vā H. in G. conſonam, mutare conſueuerunt. Exſtat, huius adpellationis veſtigium apud Bonfinivm. *(b.) Coruinus*, inquit, *in Giseram caſtra mouet, præſidia varia, quæ ad templum Száág (vt aiunt) Ipolo fluuio proximum, & in monte* Galchure, *item, ad Rosnauum, Scepuſiumque oppidum, olim erexerat, grauiſſima obſidione vexauit, & vt quamprimum deditionem ſibi facerent, adegit. Expugnatis his deletisque præſidiis.* Sunt, qui loco *Gálchure*, malint *Galisvára* legere; ſed profecto præter rem, cum vox illa Bohemicæ ſit compoſitionis, ex *Gálts* & *Hura*; noſtri Slaui, *Gáts-Hora* dicerent, id eſt, *Gálts montem:* id quod & Bonfinii verba volunt. Nolim autem, vetuſtiſſimæ arcis primordia, ad iſtos *Bohemorum* tumultus, referre: quinimmo, ita ſentio, veterem, quæ iſthic poſita fuerat, molem, *Giseram* inſtauratiſſe, nouisque operibus munitam, præſidio ſuæ factionis hominum, firmauiſſe. Ludunt proinde, qui ex truncato *Comitum Forgách*, cognomine, arcis vocabulum deriuant; cum certum ſit, eos, poſt ſuperioris demum ſeculi exordia, in arcis poſſeſſionem veniſſe. Vt, proinde, nec vulgatum illud celeuſma ſibi conſtet, quo *Eliſabetha*, & *Maria* reginæ, *Blaſium Forgách*, ad cædem *Caroli Parui*, incitarint. *(c.) Vágd, Vágd Forgách! tied lészen Ghymes és Gáts;* cum *Ghymes* quidem, ab ipſis gentis incunabulis, *Forgáchiorum* fuerit; *Gáts* autem arcis, iis temporibus, nondum exſtet memoria.

Arcis Gáts *denominatio, ab* Halitziis. *Ruſſia rubra populis:*

eius, apud Bonfinivm *mentio.*

§. II.

ISta, de arcis originibus dicere habui. Situs eius, non minus amœnus eſt, quam ad defenſandum idoneus. Nimirum, impoſita eſt mon-

Situs amœnitas & regionis circum habitus.

G 3

b.) Decade III. Lib. VII. p. 478. initio.
c.) Lege patratum facinus, apud Bonfinivm, Decade eadem, Lib. I. p. 364, 41. & ſeq. Et, criticen noſtram, Operis Tomo III. Hiſt. Vrbis Budenſis, Periodo I. §. VII. p. 199.

monti, rotundo illi, & in modicam altitudinem adſurgenti. Qua ſeptentrioni, & occidenti obiicitur, præruptum montis latus eſt, & valle ſubrutum profundiore, quam hinc, viculus *Gáts-falua*; illinc, ad tormenti iactum, *Maskova*, deſpectu elegantem facit. Mollius a meridie adſurgit, vt adiri commode poſſit, qua ei regione, & oppidum, tenuc quidem, ſed mercatibus nobilitatum, ſubſedit. Reliqua, ad eandem plagam, regio, in amœnam planitiem diffunditur, habetque proſpectum, non tam late porrectum, quam hinc vicorum, illinc nemorum, pratorum, agrorumque obiectu, iucundum. Ad hanc ſitus elegantiam, multum, obtutu *Loſontzienſis* oppidi, proficit: id enim, ad paſſus, plus minus bis mille, in meridiem reiectum, maiorem, quam pro mole, ſpeciem refert. Quod a tergo arcis eſt, vtroque latere, in vaſtas ſiluas abit, decliuioribus primum colliculis, poſtea montano etiam ſitu, procurrentes. Viuaria credidiſſes, ex induſtria poſita, ita feris olim abundabant. quarum venatus, *inter* præcipuas arcis *opportunitates*, *retuleris*. *Radices montis*, pomariis conſiti ſunt, orientale autem latus, nuper, etiam vite veſtitum. Ab occidente, riuus *Tugár*, arcem ſubluit, qui obiectis, pro more, aggeribus, & poſitis emiſſariis, in piſcinam reſtagnat, ingentem, & piſcium, varii generis, diuitem: vt nihil omnino, quod, ſiue ad amœnitatem loci pertineat, ſiue ad commoditatem, iure queas deſiderare.

§. III.

Eius fata: fundatur inſtauratur a Comite Sigismundo Forgách.

ARcem, eo ſitu excitatam olim, & ab *Giskra* inſtauratam, ſed a IOHANNE CORVINO, quemadmodum ex BONFINIO meminimus, dirutam, quæ poſtea fata manſerint, difficile dictu eſt: præterquam, quod Anno MDXLVIII. *(d.)* diruendam ſtatuerint Ordines, tamquam ſine indulgentia regis, excitatam iterum. Inde equidem haud grauate illis adſenſerim, qui credunt, iacuiſſe, ſuis ruderibus ſepultam, vsque ad tempora dominationis *Forgáchianæ*. Tunc enim, *primus* ex hac gente poſſeſſor, *Sigismundus Forgách*, cuius ſupra honorificam habuimus mentionem, vaſtum iſtud rudus, in eam *molem*, ingenti ſumtu eduxit, qualem hodieque cernimus. *Loquitur* eius rei memoriam, marmor, arcis portæ inædificatum, cuius ideo *inſcriptio* adſcripſiſſe iuuat:

memoriale, in eam rem, marmor:

DEO OPTIMO MAXIMO ADIVTORE,
ANNO MDCXII.
DIRVTVM CASTRVM GÁCH, EX FVNDAMENTO EREXIT, AC PRO DEFENSIONE PATRIÆ, FINITIMO IN LOCO, CONTRA TVRCAS SITO, COMES SIGISMVNDVS FORGÁCH DE GHYMES, SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆQVE

d.) Decreto XII. FERDINANDI I. Art. XLVI.

QVE MAIESTATIS, MATTHIÆ II. DEI GRATIA IMPERATORIS ROMANORVM ET REGIS HVNGARIÆ, IVDEX CVRIÆ, CONSILIARIVS, SVPERIORIS REGNI HVNGARIÆ GENERALIS, AC COMITATVVM NEOGRADIENSIS, SÁROS, ET SZABÓLTS COMES, CONSORTE SVA CHARISSIMA, CATHARINA PÁLFFY DE ERDÖD, LIBERIS, ADAMO, EVA ET MARIA FRANCISCA, PROPITIO NVMINE VIVENTIBVS, CONSTRVXIT, MVNIVIT. (*e.*)

molis forma:

Proinde, *illo* reſtitutore, obſoleta, ſesqui ſeculo, rudera, inſtaurata ſunt *denuo*. Aedificii forma, in quadrangulum, ſed oblongum illud, & per angulos, propugnaculis omnino validis, præmunitum, abit. Quia ab oriente, ædiculam ſacram, ab occidente vero, palatium habet, nouo opere, ad *modum* propugnaculi ſubſtructum, vniuerſa moles, ſpeciem propemodum hexagonam refert. Qua portam aperit, gemina munitione præcingitur, vt reiicere ab inſultu hoſtes poſſit, nullo montis latere, facilius ſubituros. Reliqua arcis, mœnibus duplicatis, depreſſaque alte fouea, circummuniuntur. Ipſa prætorii ſubſtructio, triplici contignatione adſurgit, varieque diſcreta eſt hypocauſtis, pro eius ætatis ingenio factis. Quorum, quod ampliſſimum eſt, regum Hungariæ iconibus, affabre pictis, ſuperbit. Ad arcis commoditatem pertinet, puteus ad LX. orgyiarum altitudinem excauatus, idemque, perennium aquarum ita diues, vt obſidioni, etiam diuturniori, ſufficturus credatur. Ei hauriendo, captiuorum adhibentur miniſteria, quos, ex tota prouincia, tamquam ad communem carcerem, huc mitti, adulti moris eſt.

propugnacula & porta:

prætorii habitus:

puteus eximie profundus:

hauritur a captiuis, quorum hic carcer eſt publicus.

§. IV.

Incolumis perduranit ſuperioribus diſſidiis ciuilibus:

ILLUD mirari ſubit animum, quod, *cum* frequentiſſimæ *Comitatus Neogradienſis* arces, ad vnam omnes, ciuilibus partim diſſidiis, partim Turcarum impreſſionibus, euerſæ ſint deletæque, hæc ſola, toto ſeculo, oppido funeſto, perdurauerit intemerata. Vt fas ſit exiſtimare, vel præſidiis caruiſſe, quo potuerint hoſtes ad oppugnandum prouocari, vel certe, ante feciſſe deditionem, quam neceſſum fuerit, vltima quæque experiri. Noſtra ætate, cum anno MDCCIII. *Rákoczianus* tumultus iniiſſet, aſylum aliquantiſper nobilitati præbuit, aduerſus concurſantis multitudinis globos; quin tulit etiam obſidionem temporariam. Nempe, collecto, bis mille peditum agmine, neſcio, quis *Rákóczianæ* factionis homuncio, arcem, inſultu primum, atque magna ſuorum accepta clade, tumultuaria etiam obſidione, vrgere cœpit; donec ſemel iterumque reiectus, diffugiente colluuione illa, cœpto coge-

nuperù Rákóczianis *a nobilitate defenſa:*

e.) Poſtea publico regni decreto, in monimentis limitaneis, *confinia* noſtri vocant, cenſeri cœpit. Videſis Anno MDCXXV. Art. XIX.

huius fidei in Cæsarem.

cogeretur desistere. Postea, increscente, in dies singulos, tumultuantium multitudine, cum vrbes passim, arcesque, in hostium concederent potestatem, neque spes esset auxilii, cessere, incubanti vndique necessitati, quos huc fortuna compulerat, missa prius *tabulis, ad Venerab. Conuentum S. Benedicti de iuxta Gron (f.)* quibus testarentur: *se quidem, integra in regem fide, nullo autem nouarum rerum studio, necessitati iam cedere;* quæ res, quemadmodum priscæ *Neogradiensium*, in reges fidei, laudem meruit; ita eo pertinebat, vt insontes haberet rex, in suam postliminio potestatem vindicatos. Ista tunc Neogradiensium mens fuit, ac destinatio, quam, pulsis virtute Cæsarianorum, *Rákóczianis*, obsequio in regem legitimum, egregie testatos meminimus. Ceterum, ea deditione tormentis currulibus, & adparatu reliquo, nudata arx, postea, eo facilius in Cæsarianorum recidit potestatem. Fugientibus enim Rákóczianis, cum exigua præsidiariorum manu, Gallus quidam, cui *Bonefus* nomen, arcem, iussu *Rákóczy*, insederat. Vir erat, haud omnino imbellis, sed Rákócziane militiæ pertæsus. Igitur, vix tentata obsidione, arcem, cum præsidio, Cæsarianis dedit, bipedum, si quis alius, oppido facetissimus, sæpe *Rákóczio* ipsi obiectans: *ex eius se stipendiis, ne tantillum feciſſe lucri, quod comparando pedi ligneo*, (tormenti enim ictu, pede altero mutilatus fuit) *potuisset sufficere;* cui ille: *videret modo*, inquit, *ne scelerato, pedem alterum, nouus aliquando tormenti ictus auferret.* Ista tunc arcis fata fuerunt. Fuit postea, repetito, per interualla, hospitio, *Supremi Comitis*, Johannis Adami Forgách, dum viueret, insignis.

II. Divin.

§. I.

Diuini origines:

Divin *(g.)* insigne olim gentis *Balassa*, castrum, modico in septentrionem milliari, *Gátsino*, intra montes, reductum, situad arcendum a montanis vrbibus hostem, admodum opportuno. Sunt, qui perhibeant, a familia *Diuiny*, quæ, & nomen, cum arce communicauerit, primum conditum fuisse. Tametsi enim nulla eius familiæ, quod sciam, mentio, apud Scriptores rerum Hungaricarum proditur; tamen, nolim traditioni huic fidem derogare. Nam, erat hoc olim in moribus nostrorum hominum, vt, si opibus valerent, ac clientelis, hæc istiusmodi perfugia molirentur, vt, partim suas ipsorum tutarentur fortunas, partim, si id vsus ferret, aut stimularet libido, alienas infestarent. Negari haud potest, superiorem arcis molem; nam bifariam diuisa fuit; multum vetustatis prætulisse: non æque inferiorem, quæ tota *Balassiorum* opus fuisse credebatur. Quicunque fuerint arcis molitores, situm profecto, ei ponendæ, arduum elegerunt.

f.) Anno MDCCIII. feria V. post. Dom. XIX. post Pentecosten.

g.) Decreta regni Anno MDCLXXXI. Art. VI. *Dévény* scribunt, nescio an recte satis? id enim arcis in prouincia *Nyitriensi* nomen est.

runt. Rupes enim est, qua ad aquilones spectat, prærupta & inaccessa, deuexior, qua ad orientem, & meridianum solem vergit. Portam ideo, hac regione habuit, aditu non plane difficilem. Quæ intra mœnium & propugnaculorum ambitum erant, in cubicula dispertita fuerunt, fornices item & cellas, sed vetusto ritu, hoc est, neglectis fere architectonices regulis ædificatas: si forte palatium illud excipias, quod *Emericus Balassa*, eo loco substruxerat, vnde grandius propugnaculum, subtus, pulueris pyrii apothecam habens, fulmen eliserat: id enim, magnificentius factum fuisse aiunt, qui intemeratum viderunt.

situs arcis.

§. II.

Publicis operis munitur:

Loci, quam diximus, opportunitas effecit, vt subinde, publico regni decreto, instaurandam iusserint Status & Ordines. Huc pertinet, anni MDLIX. sanctio, articulo XXIII. expressa, qua, *duo, prouinciæ Neogradiensis tractus, ordinabantur, vt operas, instaurandis munitionibus, Somoskô, Kékkô, &* Divin, *præstarent.* Caueri tamen haud potuit, quin, anno MDLXXVI. arce *Kékkô*, intercepta, in Turcarum potestatem veniret. Rem, hunc in modum memoriæ prodidit Istvánffyvs. *(h.) Sed quum*, inquit, *frustra omnia essent, rebus desperatis,* (arcis Kékkô obsidionem descripserat) *relicta hostibus illa, in aliam arcem* Diviniam, *quæ etiam Balassiani iuris ditionisque erat, digredi decreuerunt. Hostes, vacuam arcem occuparunt, castrisque absque cunctatione promotis (tantum apud eos conceptum in* Balassivm *odium, & recentis iniuriæ vltio potuit,)* Diviniam *quoque obsidione cinxerunt. Ea erat tribus millibus, a nostrorum castris dissita, supra monticulum constructa, vetusti infirmique operis. Cum, neque illa tormentorum vim sustineret, nec obsessis, vti sperabant, auxilia mitterentur, ac supra alias difficultates, Emericus,* (præsidiariorum præfectus,) *dum magna virtute, sed incautius, mœnia tuetur, mortifera glande ictus, cecidisset; nostri, rebus desperatis, arce iterum egredi, & qua cuique fuga pateat, fortem suam pugnando sequi, aut, si vita amittenda sit, libero potius & patenti in campo, quam inclusi mœnibus, decreuerunt. Igitur, cum egressos Turcæ persensissent, repente, totis viribus in eos irrumpentes, sine vllo discrimine, omnes trucidarunt: solo* Radossa *Thrace, cum pauciſſimis gregarii nominis militibus, euadente. qui post varios errores, Agriam peruenerunt.* Atque hanc quidem, arci ac præsidiariis, cladem, *Iohannis Balassæ*, temeritas accelerauerat: quippe, infelici stratagemate, immo dolus erat, quem ad *Kékkô* expromemus, prouocatam. Eo audito, Cæsar, arces; nam tres eodem impetu interceperant, misso *Nicolao Istvánffyo*, a præfecto Budensi, frustra tunc quidem repetiit; donec, anno MDXCIII. ductu *Tieffenbachii* ac *Pálffii*, recuperato *Filekino*, totius circum regionis arces, partim metu ab hoste desertæ, partim vi expugnatæ, a nostris insiderentur. Exstat cædis illius, hodieque, in rude-

capitur a Turcis:

atque iterum recuperatur a Pálffyo.

 ribus

h.) Libro XXV. p. 547. 1.

ribus arcis, memoria, eo propugnaculo, quod ob profusum sanguinem, *Véres Báſtya*, adpellant.

§. III.

Emericus Balassa, *infelix arcis Dominus, & huius actus fataque.*

POst istas conuersiones, in obscuro fuerunt res *Divinenses*, dum infausto omine, *Emericus* IV. *Balassa*, arci coepisset imperare. Is enim, vti erat ingenio versatili, & nouarum rerum studioso, cum non vicinis tantum insultare, eosque lacessere varie; sed in Cæsarem etiam, Regemque suum, pernicioſa consilia procudere, nihil dubitauisset, arcem, quam inexpugnabilem esse volebat, secum, in perniciem traxit. Nimirum, diu, priuatis iniuriis, in optimos quosque, equestris & plebeii ordinis, grassabatur *Emericus*. Sed nec Turcis, cum quibus induciæ tunc erant Christianis, parcebat. Res ea, crebris vicinorum querelis, ad Cæsarem Leopoldvm delata, tantum potuit, vt dies Emerico, diceretur, quo obiecta crimina, aut diluere-t, aut pro eo, ac meritus fuerit, pœnas daret. Sed ille, ingenium sequutus suum, cum detrectauisset comparere, proscriptus publice est; breui post amicorum fauore, ab ea pœna, factus immunis. Interim, cum non modo ab inferendis iniuriis se abstinere nollet; sed præteritas, nouis, in dies cumularet, tandem *Viennam* euocatus, capitur, vnius, alteriusue mensis custodia, insolentiæ pœnas daturus, neque dimittendus ante, quam in conditiones, ingenio suo minus æquas, *iurata fide*, consentiret. In his erant: *vt arce Divinensi penitus exesset; rapinis, & vicinorum cædibus, manus abstineret; secum habitaret; neque amplius, seu Statuum querelas, prouocaret, seu regiam acueret indignationem.* His ergo legibus dimissus, impetrauit nihilominus ab indulgentissimo Rege, vt castellum, ad pedem montis, cui arx *Divin* insedit, exædificare sibi liceret, futurum vitæ reliquæ, tranquillum, scilicet, secessum. Proinde, redux, in opus, omni studio incubuit, idemque, anno MDCLXX. consummauit, adparatu tamen, *quam receperat, maiore.* Nam, ædificium *quidem illud*, quatuor propugnaculis *incinxit*, vt tolerando insultui, par videri potuerit. Vitam vero, *antegressa*, nihilo meliorem, viuere occepit. Præterquam enim, *quod nouis iterum iniuriis*, haud desinebat incessere, quos semel odisse cœperat; luxu, intempestiuis conuiuiis, crudelitate promiscua, quin cædibus etiam suorum, male apud omnes, audiebat. Addebat ei spiritus, quod clientelis valeret, hominum, non omnino probissimorum, quorum ille opera, destinata facile exsequebatur. Accidit forte, vt procurator ditionis suæ, vulgo *prouisorem* vocant; *Moræ* ei nomen fuit; iram eius in se accenderet, quam is declinaturus, in vicinam arcem *Gáts*, tantisper se abdidit, dum sedato iræ feruore, in conspectum heri, venire posset denuo. Erat res illa, *Emerico*, longe exoptatissima: quia enim repetitum *Moram*, arcis illius præfectus, *Makfaluay*, neque vellet, neque, nisi iure hospitii, vti rebatur, violato, posset reddere: collecta plus minus CCC. hominum manu, arci insultare nihil dubitat. Inde

Inde reiectus, oppidum inuadit, ac diripit, posteaque, iniecto tectis igne, quidquid armentorum oppidani, & circumsitæ *Forgáchiorum* villæ habebant, nouo hoc belli genere, abigit. Impune ista *Balassio* tum cesserunt. Interim, eo rapinarum successu elatus, quin & pœnitentia, acceptarum in Viennensi custodia, conditionum, stimulatus perpetuo, de intercipienda astu, arce *Divinensi*, consilium cepit; in primis, quod iam tum, nouarum rerum, quas superior Hungaria parturiebat, fama increbesceret. Proinde, arcis præfectum, in conuiuium, lautissime adparatum, illicit; tum & præsidiario militi, clam, tantum vini propinari iubet, quantum ad temulentiam sufficere posse rebatur. quibus, liberalius sese inuitantibus, dato, suorum manipulo, quem in *promtu* habuit, signo, portas perrumpit, mœnium stationes *occupat*, &, qui obsistere ausi fuerunt, obtruncatis, captoque perfide præfecto, arce potitur. Non poterat non, audax adeo, ac temerarium facinus, offendisse Leopoldvm. Igitur, missis ad *Franciscum Veſelény*, Regni Hungariæ Palatinum, mandatis, arcem obsideri, ac simul capta fuerit, solo æquari, *Balassam* vero, in vincula coniici iubet. Nec mora, contracto enim, prouti, in ea festinatione, fieri poterat, quatuor millium tumultuario exercitu, arcem, anno MDCLXXIV. obsidione cingit, & qua maxime opportunum credebatur, crebris tormentorum ictibus, verberat. Nihilo remissiores obsessi, quod veniam desperarent, se, mœniaque strenue defensant, neque non ita fatigant *Veſelénium*, vt irrito sex hebdomadarum labore, discedere cogeretur. Ceterum, obsidione per *Strasoldum*, Cæsariani exercitus ducem, maiore exquisitioreque adparatu, redintegrata, tandem *Balassa*, cum suis, deditionem facere cogitur, atque in vincula coniectus, ægre postea ex ea captiuitate, ac non nisi alienis precibus, liberatur. Arx, tot malorum officina, iniecto, ex industria, igne exusta, ac ne esset amplius, nefariorum hominum perfugium, dispositis, per cuniculos pulueribus pyriis, *disiecta est*. Sed *Balassa*, eo casu nihilo factus melior, *Tökölii* partes, iam palam sequi, *nihil dubitauit*. Cum vero, ne sic quidem fortunam propitiam sibi reddere posset, mœrore animi confectus, anno MDCLXXXIII. in oppido *Tálya*, viuendi finem fecit. Si ex *Symboli*, quod in ore habebat, quodque in castelli, cuius meminimus, porta legitur, sententia, quam suo ingenio, vitam duxisse maluisset, feliciorem, patriæque futurum fuisse commodiorem, non ab re, existimamus. Erat vero illud, a Salomone mutuatum: *Homo proponit, Deus disponit:* Nos, funestæ arcis ruderibus, istud Horatii (*i.*) iure optimo, præfigi posse, putamus:

frustra obsidetur a Veſseleniо:

expugnatur a Strasoldo, & deletur.

Vis, consilii expers, mole ruit sua.
Vim temperatam, Dii quoque prouehunt
In maius: idem odere vires,
Omne nefas animo mouentes.

i.) Lib. III. Od. IV. 65.

§. IV.

Reſtaurandam ſtatuunt Ordines, ſed irrito conſilio:

ISte arcis occaſus fuit, eo triſtior, quod heri temeritate procuratus. Tametſi autem, publicis regni comitiis, anno MDCLXXXI. art. VI. reſtaurandam ſtatuerunt *Ordines*, manſit tamen hucusque, ſuis ſepulta ruderibus, tunc reſurrectura, *cum Chaba redibit.* Erant, *Emerico*, duo filii, *Chriſtophorus* & *Petrus*, ſed vterque improlis, & paternæ indolis, ex aſſe hæres. Qua re factum, vt ditio arci adſcripta, glorioſiſſimi Leopoldi indulgentia, *Comitibus Zichy*, *maioratus*, quam vocant, lege, ſed iure tamen hæreditario, adtribueretur. Paret hodie C. Carolo Zichy, *Inclyti Comitatus Moſonienſis*, *ſupremo Comiti*, *Sacræ Cæſareæ Regiæque Maieſtatis Camerario, & cum actuali intimo, tum Locumtenentiali, conſiliario.* Nupero motu *Rákócziano*, poſt decretoriam, ad Trentſinium, pugnam, excubias ſuas, in huiate caſtello collocauerant *Hungari*, vt *Cæſarianis*, montanas iam tenentibus, per occultos montium calles, inſidiarentur. quem tamen conatum, virtus Germanorum anteuertit, *Cſajágio*, (id nomen duci Rákócziano fuit) ſola aduentantis Cæſarei militis fama, in vlteriorem *Hungariam*, cum ſuis, dilapſo. Iſta de arcibus.

hodie Zichyorum genti paret.

SECTIO II.
DE
Oppidis Proceſſus Loſontzienſis.

SYNOPSIS.

I. *LOSONTZ.*
Loſontzini *denominatio: origo Hungarica.* §. I.
Oppidi ſitus & commoditates: ſit nobilitatis perfugium, poſt occaſum Filek. §. II.
§. III.
Priſci oppidi poſſeſſores: incolarum indoles, lingua & religio: mercatus annui, eorumque celebritas. §. IV.
Loſontzienſis, Iohannis Coruini, *clades.* §. V.
Fata oppidi reliqua. §. VI.

II. *GÁTS.*
Gátsenſis *oppidi ſitus, & mercatus.*

III. *DIVIN.*
Diuini *oppidum, quæ in primis re memorandum: priſca incolarum virtus: ruſticatio hodierna, & venatus: mercatus annui.*

I. Losonts.

§. I.

Loſontzini *denominatio:*

PRinceps horum eſt, Losontz, latinis Losontzinvm, Slauis *Lucsenecz:* (*k.*) vnde nomen quoque tractui enatum. Etymon trait regionis habitus: quippe qui, pratis inſignis eſt. Sed *Hungarica* denominatio, potior nobis videtur.

k.) Sunt, qui nomen oppidi, ex Slauico *Lúka*, quod *pratum* ſignificat, deriuent: vnde *Lucſenecz*, quaſi locus pratis luxurians, ſubnatum ſit. Non common vocabuli, *Hungaricum* eſſe, haud ſine ratione arbitramur. Eſt enim nobis *Ló-Sántz*, & craſſiore ſono, *Ló-Sóntz*: quomodo agreſtes Germani, pro *Schantz*, dicunt *Schontz*, id eſt, *agger*, ſeu munimentum, depreſſis foueis, & egeſta in aggerem humo, factum. Erit ergo *Loſontz*, agger, equis defenſandis actus. Quæ quidem vocis ſignificatio, aliis forte obſeruata nondum, in eam nos coniecturam ducit, priſcos *Hungaros*, cum iſta regione, ſeu militarent, ſeu pabularentur, equilia ſtabula, heic conſtituiſſe, atque, vt agerent eo tutius, aggeribus ea circummuniuiſſe. Et reſpondebat ſane, ei inſtituto, natura loci: quippe, paſcendo iumento, perquam idonea. Quin, & hoc, ex iſta nomenclatura colligas, oppidum, quantulumcunque illud, antiquum eſſe, & originis *Hungaricæ*. quam hodieque, tametſi *Slauorum* coloniis circumfuſum ſit, egregie tutatur.

origo Hungarica.

§. II.

Oppidi ſitus, & commoditates.

SItus oppidi, & amœnus eſt, & habitatu commodus. In planitie id conſediſſe, ſupra diximus. Hanc montes inſepiunt, quaſi ex induſtria poſiti, iucundo omnino obtutu, quem, ab occidente æſtiuo, arx *Gáts*, quaſi porrecto, ex ſiluoſis montibus, capite, multo reddit elegantiorem. Oppidi ambitum mediocrem, neque inſignem ædificiis, meminimus. Habet plateas quatuor, quas rari vtrinque ædium ordines, efficiunt. Domos enim, primi illi metatores, villicorum ritu, poſuerunt, vt a vicinis, tanto interuallo diſcriminarentur, quantum ampliori areæ, & accipiendæ pecudi domeſticæ, ſufficeret. Sed forum tamen, ſpiſſius inædificatum eſt, cultiusque. Vtrobique, in foro, iuxta & plateis, vel ad modicos imbres, cænum inualeſcit, tenax adeo & profundum, vt ei equites ſubinde hæſiſſe, viderimus. Quod quantum habeat moleſtiæ, nihil adtinet monere. *Lutetiam* diceres, ſed non *Pariſiorum*. In medio oppidi, eccleſia ſedet, ſolidi & antiqui operis, muro, ad eum modum incincta, vt hoſtem arcere poſſit. Iisdem mœnibus, *Domus Comitatus*, in qua comitiola prouinciæ agi, iam monuimus, concluſa eſt.

§. III.

Fit nobilitatis perfugium, poſt occaſum Filek.

POſt *Fileki* occaſum, perfugium equeſtri ordini dedit, eaque re, adeo profecit, vt iam metropolis Neogradienſium, iure poſſit exiſtimari. Quidquid enim nobilitatis præcipuæ, ab ea clade fuit reſiduum, iſthic ſedem fixit. In his erant familiæ: *Balog*, *Báſty*, *Bulyowsky*, *Cſemiczky*, *Daruas*, *Ebeczky*, *Gellén*, *Gyurky*, *Kandó*, *Kántor*, *Koronzay*, *Litaſſy*, *Motſáry*, *Pelárgus*, *Ráday*, *Szalontay*, *Szemere*, aliæque. Ac hi quidem, multum oppido, cum auiti moris, tum celebritatis, induxerunt. Erant enim plerique omnes, qui huc commigrauerunt, viri graues, & multis fortunæ caſibus, exerciti. quos, cum veneranda canities, & longus rerum vſus: tum perpetuæ

cum *Turcis* velitationes, priſcis illis *Hungaris*, ſimillimos effecerunt; hoc eſt: decora ſua, non ex auorum fumoſis imaginibus, ſed ſuis ipſorum cicatricibus, & geſtis, pro patria rebus, exiſtimantes.

§. IV.

Priſci oppidi poſſeſſores:

ERat olim ditionis *Loſontziorum*, gentis, præclare de Hungaria meritæ, ſed quam *Temésvari*, anno MDLII. deditio *(l.)* exſtinxit. Huic, *Forgáchii*, *Balaſſi*, *Zichii*, *Szemerei*, & *Törökii*, partitis iuribus, ſucceſſere. Eſt proinde *Loſontzienſe* oppidum, heris ſuis, *Dominos terreſtres* vocamus, tributarium: ſi cos incolarum excipias, qui fundis, quos colunt, libertatem, ære numerato, parauerunt: quales nobilium, quas diximus, familiæ ſunt amnes. Reliqua plebs, ignobilis eſt, & cum agricolationis labore, operas ſellurarias coniungit, regiturque a magiſtratu oppidano, quem mutuis ſuffragiis, quotannis eligunt. *Plebis indoles*, *cultæ humanitatis* eſt, lingua potiſſimum Hungarica, ſed contagii quidpiam e Slauonica trahens. Præter agri opportunitates, quarum ſupra mentio nobis fuit, in primis nundinarum celebritate valet. Sex earum in annos ſingulos, tanta hominum aguntur frequentia, quam, quæ iſtis locis concipi poteſt, maxima: puta: diebus *Valentini*, *Stanislai*, *Corporis Chriſti*, *Viſitationis B.V. Mariæ*; *Eleuat. Crucis*; denique, die, *Lucæ Euangeliſtæ*, memoriali. Montanarum ſcilicet vrbium homines, certatim huc merces domeſticas, non minus, quam peregrinas, deferunt, quas quidem, felicioribus temporibus, tanta auiditate coëmtas recordamur, vt exinanitis curribus, quantibus ſimiles, domum redirent, beati inſtitores. Sed, fora hebdomadaria, quæ ſingulis diebus *Iouis* frequentari oportebat, incelebria, difficultas temporum pridem fecit. quam, niſi opimiora exceperint, periculum eſt, ne in deſuetudinem abeant, ac penitus antiquentur.

hodieque horæ ſuæ tributurium eſt:

incolarum indoles, & lingua:

mercatus annui, eorumque celebritas.

§. V.

Loſonczienſis, Ioannis, Coruini clades.

AD celebritatem oppidi referendum credimus, quod *Coruinianæ* clade, Anno MCCCCLI. illuſtratum ſit. De ea BONFINIVS. *(m.)* *Anno*, inquit, *quadrigenteſimo, quinquageſimo primo, ſupra Milleſimum, coacto tumultuario exercitu*, (de Iohanne Coruino loquitur) *& euocato vndique gregario quoque milite, ruſticaque turba*, IOHANNEM GISCRAM, *haud procul a* LOSONCZIO *oppido, facinoroſorum omnium principem, in primis adoritur, qui, ad diui Regis Stephani fanum, præſidium olim erexerat, aggere ac vallo cinxerat, multo milite, variaque munitione, complerat.* Hæc, de caſtri loco BONFINIVS, quem collem, ſitu enim eleuatiore eſt, hodieque, *Szent Király*, adpellant noſtri: quod *Sanctum*

l.) Vide ISTVANFFIVM Lib. XVIII. initio; & commentaria noſtra, de *Comitatu Temesváriensi*, Partis ſpecialis Membro I, Sectione I. Cap. I. Hungarico, §. XIV. ſeqq.

m.) Dec. III. Lib. VII. p. 447.

Sanctum Regem, ſignifiact. Cladem ipſam, ita deſcribit: *Iam*, inquit, CORVINVS *præſidium, tam acri oppugnatione vexarat, vt in dies deditio ſperaretur; quum* GISCRA, *coactis in ſuperioris Hungariæ partibus, auxiliis, & ingenti exercitu præſto, adfuit. Multi enim proceres, ad labefactandam Gubernatoris magnanimitatem, copias gratuito dederant, & cum aliis optimatibus coniurarant, qui in Coruini caſtris erant, vt prælium detrectarent, & vt elatum eius animum, facilius adtenuarent, ſe vltro vinci paterentur. Numquam defuit virtuti liuor. Inita coniuratorum conſilia, e ſententia ſucceſſere. Nam, cum acies inſtructæ vtrinque conſtitiſſent, ac nondum pugnæ ſigna data eſſent, ecce, ex compoſito nonnulla coniuratorum agmina, vt honeſtius a* CORVINO *deficiant, ſimulato metu, in fugam ſe proripiunt. Irruunt, data occaſione Bohemi, & deſertum Gubernatoris agmen, collatis ſignis, inuadunt.* CORVINVS, *intellecta ſuorum perfidia, quum ſe obſiſtere haudquaquam poſſe cerneret, cum ſuis, terga vertit, & quamuis a tergo acer inſtaret hoſtis, in proxima tamen oppida, incolumis euaſit.* Iſta tunc *Gubernatoris* fortuna fuit, in quam Hungarorum eum inuidia, coniecerat, ideo hic memoranda, quod nobilitauit oppidum.

§. VI.

Fata oppidi reliqua.

DE reliquis *Loſontzini* caſibus, nihil habeo dicere, quam quod bellis Turcicis non minus, quam ciuilibus, varie ſubinde laceratum fuerit. Quia enim munimentis nudum eſt, & leuiſſimæ etiam hoſtium impreſſioni peruium; non potuit non infelix eſſe, quoties turbo aliquis immnuit. In primis, luctuoſam oppidi cladem fuiſſe oportet, cuius *Regni Decreta, (n.)* meminerunt: *Circa illos omnes*, verba ſunt decreti, *qui Anno MDCXXII. die III. Menſis Nouembris, oppidum* LOSONCZ, *in Comitatu Neogradienſi ſitum, inuaſerunt, ac centum & triginta perſonas, crudeliter interemerunt, & interimi curarunt, ac a miſeris eius loci conciuibus, per immanem torturam, tria millia florenorum extorſerunt, ſtatuitur, vt per Dominum Comitem Palatinum, in termino & loco, per eundem præfigendo, ad partis accuſantis, & iudicium poſtulantis inſtantiam, citati compareant, & cauſſa, hac eorundem reuideatur, atque iidem in exmplum & terrorem aliorum, iuxta demerita ipſorum, puniantur.* Sed vero, quinam, iniquiſſimi iſti homines, fuerint, indagare, licet ſumma adhibita cura, nequiuimus. Incolæ certe, qui hodie ſunt, vix mentionem eius cladis audiuerunt; quod ſane, in re adeo truculenta funeſtaque, reprehenſione dignum eſt.

II. GÁTS.

Gátienſis oppidi ſitus, & mercatus.

TEnue oppidum, & arci cognomini, quam deſcripſimus, ſubſtructum, cui etiam iure hæreditario ſubeſt. Præter raras priuatorum domos, nihil eſt, quod heic memoremus. Fora

n.) Anni MDCXXV. Art. XVII.

Fora interim anniuersaria habet complura; sed, quæ minus sunt frequentia, minusque, quam *Losonczini*, fructuosa. Celebrantur autem diebus: *Conuersionis D. Paulli; Lunæ*, post *Dominicam Palmarum; Viti; Festo diuisionis Apostolorum; Assumtionis B. V. Mariæ; Aegidii; S. Catharinæ*, ac denique *S. Luciæ*. Incolarum occupatio, tota fere agricolatione absoluitur, cui ager, oppido suffusus, quomodocunque respondet. Neque desunt, qui opificiis viuant, quod habeant, vbi merces suas venundent.

incolarum occupatio.

III. Divin.

Diuini oppidum, quod in primis est, memorandum:

Nomen, ab arce, cuius fata paullo ante memorauimus, mutuatum, vix vlla re alia, quam *Balassiana* sede, nobilitatum reperimus. Quidquid, ea ætate incolarum habuit, sacramento, *Emerico Balassæ*, obstrictum fuisse accepimus. Hi demum, quoties *id, sua ipsorum, libido, ferebat*, cædibus, rapinis, incendiis, late circumsitam regionem, implebant, donec, pessima meriti premia, ad incitas redigerentur. Nempe, præsidiariorum, in arce, stipendia, tunc merebantur, cum gemina obsidione, a Cæsarianis premeretur. qua capta, plerique eorum cæsi, multi in carceres acti sunt, pauci incolumes euaserunt. Ita, infausto hominum generi, pœnas, diu satis dilatas, diuina nemesis inflixit. Ante ea tempora, incolas, oppidum *Diuinense*, habuit, nulli vicinarum arcium, virtute secundos. Plane, pro eius tempestatis ingenio, qua nemo, nisi hostili *sanguine*, sæpe iterumque, manus imbuisset, in viris habebatur. Sed, ea est imitationis praua vis, ac corruptela, vt hos etiam possit in transuersum rapere, quibus insigne quoddam animi robur, ac firmitudo, innata credebatur. Hodie *Diuinenses*, ingenio sunt longe diuersissimo, neque tam ad arma nati, quam tractandos vomeres. Igitur, agrestes sunt fere omnes, opifices pauci. Vtrique, agrum, quem angustum nacti sunt, cum cura colunt; quin, & *venatibus* occupantur, quos *in montibus*, vastis illis, & siluosis, haud sine fructu instituunt. *Certe*, præter vulgares minoresque feras, *lynces* nonnunquam, *interdum & vrsos*, deiiciunt, ac hos quidem, magnitudinis propemodum *inusitatæ*. Nuper admodum, vrsus, glande plumbea confectus, exuuias, decem omnino spitamarum longas, dedit. Quid? quod non in montibus tantum, sed in arcis etiam maceriebus, *Falcones* (*o.*) olim nidificasse, accepimus, a regibus subinde expetitos. Ceteroquin, oppidum, amniculus interlabitur, limpidus sane, & qua altius, per vallem *Teplá* decurrit, trutis hospitalis. In ea ora, quæ in prædium *Tomanyowa* spectat, fons acidarum scatebat olim, verum, obturatus data opera, tunc, cum impressionibus Turcarum, & insidiis plagiariorum, infesta erat regio. Certe

priſca incolarum virtus:

vnſicatio hodierna, & vetuſta:

o.) Relatum accepimus, extare hodieque litteras, quibus Ferdinandvs I. cuidam, e Balassicvm gente, in mandatis dederit, vt *falcones* sibi mitteret, quos audierit, in maceriebus *Arcis Diuin*, consueuisse nidos ponere, pullos lasceresque.

Certe enim, haud raro cuenit, vt, qui ad hauriendum fontem exibant, a subsessoribus Turcis, interciperentur, abducerenturque in captiuitatem, morte ipsa, acerbiorem: quæ calamitas, subinde teneram ætatem, aut certe sexum sequiorem, mansit. Sunt adhuc oppido solemnes mercatus, priscæ libertatis indices; sed ob loci situm, intra montes retrusum, frequentiæ propemodum nullius. Aguntur hi ex more, *Calendis Ianuarii, Calendis* item *Maii*; Feria *S. Iohannis Baptistæ; D. Laurentii*, atque *S. Lucæ*. Anno MDCCXXII. mense Martio totum conflagrauit oppidum, vna cum æde sacra, quam *Emericus* idem *Balassa*, Anno MDCLVII. eleganti sumtuosaque substructione, excitauerat, liberalitate *Comitis* Caroli Zichy, postea instauratam, &, ne tecta flammas temere conciperent, imbricibus intectam, sacro ornatu, & organo symphoniaco, egregii scitique operis, inædificato. Ista de oppidis habuimus.

mercatus annui.

SECTIO III.

DE

Vicis Processus Losontzienſis.

Frequens quidem vicorum est *Processus Losontzienſis*; sed quos passim montibus habet interspersos, atque ideo, campestribus multo futuros deteriores, nisi incolarum solertia, iniquitatem situs edomaret, & sibi redderet tributariam. Nunc, in iis percensendis, ducto, ab oppido *Losontz*, initio, situum rationem, presso pede, sequemur.

1.) *Losontz-Tugár*, viciniſſimus ei oppido, viculus, vt ab ignaris, suburbium credi posset. Solo enim riuo *Tugár*, a *Losontzienſibus*, dirimitur. Iuris potiſſimum, *Szilassiorum*, & *Kántoriorum*, quibus suæ *hic* villæ sunt, & opportunitates aliæ. Aduersum est, vici incolas, iniquiores oppidanis esse solere, forte, *ob agrorum nimiam vicinitatem.*

2.) *Tamáſy*, Slauis *Tomassowcze*. *Tamasinum* latine dicunt, copiosus vicus *Comitum Zichy*, & nobilium *Szemere*, bis mille, plus minus, passibus, *Losontzino* in occidentem æstiuum sepositus. Incolæ *Slaui* sunt omnes, & pro more gentis, rerum suarum egregie satagentes. Præter agri enim operas, quem non satis fœcundum sunt nacti, educendis torrendisque fictilibus vacant.

3.) *Gergely-Falua*, Slauorum dialecto, *Wieska*, id est, *viculus*; cum Hungaris, a *Gregorio* quodam, forte possessore, conditoreue, adpellationem habeat. Recedit *Tamassino*, ad tormenti iactum. Ager, quo gaudet, argillaceus est, & nisi frequenti prouocetur lætamine, infœcundus. Quia montes habet siluosos, incolarum plerique, materiarii sunt. Subest familiæ *Török*.

4.) *Podrecsany*, modico, ab oppido, milliari, in occidentem seiunctus, & orientali amniculi *Losontz*, lateri, inædificatus. Vicus,

ante hac obſcurus, ſed quem *Andreas Török de Szendrô*, paucis abhinc annis, ſede ſua, illuſtrem fecit. Quia enim, in adminiſtrandis prouinciæ magiſtratibus, diu, ſumma cum fide verſatus, prætorium hic, venuſto ſitu, excitauerat; non potuit non, loco illi, cum quotidiano commeantium concurſu, tum comitiolis etiam prouincialibus, quæ nonnunquam huc indicta fuere, celebritatem conciliare. Sed, eo anno MDCCXXIII. fatis functo, multum vico derogatum eſt. Agrum alioquin, amœna ſiluarum, collium, & errantium paſſim riuulorum varietate inſignem, neque eum infœcundum habet.

5.) *Udornya*, Slauis *Uderina*, hinc, reducto aliquantiſper in ſeptentrionem ſitu, viſitur, ſede haud pridem, a via regia, corſum translata, ob militum, vltro citroque commigrantium, licentiam. Olim, vicum metallicum fuiſſe, cuniculorum, & puteorum veſtigia, loquuntur. Hodie incolæ, præter rem ruſticam, quam ſolerter faciunt, materiarii ſunt plerique, parentque familiæ *Török*. Arena, quam heic torrentes, e montium lateribus, eluunt, *inſperſis marchesitarum* granulis, aurei pulueris ſpeciem mentitur, hinc, cum elegantia, ſcriptoriis vſibus, conſuecuit adhiberi.

6.) *Lóno-Bánya*, altius paullo ſubducitur. Oppidum aliquando fuiſſe metallicum, ſupra diximus. Slauis, *Lówina-Bánya*: rectius dicerent, *Olowená-Banya*, quod iam docuimus. Iam, in vicum decreuit, tametſi adhuc, priſtina libertatis inſignia, nempe, *duos malleos metallicos*, oſtentet. Eſt agro haud incommodo, quem vaſtiſſimæ ſiluæ, interſtinguunt, egregio incolarum prouentu: quippe quos, ea opportunitas, materiarios fecit. Alioquin, incolis vici, lingua & mores craſſi ſunt. Eadem valle,

7.) *Vámos-falua* conſedit, Slauis *Mytná*, a telonio, quod illic conſtituerunt poſſeſſores, nomen trahens. Laxus omnino vicus, ſed quia faucibus vallis iniquiſſimæ, Hungaris *Fürész-Völgy*, Slauis *Pilnánská Dolina*, dictæ, inædificatus, multis omnino malis obnoxius. Inde, tortuoſo ſitu, vallis eadem, in occidentem æſtiuum procurrit, riuo, qui poſtea *Loſontz* vocatur, irrigua. Fauces *merito* dixeris: ita difficile iter habet ad *Zolienſium Comitatum*, (a.) deducens. Cum apud *Neogradienſes* Turcæ dominarentur, cæſis arboribus, quas montium latera, & craſſas habent, & proceras, præcluſam meminimus, ne montanas vrbes, & operas, hoſtis infeſtaret. Poſtea, cum *Turca* pulſo, peruia denuo redderetur, latrociniis infamis eſſe cœpit, vt non ſecus, viatores eam reformidarent, quam ſi *Gehenna* fuiſſet vallis. Nunc, vti ſunt pacata tempora, tutum iter habet, & inſtructo diuerſorio, commodum. Altero, vallis aditu, qui *Zolienſi Comitatui* obuertitur,

8.) *Diviny-Oroszy*, Slauis *Trhanowá*, tenuis omnino viculus, nuper, auſpiciis *Comitis Caroli Zichy*, exædificari cœptus, eo ſitu, qui poteſt eſſe aſperrimus. Hinc labor incolarum præcipuus, vt, cæſis late

a.) Decreto Anni MDCLIX. Art. LXVII. recte, an iniuria? ad *Comitatum Zolien-* | *ſem* refertur *Mytna*.

late ſiluis, agros frumentarios faciant; paſſim ita ſuſpenſos, vt aratoris labores, paſtinatione debeant permutare. Media valle,

9. *Fürész* fuit, Slauis *Pila*, quod *ferram materiariam*, ſignificat. Viculus, iniquiſſime poſitus, atque ideo, ſuperioribus annis, dilapſus. memorandus tamen, quia toti huic valli, nomen communicauit. Trans montem, qui vallis huius, orientali latere, adſurgit,

10.) *Dobroc* ſubſedit, vicus, cum agri, & montium vaſtitate, tum incolarum frequentia, memorandus. Dirimitur, a *Vámos-falua*, excelſo colle, cui templum, vico vtrique commune, impoſitum viſitur, obtutu eo amœnius, quo eſt ſublimius. Riui, depreſſa vallium pererrantes, trutas ferunt, & ſapidas, & copioſas. Alioquin, *Dobrocſenſibus*, opportunitas ad ruſticandum, fere omnis, per montium caluities, ſparſa eſt: hic enim, & agros colunt, & armentis, ac potiſſimum ouibus, fœnum cogunt. Vicinus huic adiacet:

11.) *Kottmann-Lehota*, Slauis, *Kutmanowa*, ſitus agrique natura, priori ſuppar, difficilioris tamen agricolationis: quippe, montibus & ſiluis vndique circumſeptus. Vocabulum vici, *Germanicam* originem, indicat. cuius, primus conditor, *Gutmann*, vocitatus ſit, metallis forte, *Szino*-aut *Lóno-Banyenſibus*, obnoxius. Abundat fontium ſaluberrimorum ſcatebris, cetera, cum *Dobrocz*, ditioni *Zichianæ*, adſcriptus. Hinc, valle *Fürész*, in occidentem ſuperata.

12.) *Róſa-Lehota*, Slauis *Ruzina*, paullo vltra oppidum *Divin*, conſedit, vicus ſuperiorum annorum peſtilentia, multum diminutus. Accenſetur ditioni *Gátſenſi*. Incolæ agri ſterilitatem, calcis prouentu, quam ſtudioſe exurunt, quomodocunque penſant. Eius enim lapidis ingens paſſim copia ſparſa eſt. Vicinus ei, ab occidente eſt:

13.) *Buda-Lehota*, Slauis *Budina*, montibus impoſitus. per quorum dorſa, & agros frumentarios habet, & prata; ſed ſaxis adeo impedita, vt difficile ſit falcatoribus, etiam cautiſſimis, in lapidem, frequentius non impingere: adeo hic Slauorum illud prouerbium, verum eſt: *Treffila Koſſa na Kamen*, hoc eſt, *incidit nouacula*, (falx) *in cotem*, (lapidem) Quod ſitu eſt eleuatiore, longas habet hiemes, & niues diutinas; ſed auram eo ſalubriorem, & quemadmodum vulgo credunt, ad longæuitatem multum valentem. Annis certe ſuperioribus, ruſticum, annos CV. natum, eumque, ad ſupremum vsque vitæ diem, integris viribus pollentem, habuit. Paret *Comiti Zichy*, nobilibus item, *Szemerey*, & *Török*. In proxima hinc valle,

14.) *Kis-Tugár*, Slauis *Tuhár*, riuulo cognomini adſedit, opportunitatis fere nullius, ſi porcorum ſaginam excipias, quæ non raro, per vaſtas ſiluas, quibus circumſidetur, opima eſſe conſueuit. Incolis, ea propter, victus, non tam domeſtica ruſticatione, quam locatis alibi operis, quærendus, Riuus, qui hac deiicitur, trutarum non patiens tantum, ſed diues etiam eſt.

15.) *Gátsfalua*, Slauice *Halics*, arci quam ſupra deſcripſimus, & ſitu ſubditus, & iure. Habet, ab occidente planitiem, non inamœ-

nam, neque infœcundam, quæ montibus incingitur, vaſtiſſimarum arborum, quas incolæ, ædibus materiandis cædunt, venduntque. Eccleſia eius, amplior eſt, elegantiorque, quam pro vici copia. Hanc *Forgáchiorum* gens, ſubſtruendam curauit, fornicato opere, & variis diſtincto ornamentis. Infra vicum, riuus *Tugár*, hac delapſus, in piſcinam colligitur, quæ arcis pedem ſubluit, & varii generis piſcium viuarium eſt.

16.) *Maskowá*, ad tormneti iactum, a priori in occidentem, diſiunctus, copioſior olim, nunc, poſt nuperam peſtilentiam, incolis multum diminutus. Eſt ei ſacra ædes, præcipuæ molis & elegantiæ, quam non ita pridem, excitata turri, atque inædificato organo pneumatico, loci parochus, inſignem fecit. Ager, ſiluis, propemodum totus horret.

17.) *Lehotka*, &

18.) *Lupotſch*, eodem tractu poſiti, eademque agrorum iniquitate.

19.) *Prága*, monti inſedit eleuatiori, qua re fit, vt aura quidem fruatur ſalubri, ſed reliquarum commoditatum habeat nihil. Plerumque, fructus & ſegetes, intempeſtiuæ pruinæ, amburunt. *Ceraſa* tamen, quæ heic gignuntur, eo maioris fiunt, quod, & rarius proficiunt, &, ſi proficiant, tunc matureſcunt, cum locis calidioribus, fructus ille iam euanuit. Incolarum plerique, alibi ruſticanas operas locant.

20.) *Polichna*, &

21.) *Lentzwora*, præter horridos ſitus, & agros lapidibus obrutos, vix quidquam habent reſidui.

22.) *Abelowá*, vtrique vicinus, & montano hoc tractu, vicus, facile ampliſſimus; annis tamen ſuperioribus, flammis ſubito coortis, totus deletus. quam quidem fortunam, ægerrime hucusque reparat. De eius agro, ſupra, quod ſatis eſt, diximus. Inter vici incommoda, ſiticuloſus eius ſitus, referri poteſt. Ad celebritatem, contra *adtinet*, quod heic in lucem editus eſt, *Samuel Mikouiny*, nunc *Cæſareus*, apud Cameram aulicam, geometra, & in adornando *iſthoc* opere, mapparum accuratiſſimus deſignator. *Feliciter!*

23.) *Madátska*, viculus damnati ſitus, anguſtiæ enim vallis crepidinem occupauit. Congruunt hominum ingenia, *Beoticis*, multo deteriora, vt non iniuria, in has anguſtias detruſos, credamus: ita, & moribus ſunt inficeti, & ſermone bardi. Viuunt, præter qualemcunque agricolationem, trituratis alibi frugibus. Sunt, iuris *Kóhariani*, & *Balaſſiani*.

24.) *Nyedeliſtye*, priori nihilo melior, ſiue ſitum ſpectes, ſiue incolas. quod vicinitatis contagio adſcribimus. Paret heris iisdem;

25.) *Süllye*, eadem quidem valle vicus; ſed, qui habitatores nactus eſt commodiores, & proniores multo, cum ad humanitatem, tum ad rem faciendam. In primis, aurigationis ſunt ſtudioſi: quippe qui, coemptum alibi frumentum, ad montanarum vrbium mercatus,

tus, ſuo ipſorum iumento, ſueuerint deuehere. Subſunt *Comiti Carolo Zichy*.

26.) *Felsö-Tiszownjk*, &

27.) *Alsó-Tiszownjk*, vici cognomines, & a ſitus diuerſitate, in *ſuperiorem*, & *inferiorem*, modica intercapidine, diſcriminati. Nam, eidem valli inædificatos vidimus. Frequens vterque eſt, & non tam ab agri bonitate, quæ nulla eſt, quam incolarum ſolertia, commendandus. Nam, & hi frugibus, ad montanas vrbes, ſubuehendis, operam nauant, indefeſſam fructuoſamque.

28.) *Huta*, intra ſiluoſos montes, noſtra ætate, cœptus excitari. Dedit, ei rei occaſionem, officina, flando vitro, heic conſtituta. Iam ad eam laxitatem increuit viculus, vt, cum vicinis, numero inquilinorum, *contendi* poſſit. Vitrum, quod heic conflatur, nobilius eſt, quam pro more: atque ita pellucidum, vt Bohemicum æmulari poſſe videatur. Pertinet ad *Comitem Zichy*. cuius induſtria profecit. Habet acidarum fontes *complures*.

29.) *Turopolya*, ea eſt vaſtitate, vt inter primos, totius prouinciæ *Neogradienſis*, vicos, ſuo quodam iure, cenſeri mereatur. quod, eo plus admirationis habet, quo agri, quem occupauit, aſperior natura eſt. Præterquam enim, quod ſitum habet altius ſubductum, ideoque, montanis frigoribus expoſitum; quidquid frumentarii agri colit, lapidibus id obrutum eſt. quæ opportunitas, & agricolationem reddit difficilem, & colonum ſubinde fraudat; niſi adſperſo liberalius ſimo, iniquum adeo agrum, ad bonam frugem prouocauerit. Eſt territorio ingentis ambitus; ſed, qui per deuexa collium, varie ſuſpenditur. Maximus vico redditus, ex vicinis *vrbibus montanis*, accedit. quas incolæ, ſine ceſſatione adeunt, ruſticas ſuas merces venundantes.

30.) *Leſſt*, eodem cenſu, cum priori, dignus, ſiue copiam incolarum ſpectes, ſiue agri molem, indolemque. Iniquior ea tritico eſt: hinc, educandæ auenæ cum primis operari coguntur incolæ; quam poſtea, fructuoſo reditu, *Sohemnitzium* inuehunt. Quin, & coemtas alibi fruges, itineribus perpetuo continuatis, *vrbibus montanis*, ſuppeditant. qua quidem induſtria, tantum proficiunt, quantum alii, domeſtici agri reditibus. Trans montes, qui in orientem proſpiciunt, non minus, frequentes vici confederunt. In his ſunt:

31.) *Veres*,

32.) *Brezowa*,

33.) *Nagy-Lám*, Slauis, *Weliky-Luom*,

34.) *Pribog*, omnes ii quidem, ob agri iniquitatem, triſti poſitu infelices. Nam, & hic, montibus & ſaxis, horrent omnia. Neque meliore loco habendus:

35.) *Parícza*, Slauis *Prawitza*, quod dextram ſignificat. Modicus omnino viculus, & per vallis latera, varie ſparſus. Nondum cladis, ab *Emerico Balaſſa*, cuius characterem ſupra dedimus, olim illatæ, damna reparare potuit. Is enim, partim ſuo illo, quo fuit ingenio,

partim æmulatione gentis *Forgáchianæ*, ductus, ne his quidem parcebat, quos partem meliorem intelligebat sequi. Proinde, in *Michaelem Libertsey*, incluti comitatus Neogradiensis Vice-Comitem, eundemque, arcis *Gáts Capitaneum*, vici dominum, pessime desæuiit, neque satis habuit prætorium eius, solo æquauisse, nisi incolas simul ad incitas redegisset.

36.) *Závoda*, apriciore quidem situ, quam priores, sed agri malignitate eadem: quippe, lapidibus, & crassiore glarea, obsiti.

37.) *Borosznok*, Slauis *Bruznik*, minutus viculus, sed, qui vineas, loco, oppido iniquissimo, colit, haud sine fructu, tametsi austero illo. Certe, ab ea cura nomen traxisse vicum, nonnulli credunt, vt sit Hungarice, *Borizsnak*, quod est, *vinum bibere*. Sed, procliuius est, nomen vici, a Slauico, *Brusz*, quod *cotem* significat, arcessere, forte, quod lapidicina hic aliquando fuit, ex qua cotes exscindebantur. Vltra hunc, subducto altius situ,

38.) *Szenno visitur*, *laxus copiosiusque vicus*, quem olim prærogatiua oppidi, gauisum fuisse, perhibent: certe mœnium, quibus incinctum fuit, fundamenta notantur adhuc. Nescio autem, an metallicis operis, quod aliqui volunt, claruerit aliquando: quod, in vestigia fodinarum inquirentibus, nihil occurrerit, præter cauernam, prope vicum, petræ incisam, quam, aditum cuniculi fuisse, credunt. Id si est, loci adpellationem, *Szino-Banyensium*, a stanno, quod forte heic effodiebatur, quodque *Czin* Slauis dicitur, deriuarim. *Alii*, *id nominis*, a *Szeno*, quod *fœnum* notat, loco hæsisse existimant; quia, copiosus adeo hic fœni prouentus est, vt ei rei occasionem dare omnino potuerit.

39.) *Felsö-Sztregowa*, Slauis, *Hornia Sztribowa*, priori suppar; sed infra eum, riuo cognomini, adpositus. Agro angusto est, & stercorationis auido, si grauidari ad largam messem debeat. Vineas habet, haud inique positas, vinum autem, mensis tenuioribus idoneum. Trans collem in orientem:

40.) *Tót-Hartyány*, Slauis *Chrtani*, exilis vicus, *occurrit*, ideo dignus memoratu, quod minera ferri gaudeat, & *copiosa*, & diuite; sed, cui liquandæ, siluarum, iuxta, & aquæ opportunitas deest. quæ tamen res, si curæ esset heris, vicinorum commoditatibus, facile posset subleuari. Inde, perducto in meridiem positu,

41.) *Kisfalu*, Slauis *Malá-Wes*, ad *Sztregowam* amniculum, consedit. vicus non infrequens, tametsi paruum adpellarint primi conditores: credo, ob tenuia initia: quippe qui, in agro *Alsó Sztregovensium*, ne is maneret incultus, excitatus est. Aduersam amnis ripam tenet:

42.) *Tót-Keletsény*, Slauis *Klecsany*, tenuis viculus, sed prætorio tamen *Madatsjano*, insignis. Hinc, secundo riuo descendentibus:

43.) *Alsó-Sztregowa*, Slauis *Dolnia-Sztribowa*, orientali amnis margine, obiicitur. Geminum ei castellum inædificatum est, opere non indecoro. Alterum, gentis est *Madátsianæ*; alterum, nobilium *Révay*: cum antea, inclutæ familiæ *Rimay*, hæredium fuisset, in gentem *Dúló* postea, atque ab his, in *Benytzkios*, translatum. quorum iure, nunc *Réuauiis*, adscriptum est. Aedes sacra, nuper, post funestum incendium, instaurata denuo, inter præcipuas, huius oræ, censetur, ita, & ampla est, & summorum virorum, cryptis, nobilitata. Adhuc enim cippos, & vexilla emortualia, *Libertsegorum*, *Madátsgorum*, & *Dobagorum*, ostentat: in primis, *Ladislai Dobay*, viri, dum viueret, integerrimi, & prouinciæ, Vice-Comitis. cuius exuuias, anno MDCCXXVI. huc illatas, accepimus. Ager, vico obtigit laxus, sed lætaminis indigentissimus. Nobis certe, vici memoria, ingrata esse nequit: quippe quum, anno MDCXCI. & sequenti, litterulas colligere, & rudimenta latine legendi, *illhic* cœperimus ponere.

44.) *Kis-Libertse*, modico nemore, ab *Alsó-Sytregowa*, in orientem brumalem, seiunctus, ex se quidem modicus; sed clarus tamen, vestustissimæ gentis *Libertsegorum*, quæ iam esse desiit, originibus. Quia, lucis ac nemoribus insidetur, opportunus ad venandum ager est; tametsi, ex vicinitatis contagio, non omnino fœcundus. Nuper, sedem præbuit, *Ladislao Dobay*, Neogradiensium Vice-Comiti; sed, quem, mors, oppido intempestiua, anno MDCCXXVI. sicuti meminimus, magno prouincialium desiderio, rebus humanis exemit. Lapicidina, quæ hic est, non plane nullius foret prouentus, nisi lapis cæduus, iusto esset fabulosior. Supra hunc:

45.) *Nagy-Libertse* est, locus, haud infrequens, & altera sui parte, *Diuinensi* ditioni, *Balassiorum* altera, adscriptus. Agri indolem, ex vicinitatis natura, existimare possis. Atque, hi quidem vici omnes, a *Slauis*, quorum ingenium & mores, supra expromsimus, coluntur. Reliqui, huius *Processus* pagi, ab *Hungaris* habitantur: pauci illi sane, neque *Slauonicis* comparandi. In his sunt:

46.) *Ráros-Mulyad*, modico, infra *Alsó-Sztregovam*, milliari, *Ipola* amni, adsitus, obscurus futurus, nisi, & traiectum haberet, & familiæ *Törökiorum* domicilium, subinde, ab eius gentis hominibus, habitatum. Acidulæ, quæ hic scatent, in vitium abierunt, incolarum, sicuti credo, negligentia. Hinc, aduerso flumine *Ipoly*, vallis init, quam Hungari, *Ráros-Völgye*, id est, *vallem aquilarum*, seu *falconum*, adpellant: forte, quod auium hæc genera, in vastis, quibus obsidetur, siluis, nidificarint aliquando. Est ea iniquissimi itineris, si, vel modicum compluerit; sin autem *Ipola*, ripas supergrediatur, prorsus ineluctabilis. Eius faucibus, quæ se in *septentrionem* aperiunt, vnius interuallo milliaris:

47.) *Törintz*, mediocris vicus, insedit, iuris *Koháriani*. In commodis eius, mola frumentaria deputatur. Agro argillaceo est, &, si cæli habitus, situsque soli, responderet, vitibus, quas coloni iam incipiunt conserere, non incommodo. Altius, aduersoque amne,

48.)

48.) *Wilyke* eſt, priori exilior, tametſi gleba, & paſcuis, haud deterior. Pertinet, ad ditionem *Forgáchiorum*, habetque molam, eximii reditus. Proximus ei eſt:

49.) *Panit-Darócz*, familiæ *Báſthy*, & aliorum, hæreditas, tenuis omnino, & a paucis colonis habitatus. Hinc, ad occiduum ſolem:

50.) *Jelsőcz*, ſiluas & nemora inſedit. Vicus, haud infrequens, idemque *Gáts*, ſubditus. Ager, cum ſegeti idoneus eſt, tum pecorum pabulis. Denique, reducto ad *Ipolam* ſitu:

51.) *Mikſy*, viſitur, vltimus, iſto *Proceſſu*, vicus, quem annorum ſuperiorum peſtilentia, incolis adeo exinaniuit, vt vix ædiculas aliquot, habitari iam videas. Non longe abeſt ab oppido *Loſontz*, paretque, iuribus *Forgáchiorum*. Hæc, de PROCESSV LOSONTZIENSI.

MEMBRVM II.
DE
Proceſſu Filekienſi.
PROOEMIVM.

FILEKIENSEM vocant, quod arcem oppidumque eius nominis, habeat; priori, & laxior, & vicis frequentior. Enimuero totam eam oram, quæ ab *Heveſienſium* confinio, per *Gömörienſium*, & *Kis-Hontenſium*, limites, vsque ad *Zolienſium* terminos, procurrit, ambitu ſuo complectitur. Nunc arces, *quas* habet, oppida item, & vicos, quibus colitur, peragremus.

SECTIO I.
DE
Arcibus Proceſſus Filekienſis.
SYNOPSIS.

I. FILEK.

Origines FILEKI *dubiæ, & fabulis obſcuratæ: nominis ratio: auctoris, de ortu arcis, ſententia: arcis, in rebus* Belæ IV. *mentio.* §. I.

De ſitu arcis, ISTVÁNFFII *verba: idem, ab auctore deſcriptus, triplex arcis moles: infima, & huius munitiones: media, cum ſuis opportunitatibus: ſumma moles, quomodo fuerit comparata?* §. II.

Quorum opera, arx increuerit? laus & facta gentis Raſcai, & Bubek: *hodie iuris eſt* Kohariorum. §. III.

Fata arcis, verbis ISTVÁNFFII *recenſentur: ceſſit tyranno.* §. IV.

Mala inde conſequuta: a Tieffenbachio, *obſidetur: armis potiſſimum Hungarorum: labor oppugnationis haud incruentus: præſidiarii, inuſitatis morbis infeſtati, deditionem faciunt.* §. V.

Capitur a Botskaianis, *poſt bimeſtrem obſidionem: redditur, ex pacis* Viennenſis *conditionibus*, Cæſari: *inſidiæ Turcicæ propalatæ: intercipitur a* Bethlenio: *fruſtra tentatur a* Rákóczio: *excinditur a* Tökölio, *cuius rei hiſtoria ex* Wagnero *recitatur.* §. VI.

Auctoris, de occaſu arcis, narratio: Tökölii, *& Turcarum ad arcem aduentus, præſidiariorum numerus ac virtus: oppidani, igne tectis ſubiecto, in arcem ſe recipiunt, Turcis ſuccedentibus.* §. VII.

Hoſtes, in arcis oppugnationem omnibus viribus, incumbunt: obſeſſorum calamitates: iterata eorum ad deditionem ſollicitatio: diuiſa inde arcis præfecti, & præſidiariorum voluntates: oratio præfecti ad milites: militum reſponſio: Kohárii *conſtans animus: præſidiarii inuito eo, deditionem faciunt.* §. VIII.

Arce demigrant: Tökölii *inſolentia: arx diripitur; & puluere pyrio excuſſa, deletur.* §. IX.

Qua inde Kohárium *fortuna manſerit? verba* Wagneri: *auctoris commentatio.* §. X.

II. SALGÓ.

Arcis Salgó *ſitus: ſubſtructionum moles: & commoditates: laborat aqua inopia.* §. I.

Eius origines ignorantur: fata, bello Bohemico, & Turcico. §. II.

Gentis Derencyanæ *poſſeſſio: antea* Verbőtzii: *poſtea Comitum* Volkra: *hodie* Baronis *Sxluha.* §. III.

Iam ad vaſtitatem redacta, in rudus conuertitur: ſitus amœnitas: vertices circumpoſiti. §. IV.

III. SOMOSKŐ.

Poſitus arcis: nominis etymon: rupis, cui inædificata arx eſt, indoles. §. I.

Molis ſubſtructio triangularis: eius opportunitates. §. II.

Arcis primordia obſcura: inſignium veſtigia. §. III.

Præſidio munitam conſtat: quomodo a Turcis *intercepta fuerit? a noſtris eripitur dehinc: publico ſumptu, & præſidio munitur, & operis: in cuius hodie ſit poteſtate: eſt* Forgáchiorum. §. IV.

IV. ZAGYVA.

Zagyuæ *ortus ignoratur: eius ſitus: tenebatur olim a* Bohemis: BONFINII *ſphalmata emendata: a* MATTHIA *Coruino exſcinditur: erat olim gentis* de Zagyva.

V. BAGLYÁS-VÁRA.

Caſtri Baglyás *veſtigium: nullam inſignem fuiſſe molem, rudus condocet.*

I. FILEK.

§. I.

Origines Fileki, *dubiæ, & fabulis obſitæ:*

RIgines arcis FILEK, dubiæ ſunt nimium, & deſtitutæ ab hiſtoria: qua re factum eſt, vt, ſi a confictis vulgo narratiunculis, diſceſſeris, vix reperias, quid, aut negare poſſis, aut adfirmare. Plebis ſermonibus circumfertur, opilionem, iſta regione, gregem ſuum, poſitis ſtabulis, diu pauiſſe. Huius armentarius canis, cum pro more, ſparſis hinc inde veſtigiis, ſiue feras indagaret, ſiue laſciuienti ſimilis, confragoſum montem, percurſaret, in ſcrobem incidiſſe perhibetur, aditus quidem anguſtioris, ſed, qui poſtea in concamerationem, petræ inciſam, abierat, laxam illam capacemque. Proinde, ſublato latratu, quaſi rem opilioni ſuo indicaturus, non prius ceſſat, quam herus adcurreret, ratus, feram intercepiſſe canem. Hanc ergo, cum ſollicitus, ſed fruſtra, veſtigat, in ſcrobem, quam canis detexerat, incidit, repertisque humanæ artis veſtigiis, altius ſe in eam immittit, atque ſcrutatus ſcrupuloſius, theſaurum reperit opulentiſſimum. Lætus, *ea fortuna* opilio, *mutato primum vitæ habitu*, poſtea arcem, *in tantæ rei memoriam*, eodem loco ſubſtruit, & ſuo ex nomine, *Filek*, adpellat: *erat* autem *Philippo* nomen, quod priſca Hungarorum dialecto (*a.*) *Filek*, hodie autem elemento *k.* cum *p.* commutato, *Filep* enunciatur. Alii, a cane illo, arcis denominationem repetunt: quippe qui, *Füles*, id eſt, *auritus*, dictus ſit; ſed quomodo vltima illa littera in *k.* abierit, indicare nequeunt. Hæc, vulgo, de arcis origine, perhibentur, dubia ſane, & ſine ratione, ſicuti credimus, conficta. Neque melius arguantur, qui arcis nomen, Germanicum credunt, quaſi ſit, *Vieleck*, id eſt, *moles, multis angulis deformis;* quod demum Hungari *Filek* dixerint. Nos, ad communem illam arcium Hungariæ originem, natales *Fileki* referimus, nimirum; poſteaquam impreſſionibus *Tartarorum*, peruia eſſe cœpit regio, arces & caſtella, idoneis locis, collocabant noſtri homines, ſiue, vt circumfuſam regionem, aduerſus hoſtes defen-

nominis ratio:

(*a.*) Ita priſci Hungari, loco *Pedig*, dicebant *Kedig*.

defenſarent, ſiue, vt perfugia haberent, ſi quid ancipitis, atque ſubiti periculi, immineret: id quod BELAE IV. temporibus euenisſe, alibi monuimus. Atque, reperi ſane, in rebus BELAE IV. & filii ſui STEPHANI, regis iunioris, *Fileki* mentionem, eo diplomate perſcriptam, quo pacificationem Poſonienſem, *Stephanus* confirmabat. Eius verba (*b.*) ad hunc modum habent: *Vniuerſis etiam per præſentes ſignificamus; quod Nos Caſtrum* FYLEK, *cum pertinentiis ſuis, bona voluntate & gratanti animo receperimus a Chariſſimo Patre Noſtro, pro Caſtro, quod Idem Nobis promiſerat & ad dandum ſe obligauerat per ſuas Literas in Compoſitione, ſeu concordia* Poſonii *habita, vnde traditione, & aſſignatione caſtri prædicti Nobis iam facta, ipſum ab obligatione tradendi caſtri profitemur, & dicimus expeditum, & litteras, quibus ad tradendum caſtrum Nobis ſe obligauerat reſtituere promittimus, & reſignare, quæ ſi reſtitutæ non eſſent, vel reſtitui non poſſent, caſſæ & irritæ, & omni valore vacuæ habeantur, & vbicunque, & quandocunque exhibitæ, & oſtenſæ fuerint, nullius ſint momenti.* Hactenus diploma, anno MCCLXII. perſcriptum; ex quo coniicias, munitionibus iam tum, & opibus valuiſſe *Filekum*.

arcis in rebus Belæ IV. *mentio.*

§. II.

De ſitu arcis ISTVANFFII *verba:*

SItum *Fileki*, molemque, iſtis verbis deſcribit ISTVÁNFFIVS (*c.*) *Eſt*, inquit, *edito monti impoſita, nec ab aliqua parte, niſi vbi per portam intrari poteſt, ob rupium inacceſſas crepidines, diuiditurque in duas arces;* inferiorem, *quæ ciſternam habet profundam, qua pluuiales aquæ, per ſiphones deriuatæ, continentur; & ſuperiorem, quam* BEBEKVS, *ædificiis ornatam, ac mœnibus, propugnaculisque erectis, validiorem reddiderat; & in ſuperiori commeatum, resque neceſſarias, & tormenta, cum eorum adparatibus, collocauerat.* Ita ille: bene quidem, ſi triplicem arcem dixiſſet. Petra eſt, a vicinis montibus, qui ab ortu & ſeptentrione conſederunt, latiori valle, quam pro tormentorum iactu, diſcreta. Media enim planitie, in ſublime faſtigium adſurgit, præruptis vndiquaque petrarum articulis. Radices eius, palus ab occidente, irrigat, ab oriente ſubit riuulus, mola inædificata, arci, oppidoque peropportunus. Quod a meridie, montis radicibus adhæſerat, foſſa, iuſtæ altitudinis, ab ima arce diſiunctum fuit, & muro incinctum haud inualido. Arx vero ipſa, non cacumini ſoli, vti moles pleræque aliæ, inſederat, ſed a ſummo rupis faſtigio, vsque ad imas eius radices, per decliue latus, meridiei obiectum, inſtructa fuit. In tres eam partes, ſiue primi conditores, ſiue inſtauratores, diuiſerant. Harum infimam, duo, vtroque latere, propugnacula, ſolidiſſimo interſtructo muro, communiebant. Extus, foſſa erat, quam profundiſſime inciſa. Media hinc moles, palatia habuit, & diſcreta iuſto ordine, habitacula, iterum mœnibus, foſſa præcinctis, ab ima

idem, ab auctore deſcriptus:

triplex arcis moles, infima, & huius munitiones: media, cum ſuis opportunitatibus:

(*b.*) Vide, Operis huius Tom. I. Hiſt. Poſon. Cap. III. §. X. p. 118. ſequ. vbi inter grum diploma dedimus.

(*c.*) Lib. XIX. p. 353.

illa mole, ſecluſa. Heic ciſterna illa fuit, cuius meminit ISTVÁNFFYVS, puteus item, media area, per rupem pertuſus, atque latebræ, cum pulueri pyrio, tum accipiendo militi præſidiario, duriſſimæ petræ, impreſſæ, cum profundiſſimo carcere, illorum temporum duritiem referente: nam, huc immiſſi captiui, *Turcæ* in primis, non extrahebantur ante, quam, aut ad ſupplicia depoſcerentur, aut ad libertatem. Quidquid inde in ſummitatem adtollebatur, muro id partim, partim abſciſſa rupe, veluti pariete quodam, ſeiungebatur. Ipſum denique cacumen, rupes cingebat, prærupto faſtigio, & ad muri modum, præcipiti, atque imperuio. Huic maceries ſuperſtructa fuit, cum laxis conclauibus, propugnaculis, & tormentorum ſuggeſtibus. Artis hæc, iuxta & naturæ, munitiones, ita validam effecerunt arcem, vt capta altera, tueri ſe potuerit altera, tertiaque: cuius rei exemplum infra recurret.

ſumma moles, quomodo facta comparata.

§. III.

Quorum opera arx increuerit:

AD hanc molem, non impetu, ſed longiore temporis intercapedine, ſuccreuit. Prout enim, poſſeſſores habuit, ita, vel validior reddebatur, vel ad expugnandum fiebat procliuior. In primis, *Franciſcus Bebek*, multum in arce hac munienda, cum ſumtus, tum operæ poſuit. Adierat ille eius hæreditatem, *Blaſio Raſcay* (*d.*) mortuo: quippe cuius filiam in matrimonio habuit: nam longa annorum ſerie, in *Raſcayorum* poteſtate fuiſſe legitur; gentis oppido ſtrenuæ, & multarum arcium poſſeſſione, axiomate item *Comitum Neogradienſium*, nobilitatæ. Fuit autem *Bebekiorum* familia, non antiquitate minus, quam præclaris facinoribus, quin & variantis fortunæ luſibus inſignis. *Bubekiis* olim nomen erat, quemadmodum eos diplomata vocant. In his erant *Stephanus*, & *Emericus Bubek*, ludices Curiæ Regiæ, LVDOVICI, MARIAE atque SIGISMVNDI temporibus. *His* ergo maioribus ſatus, *Franciſcus*, quem diximus, *Bebek*, *idemque Fileko* potitus, vti erat arcium muniendarum peritiſſimus, *id* dedit operam, vt omnium, quas paſſim habebat, validiſſimam efficeret. Exſtat hodieque, inter triſtia, clariſſimæ olim arcis, rudera, operarum eius monimentum, portæ, quam *Bebekianam* vocant, inciſum. Nempe coronam arduæ rupi impoſitam, exſculpi curauit, ex qua palma, gemina cruce decora, prominet, anno, partitis vtrinque numeris, adſcripto: MDLI. adiectaque ſimul religionis ſignificatione: JESVS MARIA: & infra: MAGNIFICVS DOMINVS FRANCISCVS BEBEK DE PELSÖTZ, COMES COMITATVS GÖMÖRIENSIS, REGIVS CONSILIARIVS. Circum vero, arcuata inſcriptione, Pſaltis verba leguntur: DOMINVS PROTECTOR VITAE MEAE, A QVO TREPIDABO? Iſta, *Franciſci Bebek*, de arce,

Iam, & ſa. Ita gentis Raſcai, *&* Bubek:

d.) Erat quidem BLASIO huic, CASPARVS, filius, qui & ipſe muniendæ arci, operæ quidpiam impendit, vid. ISTVANFFYM, Lib. XXVII. p. 619. Sed eum improlem deceſſiſſe oportuit. Ceterum, *Stephanus* Raſcay, *Blaſii* pater, *Supremus Neogradienſis comes* fuiſſe legitur. Art. X. A. MDXLII.

arce, merita fuerunt, maiora procul dubio futura, niſi is, quod poſtea euenit, fortuna ſe iniquiore induiſſet. Quadriennio enim poſt, quam portam hanc, de qua diximus, conſtituerat, publico regis regnique (*e.*) decreto, proſcriptus, vna cum filio *Georgio*, ISABELLAE partes, palam ſequi cœpit: fatis & illic vſus, omnium iniquiſſimis: quippe, ab ISABELLA, ob collectas ſuſpiciones, (*f.*) crudeliter trucidatus. Motus ea iniuria, *Georgius*, FERDINANDI gratiam implorauit quidem, ſed leuitate animi adductus, easdem poſtea, quas deſeruerat, partes ſequutus eſt denuo. quo mortuo, ditiones eius vniuerſæ, & in his arx *Filek*, fiſco regio ceſſere. De eo ISTVÁNFFIVS: *Haud diſſimili*, inquit, *ſorte*, Georgium Bebek, *illuſtri ortum familia*, *apud* IOHANNEM *Sigismundum*, *ad quem*, *e Sulimanni carcere liberatus*, *relicta fortunarum ſuarum ſede*, *qua ſub Cæſare erat*, *maleſanis adductus conſiliis*, *tranſfugerat*, *in Tranſiluania fata ſuſtulerunt*. *qui*, *quum nullos mares liberos reliquiſſet*, *arces eius & bona*, *pro quibus tantopere armis erat certatum*, *Cæſaris fiſco ceſſerunt*; *quod ita vetuſtis Pannoniæ legibus ſancitum habetur*. Poſt *Bebekiorum* hanc denominationem, genti *Szétsianæ*, a regibus, *iure ſanguinis*, quod vocant, collatum fuiſſe *Filekum*, accepimus: qua exſtincta, nunc in Comitum *Kohári* eſt poteſtate.

Bodie iuris eſt Kohárianum.

§. IV.

Fata arcis, verbis ISTVANFFII, *recenſentur:*

IAm, quod ad fata nobiliſſimæ arcis adtinet, non poterat ad eum modum communiri, quin ab hoſte, nunc aſtu, nunc vi, intercipereturr. In primis memorandum eſt, captiui *Aethiopis* facinus, arcem, captu difficillimam, hoſti tradentis: quod quidem, quia eleganter deſcripſit ISTVÁNFFIVS (*g.*) eius verbis, quale fuerit, explicabimus: *A viro*, inquit, *munitionum peritiſſimo*, (Franciſco Bebek,) *ſpatium quoddam extra mœnia*, *in rupis ſummitate*, *nequaquam fuit animadverſum*, *ex quo per feneſtellam quandam*, *ingreſſus pariter & egreſſus dabatur in arcem*, *licet illa*, *nonnunquam ſera*, *haud adeo firma*, *clauderetur*. *Erat* Paullo Iánoſio, *arcis præfecto*, *captiuus Turca* AETHIOPS, *qui purgamentum & quiſquilias arcis*, *per eam feneſtellam eiicere ſolebat*. *Is*, *cum ſæpius ſpatium illud oculis perluſtraſſet*, *rupem*, *ab imo ad cacumen vsque*, *quamquam arduam*, *nequaquam tamen adſcenſu inſuperabilem fore*, *animaduertit*; *& per captiuos*, Hamſam, *qui in arce* SZÉTSÉNY, *haud procul Fileko ſita*, *præfectum agebat*, *clam admonuit*, *ſi ſe centum numis aureis (paullula mercede*, *magnum opus venditans) redimere vellet*, *effecturum*, *vt Filekum*, *breui in poteſtate habeat*. *Itaque*, *pro eo apud* Iánoſſium *ſe ſponſorem dat*; *deque arcis*, *rupisque ſitu*, *atque adſcenſu*, *deque ea feneſtella*, *aliisque circumſtantiis ſermones quam ſecretiſſimos confert*; *nec tamen*, *antequam fidei induſtriæque eius experimentum videat*, *vir cautus*, *quid adgrediendum exiſtimat*. AETHIOPS *igitur*, Hamſa, id

e.) Vide Decretum Anni 1556. art. XXIV.
f.) ISTVANFFIVS Lib. XX. p. 387.
g.) Lib. XIX. p. m. 353.

id expetente, per rupem reptando, & exploratis omnibus, ad feneſtellam pernadendo, (vnico tantæ rei conſcio, qui in arce ſuperiori, excubitoris officio fungebatur, agreſti homine) primum patinam plumbeam, ferculis menſis inferendis, dicatam, iterum vero Iánoſſii *pileum, multis grum & ardearum pennis conſpiciendum, eadem reuerſus via, ad* Hanſam *adfert. Tum ille, re cum ſuorum promptiſſimis, communicata, centuriones quatuor, nauandæ operæ cupidos, deligit, dato eis præfecto,* Mehemet *quodam, cognomine Magno, vtque incepta, maxime fideli ſilentio, tegant, & obſcura nocte,* Aethiopem *ducem ſequantur, admonet. Itinere ita conſtituto, vt prima vigilia* Filekvm *perueniretur, abſente* Iánoſſio, *& iis, qui domi erant relicti, quod ad multam noctem potaſſent, ſomno, vinoque victis, hoſtes, per ſaxa & præcipites cautes, non pedibus tantummodo, ſed etiam manibus, vbi adſperior adſcenſus erat, diu, multumque laborando, præeunte Aethiope, vnus poſt alium, tandem ad mœnia perueniunt, ac ſub feneſtella, vbi confertis ſtandi facultas erat, denſati conſiſtunt, & per ſcalam altitudine duodecim pedum, quam ſecum adtulerant, excubitore feneſtram aperiente, in arcem conſcendunt, ac donec omnes introrſum recipirentur, ſummum ſilentium agitatur. Poſtquam omnes in arcem conſcendere, tum vero tubis canere, magnum clamorem adtollere, portas ſuperiores occupare, tormenta, quorum maxima pars ibi ſeruabatur, in arcem inferiorem, & præſidiarios, obuertere, & diſplodere.* Hucusque Istvánffivs. Anceps poſtea vtrinque, eaque muralis pugna, conſequuta eſt. Turcæ enim, occupato arcis capite, vt reliquam eius molem, in poteſtatem redigerent, non labori, non periculis, pepercerunt: quos noſtri, tanti mali, ſubita formidine excitati, & ad arma concurſantes, tamdiu reprimebant, dum dies illuceſceret. Accurrit, de periculo monitus, Iánossivs, & arcem inferiorem nouo adducto milite, firmauit, quidem; ſed a noſtrorum auxiliis, quæ cunctatius, quam pro ancipitis periculi ratione, aduentabant, deſertus, *Hamſa*, contra ea, cum exercitu aduentante, ſtationem eam, dilapſis præſidiariis, relinquere coactus, breui poſt mœrore animi, a *Bebeko*, ad necem quæſitus, in arce *Balogh*, e viuis exceſſit. Ita arx, regionis huius perfugium, cum noſtrorum culpa, tum inuſitato *Turcarum* facinore, in tyranni poteſtatem venit.

exſtit tyranno.

§. V.

Mala inde conſequuta:

Ista, anno MDLIII. euenere, magno vtique, cum regionis vniuerſæ, tum in primis *montanarum vrbium*, malo. Turcæ enim, loco tam opportuno, ad late inceſſandum regnum vſuri, validæ præfecturæ ſedem heic collocauerant, quam octingenti equites, totidemque pedites, continuo præſidio, muniebant: vt voluntariorum militum, *Martaluſiorum* præterea ingentem numerum, taceamus, qui montanorum callium gnari, quoties lubebat, in ipſa hinc montanarum vrbium viſcera, *Zolium*, atque *Biſtricium*; illinc, vsque ad *Caſſouienſium*

ſium mœnia, procurrebant, annua tributa, quæ tunc paciſci oportuit, licentioſius repoſcentes. His ergo malis, vt nobiliſſimam regni portionem, exoneraret *Tiffenbachius* (*b.*) Cæſariani exercitus dux, collectis, e Germanico, & Hungarico milite, copiis, fortunam Transdanubiani exercitus, qui ad *Albam* feliciter pugnauerat, æmulaturus, ad oppugnandum *Filekum*, capta prius *Szabatka*, animum adiecit. Erant tunc in eius caſtris, *Sigismundus Rákóczy*, *Simeon Forgách*, *Stephanus Báthory*, *Franciſcus Dobó*, *Stephanus Druget Homonnay*, viri, & manu fortes, & conſilio promti, ſuas ſinguli turmas, frequentibus cum hoſte prœliis, iam pridem exercitatas, ductitantes. In primis, opportune ex Hungaria inferiore, aduenerat Nicolavs Pálffy, ſeptem millium exercitu, *nupera*, ad Albam Regalem, victoria, adhuc læto, ſtipatus. Neque auxilia Chriſtianarum circum arcium, deſiderabantur: quinimo, coadunatis, cum *Pálffyo* copiis, alacres in partem laborum expeditionis veniebant. Et Vetuſolio quidem *Ladislaus Maytiny*; Carpona, *Benedictus Pográni*; Bozoko, *Georgius Fánczy*; arcium illarum præfecti, cum delecta militum manu, aderant. Eo adparatu fretus *Tieffenbachius*, oppidum, arcemque, tanto acrius obſidet, quo plus animi, ex *Pálffiani* exercitus acceſſione, conceperat. Et oppidi quidem muri, frequentibus tormentorum ictibus, facile pertuſi ſunt; altero dein noſtrorum inſultu, neque eo incruento, occupati; ſed arcis oppugnatio, laborioſior fuit, & euentus ancipitis, quod, & validis propugnaculis, quæ, cum antea *Raskaii*, atque *Bebekii*; tum nuper admodum, Turcæ excitauerunt, præmuniretur, & præſidio teneretur, forti, atque ad omnem fortunam ferendam, parato. Accedebant glandium ferrearum, plumbearumque, imbres, quos in noſtrorum aggeres, obſeſſi, diu noctuque, effundebant, non leui operarum iactura. Interea, cum *Tiffenbach*, & *Pálffy*, partitis obſidionis laboribus atque periculis, nihil intentati relinquerent, laxataque, continuo tormentorum verbere, munimenti, quod portæ arcis prætenſum erat, compage, in opus, ſine ceſſatione incumberent, multum obſeſſis metus iniici cœpit. Accedebant, inuſitata morborum genera, quæ præſidiarios, inopinato inuaſerant. Nam, alios quidem comitialis morbus, vertigo capitis alios, alios, offuſa oculis lippitudo, haud ſine vindice numine, male adfligebat. Quibus rebus permoti hoſtes, tolerata ſextidui obſidione, conditiones, quam poterant, æquiſſimas pacti, arce decedunt, & a noſtris *Szétsényum*, quod adhuc in poteſtate habebant, incolumes deducuntur. Ad eum modum, arx, toti late regioni, multum noxia, tyranno, nihil tale opinanti, Chriſtianorum virtute, feliciter erepta eſt, poſteaquam annis XL. iniquiſſimo hoſti paruiſſet.

a Tieffenbachio obſtaſtur:

armis potiſſimum Hungaricis:

præſidiarii, inuſitatis morbis infeſtati, ardilionem faciunt.

§. VI.

b) Istvanffivs Lib. XXVII. p. 618. Confer, Anni MDXCVI. Artic. XXXVII. quem ad modum *Neogradienſis*, *Gömörienſis* & *Hontenſis* nobilitas, poſt re-cuperatum *Filekum*, ſupplicauerit, vt *bonis auitis*, quiete & libere poſſet perfrui.

§. VI.

Cauitur a Botskaianis, *post bimestrem obsidionem:*

SEculi dein XVII. anno IV. cum *Botskaiani* tumultus iniissent, noua *Filekino* calamitas, incubuit. Erat tunc arcis præfectus *Tanhauserus*, vir eximiæ in Cæsarem fidei; sed, qui cauere haud poterat, quo minus arcem, post bimestrem oppugnationem, non tam vi, quam siti coactam, hostis interciperet. De ea re ISTVÁNFFIVS: (*i.*) *Fileko quoque*, TANHAVSERVS, & ARCONATVS, *aquæ inopia, (quod putei duo, qui in arce erant, longis æstatis feruoribus exhausti, atque exsiccati essent) ac intoleranda sitis necessitate, compulsi, post duos obsidionis menses, ex-*

redditur, ex pacis Viennensis *conditionibus, Cæsari:* *cessere.* Sed ea possessio, nequiuit *Botskayo* esse diuturna: quippe qua, ex pacis *Viennensis* conditionibus, anno sequente, excidit. Postea, nihil intentatum reliquere *Turcæ*, vt arcem, multarum opportunitatum, sub suam potestatem mittere possent. Itaque, anno MDCIX. (*k.*) Agriensium præfectus, homo vafer, & ad nocendum Christianis, vnice intentus, nebulonem *conscleratissimum*, *Andream Brák*, promissis viginti millibus imperialium, induxit, vt arcis intercipiendæ occasionem, sibi suppeditaret. Aediculam scilicet, quam in suburbio, stramine intectam habebat, ad diem V. Aprilis, nocte concubia, igne subiecto, accensurus erat: vt, cum præsidiarii, flammis, pro more, exstinguendis, ne latius funderetur incendium, aperta arce, descensuri

Turcarum insidiæ propalatæ: fuissent, Turcæ, qui incendium illud, in insidiis præstolaturi erant, facta subito impressione, portas occuparent, arceque potirentur. Verum, proditoris hæc perfidia, mature propalata, *Turcæ*, occupandæ arcis spe deiecti: *Brák* autem ille, pro eo, ac meruit, quadripartito dissectus, & e patibulo suspensus est. Sed (*l.*) anno MDCXV. IV. *Maii*, vniuersa moles, coorto subito incendio, conflagrauit, flam-

intercipitur a Bethlenio: mis, vsque in oppidum, atque suburbia, propagatis. Nondum, ab ea clade, penitus conualuerat arx, cum *Bethlenius*, res nouaret. Proinde, a *Georgio Szétsy*, & *Francisco Rédey*, arctius obsessi præsidiarii,

frustra tentatur a Rákóczio: hosti, victas, (*m.*) manus dederunt. Diuersa fortuna, GEORGIVM RÁKÓCZY mansit, qui *Filekum*, anno MDXLIV. ineunte vere obsederat. Præfuit tunc arci cum imperio, *Adamus Veselény*, partium Cæsaris longe studiosissimus. qui ideo, obsidionem, eo tolerabat constantius, quo per internuncios certius didicerat, breui adfore, *Buchainum*, Cæsariani exercitus ducem. Hunc, posteaquam, festinatis itineribus aduentare inaudiuisset, *Rákóczius*, soluta obsidione, *Cassouiam*, cum suis, adulto iam Aprili, (*n.*) retrocessit. Postea, intemeratum mansit *Filekum*, vsque ad *Tököliana* seditionis tempora; forte, vt ad calamitatem vocaretur, fatalem eam, & inexsuperabilem. De

exscinditur hac WAGNERVS (*o.*) vitæ LEOPOLDI M. scriptor: *Cassouiæ*, inquit, *fortunam*,

i.) Lib. XXXIV. p. 825.
k.) ORTELIVS, P. II. p. 22.
l.) *Idem* l. c. c. p. 55.
m.) *Ibidem*, p. 66.
n.) Ita memoriæ proditum lego, apud ORTELIVM, l. c. p. 143.
o.) Libro VIII. ad annum MDLXXXII. p. 573. vbi nota, neque *Ipolam* riuum, sed amnem, esse, perenne aquosum; neque eidem adiidere *Filekinum*: quippe quod, passus, plus minus ter mille, in orientem, ab *Ipola* secedit.

nam, Onodinum, Tokaynum, Zendrea, Szepusium, Leutschouia, consecuti sunt, sic vt ex superiori Hungaria, minimum quid Cæsari restaret. FILEKINVM, *inferioris Hungariæ, haud ignobile, ad Ipolum riuum, oppidum, defensum fortius, honestius cecidit. Ab Varadiensi Bassa, collecto, e Transiluania, Hungariaque milite, decem & septem dierum oppugnatione, subactum. Obsessi, fortium fidorumque defensorum, omnes partes impleuere; tribus Turcarum millibus, per continuos assultus, neci datis; nec nisi capto, per partes, oppido, in arcem se recepere. Ea iam magnis ruinis aperta, circumstant* KOHÁRIVM, *loci gubernatorem, rogant: suæ, suorumque vitæ vt parcerent; minantur alioquin, petituros se conditiones, nec tam Bassæ, quam necessitati, deditionem facturos. Renititur vir fortis, & cui fama pro vita esset: nondum adesse extrema; seditiosos, proditores, timidos adpellat; nihilominus, Bassæ traditus, vt pactis subscriberet, permoueri non potuit. In tetrum carcerem, a barbaro compactus, inde, Tökölio dono missus est.* Ita rem gestam WAGNERVS memorat, quam nos explicatiorem dabimus: quippe, interpretibus amicis, ab ipso *Kohário*, heroe incomparabili, & dum hæc scribebamus, adhuc, in summa dignatione, viuente, acceptam.

a Tökölio, cuius rei historia, ex Wagnero *recitetur.*

§. VII.

Auctoris, de occasu arcis, narratio:

IAm vniuersa Hungaria superior, & qua Transiluaniæ confinis est, factionem sequuta fuerat *Tökölii*, neque retro, arcium vrbiumque superabat quidquam, quod non, aut ipse occupauisset, aut in Turcarum venisset potestatem. *Filekinum* erat super, quod insanis *Tökölii*, & fœderatorum conatibus, remoram ponere posse videbatur. Et ita omnino se res habuit: cum hinc quidem, tutandis montanis vrbibus, illinc, defensandæ late regioni, arx illa fuerit opportunissima. Accedebat, præsidiariorum virtus, quotidianis cum hoste, partim præliis, partim velitationibus, iam pridem exercita. Huic tunc, *Comes* STEPHANVS KOHÁRY, vir, & *manu* promtus, & consilio, fide autem in Cæsarem, nemini secundus, præerat. Proinde, *Tökölius*, collatis cum Turca, & *Michaele Abaffy*, sententiis, oppugnandæ arcis, & oppidi, consilium capit. Ac *Turcarum* quidem XC. millia, ad hanc belli societatem coiuisse, accepimus: cum præterea *Tökölii*, & *Abaffii*, coadunatus exercitus, L. plus minus, millium, censeretur. Ista multitudine fretus, *Tököly*, magnis itineribus, ad obsidendum *Filekinum*, aduolat. Mox, vbi in viciniam ventum est, missis semel, atque iterum, tubicinibus, arcem, suo, & fœderatorum nomine, dedi postulat, vltima quæque interminatus, id nisi fecerint tempestiuius. Quibus *Kohárius: Arci se præfectum non ideo esse, vt eam, imbelli metu, hosti dederet; sed, vt in obsequio Cæsaris conseruatam, omni fide, & constantia defensaret: si quid aduersum moliri occeperint hostes, daturum se operam, cum suis, ne id inulti facerent; ab hac consilii ratione, non prius dimotum iri, quam vita se, & sanguis defecerint.* Eo audito, vniuersum exercitum, in arcis conspectum, deducunt hostes, obsidionem, a leuibus præliis, simul exorsi,

Tökölii, & Turcarum ad arcem aduentus: præsidiariorum ad deditionem sollicitatio:

obsidionis exordia:

Illud, ad calamitatem oppidi, iuxta & arcis, pertinuit, quod prætet militem præsidiarium, fortem illum, & laborum castrensium patientem, ingens multitudo, cum vxorum & liberorum gregibus, huc perfugerat, belli, quod iniquissime gerebatur, calamitatem declinatura. Hostis interim, ne, si moras ad arcem necteret, opportunitate, rerum alibi agendarum, excideret, castra propius ad oppidum, in vestigio vici, cui *Szent-Ialua* nomen, collocat; ratus, intercipi ante omnia debere oppidum. Tenebatur id, a bis mille præsidiariis *Hungaris*, & insigni nobilium virorum corona, quibus *Belovich*, arcis *Vice-Capitaneus* præerat; quin & *Germanorum* peditum centum, intra mœnia, superfuerunt. Hi ergo, factis subinde, ac nocte potissimum concubia, excursionibus, stragem plerumque hostium, quam pro suorum numero, maiorem edebant. In primis emicuit virtus: *Lucæ Mácsay*, *Stephani Csont*, *Gregorii Kakuk*, *Darabos*, & aliorum. qui nunquam portis oppidi egressi sunt; quin acinaces cruore madentes, & decussos Turcarum vertices, secum reportarent. Iam, in diem decimum & quartum, protractus fuerat obsidionis labor, cum, & hostis muros oppidi verberare pertinacius, atque iteratis diu noctuque, maiore subinde virium contentione, insultibus, obsessos fatigare; & nostri, de seruando oppido, tametsi fortissime tuerentur mœnia, desperare. Igitur, multitudine, quæ oppido inerat, clam, in arcem dimissa, nocte intempesta, ignem tectis subdunt, fortunam obsidionis, *illic* commodius, sicuti rebantur, toleraturi. Hac vero opportunitate, vti *Turcæ*, & *Hungari*, fumans adhuc, sed vacuum incolis, oppidum, subeunt, arci, eo maiori furore, postea incubituri.

præsidiariorum numerus, & virtus:

oppidani, tectis igne subiectis, in arcem se recipiunt, Turcis succedentibus.

§. VIII.

ET ita omnino euenit. Exercitu enim tripartito diuiso, *Vezirius* quidem, ab ortu, positis per *humiliores* colles, tormentorum suggestibus, mœnia arcis quatiebat; sicuti a septentrione, *Seldius* quidam *Bassa*, globos igniuomos, in mediam arcem, euibrabat. A meridie *Hungari* confederant, colubrinis tormentis, & ipsi, arcem sine cessatione verberantes. Vnius diei atque noctis interuallo, mille ignitos globos, in arcem immissos fuisse, accepimus, qui non poterant non, in ea multitudine, quæ deserto oppido, arcem subierat, ingentem stragem edidisse. Vidisses, hic lactentes infantulos, ab vberibus sinuque matrum, quasi immisso fulmine, elisos; illic, disiectos, concursantium, ad arma militum, globos; oppressam alibi, succussis fornicibus, confertam multitudinem; magno ruinarum fragore, at maiore horum, qui intus erant, eiulatu; vxor isthic, & liberi, maritum patremque inclamabant; maritus alibi, vxorem & liberos, requirebat. Ad has angustias redactos præsidiarios, hostis monet denuo: *deditionem vti facerent: si arcem insultu capi oporteat, non ætati, non sexui, parsum iri; agerent, dum res integra esset; arcem dederent; ipsi*

Hostes, *in arcis oppugnationem omnibus viribus, incumbunt:*

obsessorum calamitates:

iterata eorum, ad deditionem sollicitatio:

ipsi, ex conditionibus, quas forte perigissent, quo cuique libuisset, incolumes abirent. Placuit, hostis iste nuncius, obsessorum plerisque, in primis, quod spem suppetiarum, qua sustentabantur adhuc, iam decollauisse, crederent. Sed, aliter, arcis præfectus *Kohári* statuit, honestam mortem, turpi & intempestiuæ deditioni præferens. Itaque, cum militem, tum nobiles maxime, qui huc euaserant, acrius increpat, &, vt porro officium faciant, grauiter monet: *Recordarentur, quam Cæsari, sub obsidionis exordia, quamque sibi mutuo fidem promiserint; toleratos hucusque obsidionis labores, & partam, tot eruptionibus, laudem, turpi isto consilio, obliteratum iri; nondum ita desperatas esse res, quin tueri eas possint, modo viros se præstare velint; DEum adfore precibus, daturumque dextris robur, vt reiici, aut certe ita fatigari hostis possit, vt inglorius, cœptis desistat. Inermis multitudinis stragem, & vlulatus, non tam frangere oportere, fortium virorum animos, quam inflammare, vt pro suis istis pignoribus, vltima quæque experiri malint, quam, hostis sanguinolenti arbitrio, se suosque, permittere. Neque spem omnem suppetiarum euanuisse; non permissuram hostium auiditatem, vt vnius arcis obsidione, rerum alibi, felicius gerendarum occasionem, elidi sibi e manibus, patiatur; vnum illud superesse, vt animos resumerent, neque, aut datam, Cæsari patriaque, fidem posthaberent aut suam ipsorum, pignorumque, salutem, odissent.* Ista *Kohárius:* digna impauido duce; sed, quibus adeo profecit nihil, vt exacuerit etiam querelas, perculsæ metu multitudinis. Nam, alii quidem, ancipitis periculi magnitudinem, pignorum alii stragem, quiritabundi exaggerare: omnes autem, fidem in Cæsarem testari; deditionem se facturos, non, vt ab optimo rege deficiant; sed vt cedant temporis, in quam incidissent, malignitati; sua suorumque cæde, res Cæsaris, & patriæ, nihilo fore meliores. Ageret proinde *Kohárius*, de conditionibus, tradendæ arcis, quam æquissimis, mature, & cum opportunum adhuc sit, cogitare occiperet. Ad hæc ille: *Periculi magnitudinem se haud ignorare*, inquit, *neque ita durum esse, atque inhumanum, quin imbellis sexus ætatisque cæde atque eiulatibus, moueatur; sed illud etiam probe meminisse, istiusmodi viros fortes, manere fata. quæ, si declinare voluissent, sacramento se militari debuissent abstinere. Turpe esse, fortunam queri, quam destinato consilio, elegeris; at turpissimum longe, priuatæ caussa securitatis, nolle, dum possis, totis viribus, in commune consulere. Se, nulla periculi, quantacunque sit, magnitudine, a fide, quam regi, & patriæ, iureiurando obstrinxerit, alienatum iri. Quidquid de se, arceque, cuius præfectus sit, DEus statuerit, velle impauidum opperiri. Sin autem præsidiarii tumultuari perrexerint, arcemque, se inuito, hostibus tradiderint, eius facinoris culpam, sibi haberent.* Istis dissidiis, cum tempus trahitur, hostis, duplicatis globorum ignitorum iactibus, forte, quod consiliorum hæc diuortia, perspecta iam habuit, præsidiarios tandem adegit, vt protenso e turri, albicante vexillo, deditionis signum præberent. Igitur, missis vtrinque arbitris, & ex arce quidem, *Paulio Gyurki*, prouinciæ no-

diuisa inde arcis præfecti, & præsidiariorum, voluntates: oratio præfecti ad milites:

militum responsio:

Kohárii constans animus:

præsidiarii, inuito eo, deditionem faciunt.

notario, ab hoſtibus autem, *Stephano Szirmay*, conditiones, quibus arcem dedi oporteat, in litteras referunt, poſteaque, mutuo conſenſu, firmant. Omnes tunc machinas admouerunt præſidiarii, & quos belli metus, in arcem coniecerat, vt *Kohárium*, ad ſubſcribendas deditionis leges, permouerent; qua tamen importunitate ſua; nam ſic interpretabatur præfectus; ne tantillum quidem profecerunt, vt prælegi eas ſibi pateretur, conſilii, quas ſemel cepit, rationes, haud omnino migraturus. Ita, validiſſima arx, decimo & ſeptimo, quam oppugnari cœperat, die, mœnibus, nondum plane deiectis, in poteſtatem hoſtium venit.

§. IX.

Arce demigrant:

Die præſtituto, cum præſidiarii, & reliqua multitudo, arce decederent, *Tököli*, in inferiori porta conſedit, militem, cuius virtutem ſuſpiciebat, iſthac exeuntem, ſpeculaturus. Hos, inuitus ſequebatur KOHÁRI. qui, vti *Tökölium* illic ſedere conſpexit, nonnulla primum in rem Cæſaris, excelſo animo, præfatur, poſtea *Tökölium*, pro eo, ac decebat, ſalutat. Sed, cum *Tököli*, conſtantia viri, iam ante offenſus, vilius *Kohárium*, quam pro dignitate, acciperet; is vero, ne ſtando, dominum putaretur venerari, (ſubſellium enim negatum ei fuit) ſedili, quod proximum occurrebat, arrepto, *Szirmayo* vicinus, conſedit: qua *Kohárii* libertate, adeo infremuit *Tököli*, vt ſe continere nequiuerit, quin, eo digreſſo, *Szirmayo* adfirmaret: *niſi*, inquit, *vicinus Tibi adſedisſet, crede, meo ipſius acinace, caput, infidi hominis, demeſſuiſſem:* egregio, ſcilicet, facinore, præclari belli ducem ſe eſſe, teſtaturus. Poſtea, arce, præſidio exinanita, triduum ei diripiendæ datum eſt. Congeſſerant huc, tum oppidi, tum vniuerſæ circum prouinciæ, incolæ, opes ſuas, quaſi ad commune quoddam perfugium; reuera autem, vt, quidquid, *a tot* bellis habebant reſidui, *ſimul id omne*, hoſtibus in rapinam traderetur. In primis, *Kohárii* ſupellex, magni vtique pretii, *iniquiſſimo* hoſti, in prædam ceſſit; vt præter equum, quem fidiſſimi ſerui, *Johannis Korponay*, miniſterio adſeruatum habebat, & veſtem, fortuito iniectam, nihil, ex iſta fortunarum ſede, extulerit. Expilata, ad eum modum arce, & tormentis, omnique adparatu bellico, in caſtra deducto, vnanimi victorum conſilio, tectis primum ignis ſubditur, atque, vbi ea conflagrauere, paſſim, per cellas, profundiſſimosque fornices, puluueres pyrii, diſponuntur, qui accenſi ex induſtria, validiſſimam arcem, tot fortiſſimorum virorum, immo *Martis* domicilium, dicto celerius, diſiiciunt, & in vaſtum ac deforme rudus, conuertunt. Iſte arcis occaſus fuit, vti regioni vniuerſæ noxius, ita, ſuo merito, iniquiſſimis *Tökölii* actibus, accenſendus. quæ in litteras referentibus, *Sambuci* (*p.*) noſtri, emblema ſuccurrit, CÆCVM exagitantis ODIVM:

Tökölii inſalens animus:

arx diripitur:

puluere pyrio exuſta, deletur.

Quam

p.) Emblematum, p. m. 249. prorſus ita factum, ac ſi de iniquitate hac *Tökölii*, fuiſſet vaticinatus.

Quam ſtultum eſt, inquit, *odium, propriis cum cædibus implet*
Quis patriam, diro & ſanguine tingit humum.
Qui ſibi vindicta, plus damni, quam facit hoſti,
Alterius pro vno & perdit vtrumque oculum:
Non ego prudentem dico, nec miror amoque,
Conditio melior, nam eſt, Polypheme, Tua.
Exiſtunt hodie, imbelles, qui damna vetuſta,
Omnibus vlciſci conſtituere modis.
Atque ſibi horrendos adſciſcunt turpiter hoſtes,
Vt pereant aliis, dum nocuiſſe queant.
Eſt DEVS vlturus tales, non ſera nepotum,
Longaque progenies hos numerabit auos.

§. X.

Qua inde Kohárium fortuna manſerit? verba WAGNERI.

CEterum, in quam hinc fortunam, coniectus ſit *Kohárius*, breuiter iterum WAGNERVS: *In tetrum*, inquit, *carcerem a barbaro compactus, inde Tökölio dono miſſus eſt. Hic certaminibus, haud paullo grauioribus, exagitatus, pollicitationibus, minis, cruciatu, ærumnis, omni artificiorum genere ſollicitatus, adeo de gradu deiectus non eſt, vt Tökölium*, proditorem nominis Hungarici, maculam indelebilem, Mahometanorum vile mancipium, *in os, compellaret. Iſthac libertas viro forti, mala accerſiit innumera. Tres & viginti menſes, in cæcum ergaſtulum retruſus, præparco panis, ac frigidæ demenſo, prope enectus eſt. Cuſtodes virtutem viri admirati, oblata fugiendi facultate, ſimul fugæ comites ſe addidere. Quatriduo, per ſiluas oberrantes, fameque confecti propemodum, in vicum quempiam, quærendi cibi cauſſa, ſe dedere. Agniti, retractique cuſtodes, palo, per corpus adacto, transfugium luere.* KOHÁRIVS *in Mongatſchini rupem, poſt Vnguarinum, ac Patakynum, in nouas ſemper iniurias abductus, ſuam perfidis perduellionem, ac dedecus exprobrare, numquam deſtitit, duobus poſt annis, capto, a Germanis Patakino, e profunda turri reſoſſus, atque in nouam vitam, velut ab inferis, adſertus eſt. Illuſtrioris fidei, in hiſtoria Hungarica, pauca exempla offendas. Viuit hodiedum, dum hæc ſcribo, vir ille, genere, litteris, armis, religione, præſtans, viuetque, in hominum memoria, dum aliqua hiſtoria, dum fidei virtutique aliquod pretium erit.* Adeo, KOHÁRIO, ſummo viro, intemerata, erga regem fides, non opprobrio tantum fuit; ſed calamitati etiam: tametſi hoſtes, non ſua id culpa factum dictitarint, ſed obſtinata *Kohárii* duritie: quippe qui, deditæ arcis conditiones probare noluerit, eaque re, hac ſe fortuna, ipſe induerit. Enim vero, ad caſtra, quæ ad vicum *Perſé*, hoſtes poſita habuere, deductum, nunc minis territabant, nunc illi ciebant pollicitationibus, fidem Cæſaris, vti deſereret: qua in re, in primis operæ permultum locauerunt, *Petróczy, Szirmay, Petneházy, Keczer, alii.* Itaque, cum nullis ſe artibus expugnari pateretur *Kohárius*, res, ad ſenatum belli defertur: vbi, cum diu fatis, acriterque

auctoris commentatio.

diſputatum fuiſſet, an ſaluus ille conductus, quem miles præſidiarius, & reliqua nobilitas, indultum habebat, ad *Kohárium* iure pertineret? paucis adfirmantibus, plerique omnes, in eam abiuere ſententiam; ſua ipſius culpa, eo beneficio, præfectum excidiſſe: quod arcis dedendæ conditiones, non modo noluerit compaciſci; ſed interminatus etiam ſit, CAESARIS indignationem præſidiariis. qui, id vt facerent, præſentiſſimi periculi magnitudine, adacti fuerunt. Iſtud ſenatus conſultum, quod *Tököli*, plerisque e ſuorum ordine, extuderat, *Petneházy* poſtea, *Kohário* nunciauit, ſimulque, vti in mandatis acceperat, quaſi ſortem eius doleret impenſius, certiorem fecit: *futurum in poſterum, tamquam degenerem patriæ filium, atque dominationis Auſtriacæ infandum ſatellitem, perpetuum* TÖKÖLII *captiuum, ſine cunctatione, ad diriſſimos carceres, abducendum.* At *Kohárius*, iſto nuncio, adeo fractus animo non eſt, vt viſus ſit etiam lætari, quod iuratam CAESARI fidem, his iſtiusmodi ærumnis, apud poſteros, inſignem eſſet redditurus. Non ſe tamen abſtinuit, quin monuerit *Petneházium*, diceret *Tökölio* ſuo: *Quemadmodum belli, quod gereret, vniuerſum genus, dirum eſſe, & exſecrabile; non modo, ob ſocietatem conſceleratiſſimam; ſed etiam, quod in regis perniciem, patriæque internecionem, libertatis obtentu, motum ſit; ita, hanc ſuam captiuitatem, deſtinatos carceres, & vincula, ſibi quidem gloriosa, ac,* DEO *comite, etiam tolerabilia;* TÖKÖLIO *autem, æternum pudenda, pœnitendaque fore: quippe, cum ea ſibi, nullius criminis cauſſa, impingat, quam, quia Cæſari fidem, patriæ autem amorem intemeratum, habuerit.* His dictis *Kohárius*, cum famulo, quem laudauimus, *Iohanne Korponay*, in quadrigas tollitur, *Regéczum* primo, poſtea *Munkatſinum*, denique *Vnguarinum*, deductus: vt locum is quidem, ſed non carcerum ſqualores, captiua peregrinatione, ſæpius permutarit. Tandem, capto, a Cæſarianis, *Vnguarino*, (haud vero (*q.*) *Patakino,*) in libertatem adſertus, nouis ſubinde, & dignitatum, & opum acceſſionibus, trium CAESARVM indulgentia, locupletatus, *mirifice* eſt. Hactenus, de arce FILEK, diximus.

II. SALGÓ.

§. I.

Arcis Salgó *ſitus:*

SALGÓ inde, gemino, ad meridiem, milliari, disiungitur. Arx omnino antiqua, & ſitus arduitate, memorabilis. Mons, quem occupauit, vndiquaque præruptus, atque ab oriente in primis, ſuſpenſis crepidinibus, præſciſſus eſt. Lentius ad meridianum ſolem adtollitur. qua, & callem admittit, tortuoſum illum, atque itineris, non niſi pedeſtris, eoque moleſtioris, quo frequentius adſcendentium adſpectui, moles, ſummo cacumine poſita,

q.) *Patakini*, e profunda turri refoſſum dixit WAGNERVS, id quod, ſatente *Kohário* ipſo, *Vnguarini*, accidit; neque tam refoſſus, quam ex cuſtodia, non plane diriſſima, exemtus eſt, atque adſertus in libertatem priſtinam.

poſita, quaſi ex induſtria falleret ſcandentes, ſeſe ſubducit. Ipſa eius ſubſtructio, vbi ad montis ſummitatem ventum eſt, in cochleæ modum ſurrigitur, ea ſitus proceritate, quæ inter confertiſſimos montes, *Karántſch* excepto, multis modis emineat. Nempe, vbi ædificia incipiunt, portæ veſtigia, viſuntur, petræ ſolidiſſimæ inciſa, & ita poſita, vt coniici poſſit, arcem olim, egregie munitam, neque operis fuiſſe tumultuarii. Quod vltra eſt, modico ſpacio, quaſi in areolam quandam protenditur, ſaxis partim, partim inædificatis mœnibus, concluſam, præſidiariis, ſicuti credi debet, exercendis, deſtinatam. Poſtea, turbine iterum facto, moles porro adſurgit, quam, excauatæ in petrarum lateribus, ſpecus, atque inædificatæ concamerationes, diſtinguunt. His olim, *militem* accipi oportuit. Quod vltra hanc regionem adſurgit, gemino olim palatio, ſed vtroque haud vaſto, abſoluebatur. quorum alterum, collapſum iam eſt, alterum, ruinæ proximum. Cum opus integrum fuit, *ita turbinato vertice prominebat*, vt limacem præ ſe ferret: vnde, quidquid, ſiue montanæ regionis circumfuſum eſt, ſiue campeſtris, tamquam e ſpecula, deſpici adhuc poſſit. Putei veſtigia, intra arcis pomœria obſeruata, haud meminimus; vt fas ſit exiſtimare, aqua pluuiali, in ciſternas collecta, præſidiarios victitaſſe. Nam fons, qui ad arcis pedem, perenne ſcatet, disiunctior eſt, quam, qui hauſtibus quotidianis, frequentari potuerit:

ſubſtructionum moles, & commoditates:

laborat aqua inopia.

Ardua nempe via eſt, & qua vix mane recentes,
Enitantur equi.

Vt taceam, infeſſu hoſtium, ſi caſtrum obſidione arctari contigiſſet, facile, ab hauriendo fonte, arceri præſidiarios potuiſſe.

§. II.

Eius origines ignorantur:

AT enim, arcis conditorem, fruſtra quæſiueris, niſi ex operis ruditate, de vetuſtate *voluceris* coniectare. Vocabuli ſonus, Hungaricum quiddam innuit, ſiue viri nomen id ſit, ſiue rei, cuiuscunque alterius. Tumultuantibus, iſta regione, *Bohemis*, diu in eorum poteſtate fuit, haud leui, circumpoſitæ prouinciæ, damno; ſed, an ab iſta illuuione excitata ſit, non eſt pronum adfirmare. Certe, BONFINIVS, (*r.*) *Giskræ*, a MATTHIA Coruino, Bohemorum malleo, ereptam, anno MCCCCLXII. memorat. A Turcis, ſtratagemate, propemodum puerili, interceptam fuiſſe, ISTVÁNFFIVS (*s.*) auctor eſt: *Arslani*, inquit, *ad caſtra reuertenti, haud procul erat arx* SALGÓ, Lupi Derenczenii *ditionis*, *quam* Simon Sagyvanus, *imbellis præfectus, tuebatur. Ea autem erat, arduæ rupi impoſita, & difficilem admodum adſcenſum, & op-*

fata bello Bohemico:

& Turcico.

r.) Dec. III. Lib. X. p. 529, 16. vbi *Salgan*, praue legitur.

s.) Lib. XVIII. p. 331, 39. Notamus conſulto, *Sagiuani* vocabulum, quemadmodum hiſtoricus ſcribit, corruptum hic eſſe oportere, debereque legi, *Szagyuay*, ſeu *Zagyua*, aut *Zacyuány*, arcis cognominis poſſeſſor, ſaltem. inde nomen trahens. cuiusmodi depranationes, multæ ſunt apud ISTVANFFYVM, & BONFINIVM.

& oppugnationem requirere videbatur, quod tormenta eo adtrahi, non niſi ſummo labore, & multis iumentorum iugis, nec ſine periculo, poſſent. Igitur, ARSLANVS, *quo vi non poſſet, aſtu ſibi penetrandum ratus, arboris prægrandem truncum, duabus rotis impoſitum, aliquot boum iugis, ad cacumen montis pertrahi, & ab agreſtibus, magno clamore boues, veluti ſub nimio ænei tormenti pondere fatiſcentes, vrgeri imperat. Fauit aſtutiæ eius inſolens fortuna, quod eo die, ex humore nocturnæ pluuiæ, craſſior nebula, aerem inuoluiſſet, adſpectumque omnem noſtris extorſum eripuiſſet. Interea, quosdam equites Turcas, Pannonicæ linguæ gnaros, præmittit, qui obſeſſis nunciarent, tormenta inuſitatæ magnitudinis, protinus, arcis mœnibus, admouenda, in proximo eſſe; proinde, conſultum fore, ſi eorum ictus, nequaquam exſpectandos ſibi ducant, ſed dedita arce, ſaluisque rebus exeant: ſe enim poſtea nemini parſurum. Ea fraude,* SAGVVANVS, *credita, non ſine riſu ſimplicitatis ſuæ, arcem hoſti tradidit, ac Arslanes ei, & ſociis, fide ſeruata, incolumibus dimiſſis,* SALGÓNEM *præſidio firmauit, & in caſtra reuerſus eſt.* Atque, iſta quidem anno MDLI. accidere, hoc eſt, biennio ante, quam *Filekum*, ex inſidiis interciperetur. Manſit poſtea in Turcarum poteſtate, arx *Salgó*, ad annum vsque MDXCIII. tunc enim, cum *Fileko*, quaſi iure poſtliminii, in noſtrorum venit poteſtatem.

§. III.

Gentis Derenciánæ *poſſeſſio; antea* Verbőcziі:

DERENCYANAE fuiſſe ditionis olim, ex ISTVÁNFFIO audiuimus: nam antea, *Verbőcziána* gentis erat propria. Sed, quæ *Derencyorum* fuerit familia, aut quando eſſe deſierit, longum foret explicare. Inde, in *Balaſſiorum* iura transſcriptam fuiſſe conſtat, atque, *Valentino Balaſſa*, improle decedente, fiſco regio, noſtra iam ætate, accenſam. Poſt hos, Comites *Wolckra*, regis indulgentia, in arcis, & vniuerſæ, quæ ei ſubeſt, ditionis, poſſeſſionem venerunt: quam illi, quia rationibus ſuis ita *conuenire* putabant, *Baroni* FRANCISCO SZLUHA *de Iklad*, rege, ius ei conferente hæreditariam, anno MDCCXXVI, accepto ære, lubentes permiſerunt.

poſſeſſa Comitum Vulckra; *hodie* Baronis Szluha.

§. IV.

Iam, ad vaſtitatem redacta, in dies conuellitur:

ILlud in arcis fatis dolendum, quod bellorum iniuria, an incuria poſſeſſorum, nihil iam, præter rudera oſtentet. Deſerta enim pridem eſt, atque humani cultus expers; hinc fit, vt ſubinde a theſaurorum indagatoribus, opilionibus potiſſimum, atque ſubulcis, pertuſis fornicibus, & parietibus ſuccuſſis, magis magisque deſoletur. Ad

ſitus amœnitas.

amœnitatem loci pertinuit, quod mons, ſiluis inſeſſus eſt glandiferis, & iugis decliuioribus quaſi ſubnixus. In his ſunt, ſaxoſi vertices, quorum alterum, *Takó-Pálköve*, incerta denominationis ratione; alterum, *Pécsköve*, ingenti lapidum congerie inſignem, vulgo adpellant. Cum arx, præſidio teneretur adhuc, ſpeculas, in his montibus poſitas fuiſſe, vulgus recordatur.

III.

III. SOMOSKŐ.

§. I.

Poſitus arcis:

VIcina priori, ab oriente brumali, arx SOMOSKŐ, adſedit, poſitu omnino arduo, tametſi, non æque celſo, qualem ad *Salgó* obſeruauimus. Nimirum, vaſti circum ſunt montes, *Medves* ab ortu, ab occaſu, *Sátoros*. In horum conuexis, in vallem, radicibus, rupes emergit, quaſi ex induſtria educta, cuius ſummitatem, arx noſtra occupauit. Nomi-

nominis etymon:

nis certe originem, ad rupem referri debere, ipſa vocabuli ſignificatio, docet: *Kő* enim, *lapidem* noſtris ſignificat, & compoſita voce, *Somoskő* (*s.*) lapidem, ſeu rupem, *corneam*, ſiue *cornis veſtitam*: quia *Som*, notat *cornum*, & *Somos-Erdő*, *cornetum*: forte, quod arboris illud genus, iſta rupe vigeſcebat aliquando. Petræ compages ita facta eſt,

rupis, cui inædificata arx eſt, indoles.

vt e lapide ad regulam cæſo, compoſitam crederes. Id multum habet admirationis, quod, quidquid circa rupem hanc, ſiue minutorum, ſiue grandium lapidum viſitur, omne id, ſuapte natura, formam *pentagonam* referat, angulis & lateribus, quaſi ex induſtria læuigatis: tametſi rupes ipſa, cotem duritie æmuletur. Atque ex iſto lapide, *Turcæ* cippos ſuos, cum *Agriam*, & *Hatuanum* tenerent, poſuiſſe, accepimus: patrio ſcilicet more, quo ſepulchra, erectis in altum lapidibus, ornare ſuecuerunt. Certe, ſubſtruendæ arci, opportuna hæc lapidum figura exſtitit. Nam, muros quidem ita coagmentatos videas, quaſi e cæſo lapide facti eſſent.

§. II.

Moles ſubſtructio triangularis:

IPſa moles, pro habitu petræ, quæ in triangulum adſurgit, eadem forma exædificata fuit; angulos, vaſtæ ac rotundæ turres, muniebant. quarum interualla, hic quidem valido muro, illic palatiorum contignationibus, *communiebantur*. Subtus fornices erant, ſoli-

eius opportunitates.

di operis, cellarium in primis, laxum illud, & quia petræ impreſſum, eximie frigidum. Quod ab his ſubſtructionibus inane manſit, in aream abiit, haud incommodam. Sed, ne aquæ penuria laborarent præſidiarii, ciſternam, in rupe excauarunt, primi eius conditores. Sin autem tuta erant omnia, fontem hauriebant, ad montis pedem, perenne ſalientem.

§. III.

Arcis primordia obſcura:

DE arcis primordiis, nihil tuto adfirmaueris. Certe, hodiernus molis habitus, in ruinam, ni inſtauretur, procliuis, indicio eſſe poteſt, priſca ætate, ſubſtructam eſſe, vt vicinis arcibus coæua credi poſſit. Niſi vetuſtas exediſſet inſcriptionem, arcui portæ

s.) Alii, ab obſoleto *Samoſodom*, quod eſt, *enucleare*, deriuari poſſe putant: quod petra hæc, quaſi enucleata adpareat, quibus non quidem contraimus; ſed, vt aſſentiamur, nullam cauſſam habemus.

inciſam, credo, haberemus, cui, ſiue ætati, ſiue conditori, molem adſcriberemus: iam nihil ſupereſt, in tota ſubſtructione, quod eius rei indicium queat facere, præter inſignia, interiori ianuæ inſculpta, & *Gryphum, tribus fluuiis incubantem*, referentia. quæ tamen, cuius memoriam referant, in tanto, apud noſtros, *Heraldices* neglectu, ne diuinando quidem adſequare: niſi gentis *Loſonczianæ* fuiſſe credamus; nam, ad eam pertinuiſſe arcem, ex *Iſtvánffio* conſtat.

inſignium veſtigia.

§. IV.

Præſidio munitam conſtat:

ALioquin, cum res eſſent dubiæ, præſidio muniebatur, haud imbelli; ſed cuius gloriam, multum diminuit *Nicolaus Fodróczy*. Res eſt iſtiusmodi. Ceperat Alibegus Filekienſis, *Kékkő*, & *Diuin*, arces, *Iohannis Balaſſæ* dolo irritatus. Tunc vero, & *Somo-Köienſem, haud procul inde diſtantem, inuadere nihil dubitauit, & cum ad eius ſitum contemplandum, cum legato ſuo*, HASANE, *& aliquot Turcis, acceſſiſſet, pila falconis, ex arce emiſſa, legatus diſcerpitur; ita, vt eius cruore ac fruſtulis, viſceribusque, ipſe fœdaretur. Qua nece permotus, adtrahi tormenta, & eis arcem verberari iubet. Ea olim* LOSONCZII *ditionis, hoc tempore, ab illius vidua poſſeſſa, arte ſimul & natura, ſatis munita erat; adeo, vt portæ eius, per quas ſolas in eam iter patet, e duriſſimis cotibus, magno labore, exciſæ ſint; cetera, in abruptæ rupis crepidine, conſtructa, adiri nuſpiam poſſint. Cum aliquæ pilæ in eam contortæ eſſent*, NICOLAVS FODORÓCZIVS, *imbellis & meticuloſus adoleſcens, a* CHRISTOPHORO VNGNADIO, *Loſonczianæ viduæ genero, impoſitus, cum ſociis, qui eam cuſtodiebant, ſubito ignobilique pauore conſternatus, eam deſeruit, & Agriam profugit: vbi cum a militibus ignauiæ incuſaretur, & a præfecto ſibi metueret, mœrore animi contabuit, & interiit.* Hæc ISTVÁNFFIVS (*u.*) ad annum MDLXXVI. habet. Tenuere poſtea arcem *Turcæ*, vsque ad annum MDLXCIII. vbi, capto *Fileko*, vacuam, (*v.*) *metu perculſi*, noſtris reliquerunt, nouo iterum præſidio firmandam; Sane, in Comitiis anni MDCXVIII. (*x.*) arci *Somoskő*, hunc in modum prouiſum fuiſſe, lego: *Pro cuſtodia tutiori arcium* SOMOSKÖ &c. *vt ſua Maieſtas, de aliquo præſidiario milite Hungaro, pedeſtris ordinis, prouidere benigne dignetur, Status & Ordines demiſſe inſtant: penes quos, etiam poſſeſſores arcium illarum, militem ibidem intertenere debeant.* Quin, & anno MDCXLVII. (*y.*) inſtaurandam voluerunt *Status & Ordines, gratuitis*, quos vocant, *laboribus*, eius ditionis, quæ tunc arci fuit obnoxia. quas operas, anno MDCLIX. (*z.*) *Inferiori Proceſſui* Comitatus Trenſchinienſis admenſi ſunt, pecunia redimendas: iterumque, anno MDLXXXI. (*a.*) ditioni domeſticæ, & Comitatui de *Sold.*: atque præſidiariorum numerum, ad XX. reductum, in decre-

quomodo a Turcis intercepta fuerit:

a noſtris eripitur denuo:

publico ſumtu, & præſidio munitur, & operis:

u.) Lib. XXV. p. 547.
v.) ISTVANFFIVS, Lib. XXVII. fine.
x.) Artic. LIII.
y.) Artic. CLIII.
z.) Artic. CXXX.
a.) Artic. VII.

decretis comitiorum, anni MDCLV. (*b.*) legas. Inde, ciuilibus bellis partim, partim poſſeſſorum iniuria, in rudus abire cœpit. Erat tamen perfugio nobilibus, fidem Cæſaris, nupero tumultu Rákócziano, ſequutis. quibus *Stephanus Bene, de Simegh*, præerat, captus poſtea a *Rákóczianis*, & carcere mulctatus. Nuper, in poteſtate fuit *Paulli Ráday*, cuius ſolius prouidentia: quippe, famulitium illic alentis, ne prorſus deſolata iaceret, tribuendum fuit. Alioquin, hæredium gentis *Forgáchianæ* eſſe, relatum accepimus. Vallis, quæ vltra hanc arcem in longum protenditur, a montibus vicinis, *Sátoros*, aliquibus etiam, *Vas-Kapu*, hoc eſt, *Porta ferrea*, dicitur, ob anguſtias, & impeditum iter.

in cuius hodie ſit poteſtate.

IV. ZAGYVA.

Zagyvæ ortus ignoratur:

INcertæ originis caſtrum, cui ZAGYVA nomen. Nos *Sarmaticos* ei tribueremus natales, ſi certum eſſet, vocabulum, ex idiomate *Slauico*, arceſſi oportere, quaſi ſit *Za Dwa*. (*c.*) Profecto, & ruderum obſoletus habitus, & hiſtoricorum ſilentium, vltra Hungarorum ætatem, primordia arcis poni debere, ſatis indicant. Diſtinguitur a duabus prioribus, *Salgó*, & *Somoskő*, bis mille, plus minus, paſſibus. Nam ita arces hæ poſitæ ſunt, vt data opera, in triangulo collocatas, crederes. Sunt, qui perhibent, earum præſidia, ſi quid periculi immineret, datis mutuo ſignis, quaſi celeuſmate quodam, ſemet inuicem, ad reſiſtendum commonefeciſſe, quod, & graſſantibus iſta regione Turcis, & late habitantibus Bohemis, accidiſſe, ferunt. Omnino autem, ZAGYVAM in poteſtate habuiſſe Bohemos, ex BONFINIO (*d.*) diſcas: quippe, a MATTHIA Coruino, receptam: *Supererant*, inquit, *& alia præſidia, quæ Bohemos adhuc Hungaria cedere non patiebantur. Hæc non multo poſt* MATTHIAS *in ditionem ſuam, prorſus redegit. Namque Rima-Szétsum, Zirchietum, Zaygriapheon, Salgon, & nonnulla alia, partim vi, partim ex deditione cepit.* Corrupta hic quædam eſſe, nemo non rerum Hungaricarum gnarus, inficiabitur. Tacemus reliqua; certe inauditum *Zaygriapheon* vocabulum, aut per operarum incuriam, aut oſcitante auctore, irrepſit. *Zagyváriam* forte, adfectata, pro ſuo more, terminatione latina; vel *Zaygvár*, aut *Zaygvam*; aut denique *Zagyvafő*, (*e.*) ſcribere voluit, profecto debuit: quod, cum locorum vicinitas ſuadet, tum belli eius indoles, vbi caſtro vno expugnato, eadem reliquis, & ſubita quidem tempeſtas, imminebat. Quod *Zagyvæ* in primis accidit: quia enim, oppugnanti regi miſſa, ex arce ſagitta, oculus fuit læſus, adeo exanduiſſe eum perhibent, vt non prius ab obſidione digrederetur, quam interceptam, ſolo æquaret. Erunt ergo deprauata illa, a BONFINIO, caſtrorum

eius ſitus:

tenebatur olim a Bohemis: Bonfinii ſphalmata emendata:

a Matthia Corvino excindituri

M 2

b.) Articulo III.
c.) Quaſi *Duorum Vice*, diceres.
d.) Decade III. Lib. X. p. 529, 16.
e.) Quod *Caput Zagyvæ*, ſignificat: nam hac omnino ora fluuius ille capita habet.

ſtrorum nomina, ſic reſtituenda, (*f.*) vt præter *Rima-Széts*, quod recte habet, *Szetsénum*, *Zagyuárum*, vel *Zagyuafö*, & *Salgó* legas. Ceteroquin, mons, cui arx inſederat, iugis *Meduesienſibus* a meridie adhæſit, vaſtis iam ſiluis inſeſſus, & ferarum luſtris commodior, quam hominum cultui. Ex eius vallibus, fluuius eiusdem nominis *Zagyva*, deiicitur, quem ſupra deſcripſimus. Olim, genti cognomini de *Zagyva*, paruit, ſed quæ iam eſſe deſiit.

erat olim gentũ de Zagyva.

V. Baglyás Vára.

Caſtri Baglyás veſtigium:

VEſtigium caſtri eſt, cuius hodie tenuia ſuperſunt rudera, eo itinere, quo, ad *Salgó*, verſus *Tarján* itur. Nam medio propemodum loco, rupes exſurgit, inæquali tumore. Huius cacumen, parietinas oſtentat, neque vaſtas, neque ita factas, vt de inſigni quadam ſubſtructione, indicium poſſit capi. Qui molem iſtam ſcrutati ſunt, vetuſti quiddam operis notauerunt, & quod, non tam iuſtæ arcis indicium referat, quam temporarii caſtelli rudus; forte eo fine, a promiſcua plebe facti, vt perfugium haberet, aduerſus vagi hoſtis impreſſiones. Cauerna profecto, quæ adhuc in petram acta viſitur, haud quidem propugnaculum fuiſſe, ſed recularum aliquod conditorium, cum res fuit trepida, vulgo iſthic congeſtarum, documento eſt. Iuuit interim non ſiluiſſe, hoc, qualecunque cadauer. Hucusque, *arces* fuerunt *Proceſſus Filekienſis*.

nullam inſignem fuiſſe molem, rudus conducet.

SECTIO II.

DE

Oppido Proceſſus Filekienſis vnico, Filek.

SYNOPSIS.

FILEK, *vnicum huius oræ oppidum: inſignis, dum floreret, celebritatis:* §. I.

Oppidi opportunitas: §. II.

Mœnia, quando excitari cœpta: ſuburbia, vallis incincta: §. III.

quibus Turcarum capita defigebantur: §. III.

Regionis circa oppidum habitus: Fontis acidi laus, & poſitus: §. IV.

Qui ſit hodie oppidi habitus: §. V.

§. I.

f.) Vtinam ſint, qui ſcriptorem alioquin ſcitum, ſed infelicem tamen in exprimendis nominibus Hungaricis, plane emendent. Id quod, vix poſſis ab alienigena ſperare: Hungarus ſit oportet, qui eam operam ſuſcipiat.

§. I.

TOto iſto tractu, vnicum oppidum, FILEK, occurrit, cuius ſupra, cum de arce egiſſemus, iniecta nobis fuit mentio. quæ recognoſcenda iterum eſt, vt morem noſtrum ſequamur. Cum integræ eſſent florentesque *Filekienſium* res, ea oppidi erat facies, vt vrbibus, etiam copioſis, merito conferri potuerit. Fuit enim nobiliſſimarum quarumque familiarum ſedes, tantæ celebritatis, quantam, qui recordantur adhuc, ſine dolore nequeunt reminiſci. Poſt captam enim, inſeſſamque a Turcis *Budam*, cum in dies latius fines ſuos prorogaret hoſtis, atque interceptis paſſim arcibus, infeſtam redderet regionem; non *Neogradienſes* modo *optimates*, ſed *Gömörienſes* etiam, *Heveſienſes*, atque *Hontenſes* habitatum huc coiuere: qui poſtea, cum cura elaboraverunt, vt, & ipſi habitarent commode, & oppidum redderent cultum, ac tantorum hoſpitum dignum *perfugio*. Certe, *Bebekyorum* temporibus, ea oppidum fuerat gloria, vt eius circum regionis, ocellus crederetur.

Filek *vnicum huius oræ oppidum:*

inſignis, dum floreret, celebritatis.

§. II.

ACcedebat loci opportunitas, ita comparata, vt ne quidquam deeſſet, ad exquiſitam commoditatem. Præterquam enim, quod arx triplici mole, per montis latus, ad ſummitatem vsque prorepens, vaſto ſuſpectu, oppido imminebat, & quaſi vmbram impertiebatur; intus certe, & extus, perculta fuerunt omnia. Aedes, non ex quidem proceræ, ſed operis tamen erant ſolidi, & ad tolerandam obſidionis iniuriam facti. Cellaria his ſubſtructa fuere, vaſtarum concamerationum, quibus non vina modo deponerentur, ſed præſidiarii etiam, tuto poſſent degere, ſi id, res in diſcrimen adducta, poſceret. In primis, *Bathoreorum* prætorium, pro tantæ gentis dignitate & copia, magnifice factum fuiſſe perhibent. Plateæ, præter morem, lapidibus inſtratæ, puræque habitæ, non minus elegans oppidum reddebant, quam auram ſalubrem. Multum ei præterea decoris fons conciliabat, quem medio foro ſalientem habuit. Vernacule *Kapitány-Kútfja*, hoc eſt, *Fontem Capitanei*, adpellabant. Et vehebat omnino aquas, eximiæ ſalubritatis, ſubterraneis ductibus, e longinquiore ſcaturigine deriuatas: qui tamen, cum oppido deleti ſunt, vt veſtigia vix amplius notari poſſint. Sane, *Pergama* Hungarorum credidiſſes, vbi, quidquid elegantiæ, apud adflictam gentem, ſupererat, in compendium coiuerit. Nam, adfirmant omnino, illius ætatis homines, *Filekinum*, ex tot arcium, & vrbium Hungaricarum, cladibus, ſuperſtes ſolum exſtitiſſe, vbi ritu patrio viueretur, &, quædam auiti moris imago, exſtaret Relatum accepimus, ſingulis menſibus, terna heic, prouinciarum, *Neogradienſis*, *Hontenſis*, & *Gömörienſis*, comitiola, celebrata fuiſſe; tanta concurſantium nobilium multitudine, vt obſeruatum ſit, ſubinde, tercentas rhedas, quas noſtri *Börös-Kotsy*, hoc eſt, *rhedas, corio indu-*

Oppidi opportunitas.

inductas, adpellant, illuc confluxiſſe. Vnde, cum de celebritate *Congregationum*, tum in primis *nobilitatis* copia, capi argumentum poteſt. Neque enim ea ætate, niſi digniſſimi quique, eo curruum genere, vtebantur. Vt eo magis exſecrandum ſit *Tökölii* facinus, qui nihil dubitarit, *Hungariæ* iſtud *Epitome*, contemerare, immo funditus conuellere.

§. III.

Mœnia, quando excitari cœpta:

MVri, oppido circumducti, validi erant, & vaſtis paſſim turribus, præmuniti. In his tormentorum ſuggeſtus fuerunt; ita facti, vt quam longiſſime hoſtis, arceri inde potuerit. Extus, foſſas depreſſerant, laxas altasque; ſed quantum indagare potuimus, nonnunquam ſiticuloſas, quæ antea vallis præmunitæ, ſolæ erant, quibus oppidum incingebatur. Certe, mœnia anno demum MDCXVIII. cœperunt excitari: nam eiusdem anni (*a.*) decretum, cum laborcs gratuitos diſpertitur, ita habet: *Ad* Filek, *Comitatus Zólyom, Liptó, Turócz, & Arua; Item ex Comitatu Hontenſi, Proceſſus Kis-Hont.* Item *duo proceſſus Comitatus Neogradienſis, videlicet Georgii Daróczy, & Michaelis Liberchey, ita, vt mœnibus circumdetur oppidum* Filek. Ea tunc *Fileki* erat felicitas, vt publicis operis, Rex & Ordines, muniendum procurarent. Ceterum, oppidi munitiones, arci erant commiſſæ, vt, ſi neceſſitas ita poſtularet, *oppidani*, & qui in arce fuerunt, mutuo ſibi poſſent ſuccurrere. Extra oppidum, ſuburbia protendebantur, materiariis ædibus, pro regionis more, excitata, ac ne hoſtium incurſionibus paterent, præacutis vallis, & egeſto aggere, concluſa. His, Turcarum capita ſuffigebantur, quæ ex frequentibus præliis, velites Hungari, referebant. Vetere enim inſtituto, quos in congreſſibus interemerunt noſtri, horum demeſſa capita, domum deferebant, & palis defixa, oſtentui proponebant. Et accidit omnino haud raro, vt longa vallorum ſeries, *his iſtiusmodi* nodis, *inſignita* adpareret, egregio documento, qua eſſent præſidiarii *virtute*. Enim vero, quo quisque frequentiores hoſtium vertices, ex conflictibus reportabat, eo maiori fortitudinis laude cenſebatur. Ergo, perpetua apud præſidiarios alebatur contentio, ne facta, in hoſticum irruptione, vacui, ab iſto prædæ genere, domum reuerterentur.

ſuburbia vallis incincta:

quibus Turcarum capita affigebantur.

§. IV.

Regionis, circa oppidum, habitus:

REgio, oppido circumfuſa, amœniſſima longe eſt, neque infœcunda. Nam, qua in planitiem diffunditur, partim pratis vireſcit, partim agris colitur frumentariis. Colles, orienti obiecti, vineis fuere conſiti, quorum radices, pomaria habebant, varietate fructuum non minus, quam præſtantia, nobilitata; ſed quæ hodie, neſcio quo malo incolarum torpore, inculta iacent. Præcipua hic *Fonti Acido* laus eſt, ſiue ſitum ſpectes, ſiue ſalubritatem. Disiungi-

fontis acidi laus, & ſitus.

a.) Artic. XLIX.

iungitur is ab oppido paſſus, plus minus, CCC. ea parte, qua ad ſeptentriones reſpicit. Planities eſt, fœniſecio deſtinata, quam a meridie in occaſum, agri circumſepiunt, collinæ quidem poſitionis, ſed molliter editæ. Prati, nimirum, refert ſpeciem, pulchre, inter agros depreſſi, ex quo eminet monticulus, iuxta riuum, ad aquilonem, acerui longioris forma, ſeſe adtollens, cuius latera, vineárum, vetuſti cultus veſtigia, vtrinque monſtrant. Inter hunc montem, & agrorum ambitum, media fere planitie, *Fons* ebullit *Acidarum*, ea vi atque efficacia, vt nares bibentis perfricet, ac, ſi hauſtus ſit liberalior, lacrymas etiam proliciat. Supra, de eius laudibus nonnihil adtulimus; vt nunc, ſolius cauſſa opportunitatis, memoremus, quam oppido præſtat. *Bibitur*, ſcilicet, ab incolis, non vt medicina ſit, ſed vt ſitis leuamen. Scatebram arbor caua incingit, copioſam adeo, vt quo hauritur frequentius, eo magis exuberet. Ita vero ſolent, vulgo, apud nos, præſtantiſſimi quique acidarum fontes curari, vt, & ſub dio ſint, neque aliter, quam extuſa craſſiore arbore, raro, contabulatione alia, circummuniantur, quæ pedem vnum alterumue emineat, & cum iumenta a potu, tum inſecta quæuis, a vitiatione aquarum, arceat. Hinc & noſter hic, haud quidem profundior eſt, quam vt modico adminiculo, (vncus plerumque eſt ligneus, quo vas ſuſpenſum immergatur,) hauriri queat. Proinde, mira haurientium alacritas, ac ſtatis temporibus, multitudo,

Mane ruunt portis, nuſquam mora: verſus eadem;
Veſper vbi potum tandem decedere vaſis,
Admonuit: tum rurſus eunt, tum rurſus amicæ
Mixtim cum pueris repetunt, remeantque puellæ.

§. V.

Qui ſit hodie oppidi habitus.

OPpidum hucusque dedimus, quale fuit, dum adhuc floreret, vtinam poſtliminio, *in vitam* reuocandum. Hodie enim, poſt funeſtum occaſum illum, de quo circa arcem meminimus, informe rudus eſt, atque ita permixtum, vt vix platearum, ne dicam ædium veſtigia, queant obſeruari. Auxit oppidi calamitatem, quod poſt deletam arcem, nemo fuerit, qui priſtinas ſedes, vel recogitaret, multo minus reædificare vellet. Solus erat, qui priſtinæ opportunitatis ſuæ nequiuit obliuiſci, *Comes* Stephanvs Kohárv: quippe qui, ſtaurandæ arcis conſilio, quod diu animo verſaſſe dicitur, migrato, ædem ſacram, memoriæ Assvmtionis B. Mariæ Virginis, dicatam, ac pone eam, *Cœnobium P.P. Franciſcanorum*, ingenti ſumtu, ex oppidi ruderibus, curauit excitandum. Memoriam eius dedicationis, his verbis, in aditu templi, expreſſam legas:

GLor Ioſæ DeIparæ VIrgInIs, InqVe CæLos aſſVMtæ, honorI.
Exiſtentibus ex ruderibus, antehac præſidii
Filekienſis, iuſto pietatis ſtudio reſtauratur.

Alio-

Alioquin, ſicuti ſe iam habet oppidum, exiguum eſt, & a plebe habitatum promiſcua, eo ſitu, quem antea ſuburbia occupabant. Incolarum pauci, artibus ſellulariis, plerique omnes, ruſticatione vitam tolerant. Hæc dixiſſe oportuit, ne oppidi memoria, penitus intercidat. Diſcedit *Loſonczino*, milliari, in orientem brumalem.

SECTIO III.

DE

Vicis Proceſſus Filekienſis.

Proceſſus Filekienſis vici, pro vaſtitate regionis, & copioſiores ſunt, & opportunitatum forte plurium, quam erant ii, quos ora *Loſonczienſis*, numerauit. Qui circa arcem *Filekienſem* ſunt, & hinc in meridiem ſparguntur, coluntur ab *Hungaris*; a *Slauis* contra, qui in ſeptentriones, iniquiore ſitu reiiciuntur. Illos prius, hos poſtea, peragrabimus.

1.) *Filek-Püspöky*, viciniſſimus oppido: quam ob rem, & nomen ab eo, mutuatus eſt. iuris *Archiepiſcopalis*, quod Hungarica denominatio, condocet. Sane vicus, ſi quis alius, copioſus, & a ſolerte plebe habitatus.

2.) *Ragyóltz* inde, modico, in meridiem, interuallo, eadem planitie conſedit, fœcundo rure, ſed cui colendo, plebs obtigit tenuior. Iuris eſt *Gellériorum:* quippe qui, materno iure, *Rogyoltzyanæ* genti, oppido antiquæ, ſucceſſerunt.

3.) *Csákányháza*, vicus nobilis, & priori conſimilis; ſed ſitus diuerſi; quia in faucibus vallis *Sátoros*, poſitus. Traiectis hinc in orientem, montibus,

4.) *Ó Báſt*, extrema Comitatus ora, qua *Gömörienſi* committitur, ſitus. eſt ditionis, partim, *Somos-Köienſis*, partim *Fajanæ*. Diſiungitur *Filekino*, duobus fere milliaribus: vicus oppido ſterilis, adhæc anguſto agro. Proximus ei adſedit, *Egyházas Báſt*, a prouincia noſtra, olim auulſus, & *Gömörienſi* accenſus. Inde, reducto in meridiem ſitu:

5.) *Vecſèklô* occurrit, copioſior quidem, ſed agro nihilo meliore, quem ideo, largo ſubinde lætamine, ad fertilitatem oportet prouocari. Alioquin territorium habet vaſtum, & intra montes *Medves* protenſum; proinde, ſiluarum glandiferarum diues: id quod, inter præcipuas vici commoditates retuleris. Cauernam in montibus oſtendunt incolæ, cuius accenſa ſuapte humus, diutius arſerit. Proxime hinc abeſt:

6.) *Cſered*, antea *Zered* dicebant, tenuis vicus, & modice cultus, iuris partim *Somos-Köienſis*, partim *Fajani*.

7.)

7.) *Pogony*, ſimitaneus plurium Comitatuum, puta *Heveſſienſis*, qua vico *Iſtenmezeje*; *Gömörienſis*, qua pago *Szabar*; denique *Borsodienſis*, qua *Doma-háze*, ager ſuus committitur. Nuper habitari coepit, cuius commoditates omnes fere, ſiluis glandium feracibus abſoluuntur.

8.) *Hideg-Kút*;

9.) *Szede*;

10.) *Bárna*, eiusdem oræ vici, montibus interſiti, & ſiluis, quod & in cauſſa eſt, vt incolas educent, ſilueſtres eos, & agreſtibus aliis multo ruſticiores.

11.) *Novák*, prioribus contiguus quidem, ſed opportunioris tamen ſitus, *quem ei vallis*, in agros exporrecta frumentarios, impertitur. *Siluis* certe, & paſcuis adfluit. Erat olim gentis, cui de *Novák* nomen, iam dudum exſtinctæ.

12.) *Kis-Terenye* hinc ſedet, loco, quam quos nunc vidimus, multis modis iniquiore. *Eſt Comitum Forgách*, & familiæ *Jánoky*: antehac nobilium de *Terenye*, qui eſſe deſierunt.

13.) *Vizlás*, &

14.) *Kazár*, copioſi vici, quibus ager collinus quidem obtigit, at fœcundus tamen. Quia paſcuis abundant, equorum armentis ſtudent incolæ, quæ hic egregie proficiunt. Alter familiæ *Gosztoni* eſt, alter *Hunyadiorum*.

15.) *Homok-Terenye*, in valle ſitus, quam riuus *Zagyua*, irriguam facit. Gaudet agro non infœcundo, ſiluis item glandiferis.

16.) *Némety*, priori ſuppar.

17.) *Zagyua*, vicus, arci, quam ſupra deſcripſimus, cognominis. Sedet, intra opacas, montium deuexitates. quæ ſitus iniquitas, non patitur, vt incolæ proficiant. Siluarum tamem beneficium, quod habent, ſpernendum haud eſt. Diſſidet *Filekino* duobus, *Loſonczino* autem tribus milliaribus. Iuris *Buloyvſzkyani*, & aliorum.

18.) *Somos-Ujfalu*, & ſitu, & iure, arci *Somoskô*, ſubiectus, agro, rei frumentariæ, quin & pecuariæ, importuno; eo quod, hinc quidem mons *Sátoros*, illinc *Karánts*, propagatis vtrinque iugoſis radicibus, impendent. Incolas nihilominus frequentiores alit, quam pro ſitus hac malignitate. Paret *Rádayis*.

19.) *Salgó-Tarján*, denominationem, ſicut adparet, ab arce mutuatus, cuius ditioni accenſus eſt. Ob iniquiorem, qui ei obtigit, ſitum, vulgo *Kenyeretlen-Tarján*, hoc eſt, *panis egenus*, (ἄρτων Græce diceres,) vocitatur. Nam, pauciores omnino agros habet frumentarios, quam qui, ſiue incolis ſufficiant, ſiue oeconomiæ, quam hic amplam, neque infructuoſam habet, *dominus terreſtris*. Opportune ei prædium, *Pony*, adſedit, cuius agrum, in rem ſuam vertunt *Tarjanenſes*. Pertinet, cum reliqua arcis *Salgó* ditione, ad *Baronem* Szluha. Alioquin, ædes heriles, commodæ ſunt, & ad rem faciendam, comparatæ. Sed, mola frumentaria, pro torrentium ratione, ſub-

inde feriatur. Ecclesia vici, haud vulgari opere substructa est. Recedit ab arce, medio, in occidentem brumalem, milliari.

20.) *Pál-Falva*, profundius in meridiem, trans montes *Karánts*, visitur. Modicus omnino vicus, a nobilibus *Komiáthy*, & *Patkós*, possessus. Mola, quam habet, ex habitu imbrium pendet; ceteroquin, agello gaudet vicus, non plane iniquo.

21.) *Kollát*, vnde non longe abest,

22.) *Karántsallja*, monti, eiusdem nominis, subsitus, & ditioni adscriptus *Salgóiensi*. Incolas habet negligentiores, quam id agri qualitas, haud profecto iniqua, deposcit. qua re fit, vt ægre vitam degant. Aedes sacra, in colle posita, iucundum habet suspectum.

23.) *Karánts-Apátfalua*, lautior priori, siue agrum spectes, siue incolarum copiam. Comitibus *Kohári* obnoxius. Vicinum habet,

24.) *Lapujtó*, vicum, elegantis amoenique situs. Est is *Motsáriorum* hæredium, quibus & sedem præbet. Nuper, vineas hic ponere cœperunt, loci domini, sed, ob vicinitatem, asperrimi montis *Karánts*, quem ab ortu obiectum habet, forte iniquius. Non longe hinc abest, *Bocsár* prædium, natalibus gentis *Motsariana* nobile, quam olim *Botsáry* adpellatam fuisse, vulgo perhibent.

25.) *Karánts-Berény*, tenuis quidem viculus; sed, qui tamen, inclutæ genti *Comitum* Berényi, originem dedit, quem & in titulis adhuc referunt, cum de *Karánts-Berény* adpellantur. Ager, siluis horret, atque montibus. Vici territorium, vsque ad montis *Karánts* summitatem, protendi accepimus.

26.) *Baglyás-Allja*, vltra montem *Karánts*, sub rupe, cuius in arcibus habuimus mentionem, collocatus. Paupere agello, sed pascuis eo pinguioribus, præditum cognouimus. Possessio, inter *Rádayanos*, & *Fajános* est dispertita. Inde

27.) *Pilis*, in occidentem, medio prodemodum milliari, semotus; improbæ sortis, quia montibus immersus. Situm, ingenium incolarum æmulatur, siluestre *illud* sane, & ne stiuæ quidem *satis* idoneum. Illuditur eis dicterio: *Pilisben nem látni szarkát:* quasi, *nulla in eorum vico pica adpareat*; sed subest lusus. *Pilis* enim adpellatiuum, *caluitiem* Hungaris significat; vt sensus dicterii sit: caluitici humani capitis, insidentem isthic picam haud posse obseruari. quod illi, de suo agro intellectum, negant: quippe qui, picis omnino sit hospitalis.

28.) *Tarnócz*, e montium angustiis eluctatus, in amœna planitie, orientali *Ipole* margine, consedit, loco, & agris læto, & pascuis; sed quem frequens militum, hinc inde commeantium, transitus, nimium quantum adfligit; ponte enim iunctus heic amnis est. Subest pluribus, parte tamen potiore, familiæ *Bene*.

29.) *Kalonda*, modico interuallo, a priori, aduerso flumine, disiunctus. Olim a nobilibus possidebatur, quos *de Kalonda*, adpellabant: quod marmor anni MDIV. emortuale, *Georgii*, nati *Stephani de Kalonda*, loquitur. Ager vico obtigit, egregie fertilis; sed angustior,

É NY.

, pro *PP. Dominicanis*.

Imperatorem fortiter dimicabant. Vltimi filius:
Aribus, confirmationem nobilitatis suæ acquisiuit.
Canonicus Collegiatæ Regiæ Ecclesiæ Budensis. †

Ab-
ons.

ivs II.

Pavllvs I. Cons. *Eva Ujfaluſſy de Devék-Ujfalu.*

Adamvs. I. Cons. *Sophia Com. Kohary.* 2. *Juditha L. B. de Bossány.*

Scs III. S.C. Lasiliarius. *nyara Com.* C *de Desc alu.*

Elisabetha, 1. Consors *Paulli L. B. de Ujfaluſſy.* 2. *Ignatii C. Forgách de Ghymes.*

Eva, Ord. S. Augusti. Kis-Martonii.

Emericvs, Cons. *Barbara* Com. *Zichy.*

Jvliana. Conf. *Francisci Antonii C. de Breiner.*

Ex 1. Coniugio

Maria Anna, Cons. *Georg. L. B. Andrássy.*

Elis *Ada zy. de N*

Thoma Comes Zemp R. M Tabul ral. A *Ther. de Sz.*

Anna Maria.

Ladislavs III.

Josephvs.

Ladislavs IV.

Clara, Ord. S. Claræ, & Conuentus Tyrnauiensis Abbatissa

Elisabetha. Cons. *Nicolaus Comes Zichy de Vásonkö.*

guſtior, quam pro voluntate incolarum. Eſt ditionis potiſſimum *Batikiana*. ad quam, & vicinum prædium, *Kis-Kalonda*, iam allodio deſtinatum, pertinet. Mola, quam hic *Ipola* impellit, frumentaria, amplorum eſt redituum.

30.) *Ráp* inde, altius progreſſis, occurrit, ſitu aliquantiſper in ſeptentrionem, eodem amnis latere, ſubmoto. Quia pontem habet, damnis eſt obnoxius, quæ migrationes militum, ex more, poſt ſe relinquunt. Ager ceteroquin vico obtigit, & frumenti ferax, & fœni; niſi funeſta ei ſubinde eſſent *Ipolæ* eluuia. Pertinet ad familiam *Battha de Vatta*. Hinc

31.) *Mulyadka*, collino ſitu viſitur; ſed ab *Ipola*, aliquantum reducto. Viculus, & colonorum numero modicus, & agro: cuius tamen anguſtiam, fœcunditas compenſat. Incolæ, ingenio perhibentur eſſe inquieto: hinc cum vicinis, agri potiſſimum, & paſcuorum cauſſa, perpetua eis fere ſunt iurgia, & altercationes.

32.) *Felsö, & Alsó-Terbeled*, viciniſſimi priori, & ob habitatorum paucitatem, *Dominorum terreſtrium*, quorum plures habet, villis, vt plurimum culti. Agro eſt non minus amœno, quam fertili, in primis, ſi lætamine prouocetur. Prædia, vicis adſita, *Saffy*, & *Lazy*, pinguibus paſcuis, luxuriant. Ex obiectu oppidi *Loſontz*, quod medio in occidentem milliari ſeiungitur, multum vicis iucunditatis accedit.

33.) *Filek-Keletſeny*, medio, inter *Loſontz* & *Filek*, itinere, orientali *Ipolæ* margini, impoſitus, denominatione, a *Proceſſus* metropoli adſcita, vt a cognominibus vicis aliis, poſſet diſcriminari. Ager vico circumpoſitus, laudem habet fertilitatis; ſed quem villæ *herorum* dudum, anguſtiorem fecerunt, quam qui colonis ſufficiat. Iuris hodie *Kanisayorum* eſt, aliorumque.

34.) *Filek-Kovátsy*, ita dictus, vt ne cum *Szétsény-Kovátsy*, qui eſt in *Proceſſu Kékkóienſi*, confundatur. Cultus omnino viculus, atque agro prædiuus, frugum, & fœni feraci. Adſedit *Ipolæ*, cuius alueus *Kölesér*, ſubinde damnoſus ei exiſtit. Seiungitur *Filekino* bis mille, plus minus, paſſibus, cuius etiam ditioni accenſus eſt.

35. *Perſe*, ad ſtagnantem riuum, quem limitanei *Gömörienſium* montes, deiiciunt, loco vliginoſo poſitus, & caſtris *Tökölianis*, nobilitatus. Olim, iuris familiæ *Motskos de Perſe*, poſtea *Báthoreorum* de *Galadgy*, fuiſſe perhibetur. quibus exſtinctis, ditioni *Filekienſi* adſcriptus eſt. Hinc ſunt, vtroque *Ipolæ* latere:

36.) *Galsa*, vnde gens *Galsayorum* perquam celebris.

37.) *Nitra*;

38.) *Bölk*;

39.) *Pintz*, ſortis eiusdem viculi, ſolo præditi, fertili, & paſcuo; ſed quem eluuiones interlabentis *Ipolæ*, ſubinde corrumpunt. Fructuoſa interim in amne piſcatio eſt, quam incolæ liberam habent. Feminæ, pinſendis ſpirulis, (tortæ genus eſt) vacant, quas hinc *Filekinum*, *Loſontzinum* illinc, venum deferunt. Infra hos,

40.) *Apát-Falva* eſt, tenuis vicus, idemque *Loſontzino* proximus. Arcto admodum territorio, quodque paſcuis, quam ſementi, aptius eſt. Vicinum ei prædium *Szent-Király*, adſedit. cuius fanum, cum munimentis *Giskræ* Bohemi, tum in primis, clade *Iohannis Coruini*, nobilitatum eſt. Olim, idem iſtud fanum *Templariſtarum* fuiſſe, perhibent; ſed incertis auctoribus. Altius, hinc ſepoſiti ſunt:

41.) *Savoly*, frequens omnino vicus, *Koharianis*, & *Vécseyanis* iuribus, obſtrictus; ſed, quod montibus ſubſitus, agro, quam hucusque vidimus, ſteriliore. Sedes nobilium *Horváth*, inſignem facit. Conſedit, ſupra *Filekinum*. mille circiter paſſibus.

42.) *Bolgárom*; rectius, quomodo & diplomata habent, *Bolgárhony*, id eſt, *Bulgarorum ſedes*. Alicubi & *Bolgár-földe*, quaſi *Terra-Bulgari*, legitur. Adhæſit monti *Bútſony*, cuius radicibus ita innexus eſt, vt ſubſeſſorum, non colonorum latebras, crederes. Habet tamen agros, ſementis, quam pro regionis indole, patientiores. Subeſt *Vécseyanæ* familiæ. Trans montes *Bútſony*,

43.) *Korlát*, iniquius ſedet, extrema prouinciæ noſtræ ora, qua ad *Gömörienſes* vergit.

44.) *Nagy-Darócz*, haud infrequens pagus, idemque *Gömörienſibus* hinc, illinc *Kis-Hontenſibus*, conterminus. Recedit *Filekino*, modico in ſeptentrionem, milliari, eſtque agro, niſi lætificetur liberalius, effœto.

Hucusque vici erant, ab Hungaris *culti*. *Nunc, quos* Slaui *habitant, perluſtrabimus*.

45.) *Vide-Falva*, Slauis, *Widiná*, exilis viculus, amni *Loſontz* adpoſitus, idemque, *V. Capitulo Strigonienſi* adſcriptus. Incolæ plerique omnes, figuli ſunt.

46.) *Toſſoncza*, Slauis *Totſchnitza*, intra montes, verſus ſeptentrionem, recedit. Eſt agro ſterili, quem tamen induſtria colonorum, mirum in modum edomat. Præterquam enim, quod primi ſint, *qui* iſla regione, ſubactis *mature* agris, ſementem faciunt, *primi profecto* meſſem inchoant, ſubinde largiorem, quam alii, in agris, natura multo fertilioribus. Tempus, a ruſticatione reſiduum, fabricandæ, omnis generis, ſupellectili, egregio fructu, impendunt. Alii enim, dolia compaginant; alii compingunt ſcrínia; rotas educunt alii, cum reliquo adparatu curruli, quas poſtea merces, per Hungaricos vicos, venum circumuehunt. Eleuatiore ſitu:

47.) *Szinó-Bánya* eſt, melius *Czinouá-Banya*, perperam, *Szwina-Bánya*. cuius etymi rationem, ſupra expromſimus: vt iam nihil adtineat, repetere. Fuit omnino montanum aliquando oppidum, qua tamen prærogatiua, excidit pridem; ſiue, ob fodinas exinanitas, ſiue, alia quacunque iniuria temporum. Incolæ, materiarii iam ſunt, & rei ruſticæ ſtudioſi. Intimius intra montes:

48.) *Turitſchka* latet, viculus tenuis, & nimia incolarum ruſticitate memorabilis. Pauci ii quidem ſunt numero, ſed qui æmulari audeant

audeant vicinos, etiam copioſiores. Certe, obtentu anguſtioris agri, habitatoribus locupletari recuſant. Accenſus eſt ditioni *Diuinenſi* partim, partim *Salgóienſi*.

49.) *Mlagyó*, Slauis *Mlazou*, vilis omnino pagellus, iisdem, quas iam diximus, ditionibus adſcriptus. Eiusdem iuris eſt, &

50.) *Ronya*, Slauis *Rownà*, a modica, in quam hic montes ſubſident, planitie ſic dictus. Colitur, non a ruſticis tantum, ſed a vulgo etiam nobilium. Vtrique, cum agricolatione, tum in primis, omnis generis materia, rem faciunt. Viciniſſimus ei eſt:

51.) *Búztritſchka*, denominationi *Salgóienſi* obſtrictus. Vltra hunc:

52.) *Ozdin*, Slauis *Ozgyin*, copioſus omnino vicus, montibus ſubſedit, *quos* ab occidente altiſſimos habet, liberiore paullo in orientem ſolem, proſpectu. Ager, quaſi ad ſteriles auenas damnatus eſſet, ita, tritico & ſiligini iniquus eſt. Hinc plerique incolarum, pro regionis huius more, ſolertes *ſunt* materiarii. Aedes ſacra, *in colle ſedens*, turriculam habet, gemino ære campano, inſtructam; ſoni tam elegantis, vt, ſi pulſetur, ſymphoniacorum modulos crederes, non æris campani ſonos. Olim, in edito monte, caſtrum habuit, ab *Huſſitis* inſeſſum, quos inde MATTHIAS Coruinus, depulit. Meminit eius BONFINIVS (*a.*) *Multa*, inquit, *adhuc caſtella ſupererant, partim ab ipſis erecta, quæ Bohemi, pertinaciter retinebant.* Et mox poſtea: *Deinde ad Balogvár caſtra mouit, & potitus oppido, paucis menſibus, tria præſidia expugnauit, in primis Gömörum, deinde Drench, tertio* VSDIN. Et exſtant omnino hodieque, molis eius rudera. Ante bellum *Bohemicum*, ad gentem *Otturics*, (ex qua, familiam *Etre* propagatam credunt aliqui) pertinuiſſe, priſcæ litteræ, nos docuerunt. quibus, anni MCCLXXIX. partitio arcis, *Vzdin*, & huius palatiorum, inter fratres, ab arbitris facta, perſcribebatur. Hodie, ditioni *Salgóienſi* adſcribitur.

53.) *Málna-Pataka*, Slauis *Málinecz*, laxus omnino, idemque, primus ad *Ipolam* vicus, territorio, & montibus vaſtiſſimis, circumſeſſus: quippe qui, ad duo protenſi milliaria, *Briznenſibus* apud *Zolienſes*, ſunt limitanei. Labor ideo incolarum præcipuus, in paranda materia, atque in primis, ſcindendis aſſeribus, & ſcandulis exaſciandis, ponitur, reditu haud omnino contemnendo. Agros frumentarios anguſtiores habet, quam pro numero incolarum, eosque paſſim, per deuexa collium, ſuſpenſos. Auena in primis lætantur, & leguminibus. Pertinet ad dominationem *Salgóienſem*, & *Diuinenſem*. Iam & prædium *Szalmatercs*, Slauis *Samotrcz*, territorio *Málnapatakenſi*, amenſum eſt, intra præcelſos montes, & opacas ſiluas, poſitum, atque cum vulgi fabellis, tum in primis *Ipolæ* fontibus, nobilitatum.

54.) *Hradiſtye*, trans *Ipolam*, profundæ valli inſedit. Fabrorum lignariorum officinam diceres, ita hic materiariis operis, ſtrepunt omnia.

a.) Decade III. Lib. X. p. 529, 14.

Quia enim agrum effœtum, ſiluas contra vaſtas, nacti ſunt incolæ, agri iniuriam, fabrilibus iſtis laboribus, vlciſcuntur. Subeſt vicus familiæ *Szent-Iványorum.*

55.) *Korna*, Slauis *Krna*, intra montes reiectus, vrſorum luſtris, quam humano cultui, opportunior. Incolis certe frequentia ſunt, cum immaniſſimis beſtiis, certamina, cum quibus, ſi ita res tulerit, & congredi audent, & vincere ſciunt. Multi tamen, ex inuſitato congreſſu, clumbes redeunt. Sin venatum inſtituere velint, quod vere faciunt, cum lignationem vrſi reddunt infeſtam; excitis plurium vicorum incolis, ſeſe ſtipant, tridui plerumque ſpatio, in vaſtis montibus oberrantes: ludicro hinc dicterio obnoxii; *quod vrſorum exuuias, ante vendere conſueuerint, quam in venationem proficiſcantur.* Ceteroquin, & hic materiariorum ſedes eſt, eo commodior, quo iſtis quidem operis, montes *Kornenſes* ſunt opportuniores.

56.) *Uhorská*, quaſi *vicum Hungaricum* diceres, tametſi a *Slauis* habitetur. Denominationis cauſſam, eam fuiſſe accepimus, quod bello Bohemico, temporibus LADISLAI poſthumi, hic quidem *Hungari*; in *Cſeh-Brezó* autem, *Bohemi*, infeſtas mutuo ſtationes, habuerint. Vicus copioſus, & ab incolarum ſolertia commendatus. Quin & ſitus mitior hic eſt, & rei ruſticæ, haud importunus. Templum, colli impoſitum, eximium vico decus conciliat. Adſcribitur ditioni *Koharyanæ.*

57.) *Cſeh-Brezó*, a Bohemorum præſidio, nomen accepiſſe, iam diximus. *Cſeh* enim Hungaris, *Bohemum*, ſiue *Cſechum*, ſignificat. Ferunt, tota hac regione, formoſiſſimas, duobus iſtis vicis, feminas dari, quaſi reliquiæ eſſent propaginis, nobiliſſimorum virorum, qui priſca illa tempeſtate, iſthic excubabant: ſolito militum vitio, raro, ſiue æſtiuis, ſiue hibernis ſtationibus, decedentium, niſi poſt ſe relinquant, qui olim contemeratos alienos toros, loquantur. Cetera, vicus, non tam vbertate agrorum inſignis eſt, quam incolarum, in paranda materia, adſiduitate.

58.) *Soós-Lehota*, trans riuum, modico interuallo, *in meridiem*, a priori, ſecedit. Exiiis omnino vicus, & anguſto agro, qua re fit, vt heic quoque, incolarum alii, fictilia educant, materiam alii edolent, communi huius tractus more. Prodiit e vico, incluta gens *Soóſiorum*; ſed quæ in maſculis, eſſe deſiit: ſexu femineo, in familiam *Gétzy*, propagato. Proxime hinc abeſt,

59.) *Póltár*, Slauis *Puoltáre*, amœniore, quam quos hucusque vidimus, poſitu, iugis pedetentim miteſcentibus. In primis, *Acidorum Fontium* laude pollet, quos, ſuo loco memorauimus. Ager, adhuc montani eſt habitus, hoc eſt, ſterilis, & lætaminis indigi. quo, vbi aſpergitur liberalius, haud fallit agricolam. Olim *Soóſiorum* erat hæredium, quibus inde titulus, de *Poltár.* iam ea gente exſtincta, in plurium abiit poteſtatem. Incolarum plerique ſiguli ſunt.

60.) *Zelené*, a virore nomen accepit. Sedet in occidentali *Ipolæ* ripa, commodo quidem ſitu, ſed, quod queruntur incolæ, arctiore terri-

territorio, quam vt, ſeu ruſticationi eorum ſufficiat, ſeu operis materiariis. Vtriusque ſtudioſos accepimus; litium tamen, quas cum vicinis, de finibus agrorum, ſerunt, amantes. Habet templum colli impoſitum, eſtque iuris, cum aliorum, tum *Baloghiani* in primis. Eodem amnis latere,

61.) *Berzencze*, Slauis *Breznitska*, ſedet, modicus vicus, & quia in via regia poſitus, ſubinde male habitus. Olim, laxius habitatum fuiſſe, grandia ædis ſacræ, rudera, indicium faciunt, in cuius parietinis, æris campani ambitum, deſcriptum aliquando vidimus, ingentem omnino, & nihilo fere minorem, *Neoſolienſi*, quod ſuo loco deſcripſimus. Id vero, *Ipolæ* immerſiſſe priſcos incolas, bellorum & rapinæ metu; ſed quo loco, hodierni homines ignorant.

62.) *Kálnó*, Slauis *Kalinowo*, profundius in meridiem, *Ipolæ*, ab occidente, adhæſit. Copioſus, noſtra ætate, vicus, ſed quem temporum difficultas, peſtilentia item, nimiopere diminuerunt. Habet prætoria familiarum *Etre*, & *Batha*, quorum iſtud, ineunte ſeculo, quod viuimus, ludum habuit litterarium, a nobili iuuentute frequentatum: in quo, prima latinitatis elementa, diſcere nos cœpiſſe, ſupra memorauimus. Incolæ, præter agricolationem, oppido induſtriam, ollis torrendis vacant. Poſſidetur vicus a pluribus.

63.) *Garáb*, Slauis *Hrabowo*, aduerſa ripa viſitur, cum æde ſacra, vtrique vico communi. Conſedit collino poſitu, eſtque priori multo exilior. Agro vtuntur compaſcuo, in cuius pratis, laudatiſſimæ acidulæ, quas iam deſcripſimus, ſcaturiunt. Inſignem vicum fecit, *Paullus Balásko*, prodigioſæ memoriæ ruſticus, cuius hiſtoriam (*b.*) alibi dedimus.

64.) *Nagy-Falu*, Slauis *Welkà-Wes*, quod grandem vicum notat: tametſi id hodie contra ſe habeat; eſt enim, ad exilitatem, temporum iniquitate, redactus. Eadem & hic, occupatio eſt incolarum, quam alibi toties *indicauimus*. Pertinet ad *Motsários*, & *Cſemiczkios.*

Atque XX. iſti ſunt vici, quos *Slaui* hoc tractu incolunt, genus hominum ita ſolers, vt officinam materiariam, non vnius, ſed plurium Comitatuum, merito poſſis dicere: qua de re, in moribus gentis, ſupra non nihil meminimus.

b.) Diſſertatione noſtra, de VETERE LITTERATVRA HYNNO SCYTHICA, Sect. II. p. 15. 16. quam adiiſſe, haud pœnitebit lectorem.

MEM-

MEMBRVM III.
DE
Processu Szétsénienſi.

PROOEMIVM.

COmitatus opima hæc portio, id nominis, ab arce & oppido SZÉTSÉNY, indepta eſt. Clauditur ea, ab oriente *Zagyva*; ab occidente *Ipola*, fluuiis; ſeptentrionale latus, ora *Filekienſis*; meridionale contra, *Kékköienſis*, definit. His terminis incincta prouinciola, campis non minus inſignis eſt, quam ſiluis, atque montibus. Vtroque ſitu, arces, oppida & vici ſedent, opportunitate quondam eximia: quæ ſingula, iuuabit perluſtrauiſſe impenſius.

SECTIO I.
DE
De Arcibus Proceſſus Szétsénienſis.

SYNOPSIS.

I. SZÉTSÉNY.

Arcis Szétsény *ſitus & opportunitates.* §. I.

Eius origines, non ad Bohemos; *ſed ad* Templariſtas *referunt: arcis munitiones: prætorium.* §. II.

Fata, quæ ſubierit: in propugnaculis limitaneis, haberi cœpit: capitur a Turcis, noſtris metu diffugientibus. §. III.

Turcarum Præfectus & miles præſidiarius: obſidetur a Iohanne Balaſſa: *quo adparatu? Haſanes, Filekienſis, obſeſſis ſuccurrit: Balaſſianos cadit: deletorum & captorum numerus.* §. IV.

Szétsénum *poſtea intentatum manet: capitur a* Nicolao Pálffy, *poſt occupatum Filekum.* §. V.

Poſtea, nouis operibus munitur, impenſis Neogradienſium: *exuſta a* Kohário, *a Turcis denuo inſidetur: vicennio poſt, a Polonis recuperatur.* §. VI.

Reliqua, & vltima arcis fata. §. VII.

II. HOLLÓKŐ.

Poſitus arcis Hollókő: *de eius ætate coniectatio: ſubſtructionum habitus.* §. I.

Regionis circumpoſitæ ingenium: mœnium radices, ruſtica plebs hodie colit. §. II.

Quando in Turcarum poteſtatem venerit? manſit ſub hoſtium tyrannide annis XLI. §. III.

Inſtauratur a noſtris, publicis decretis: recidit in Turcarum ditionem: Vicennio poſt, virtute Polonorum, recuperatur. §. IV.

III. BUJÁK.

Origines arcis Buják, *Slauicæ ſint, an Hungaricæ? eius ſitus: molis ædificia, & munitiones.* §. I.

Capitur a Turcis: redit ad noſtros, capto Fileko: *iterum Turcas admittit.* §. II.

Occupatur a Carponenſibus, Kékköienſibus & Gyarmathenſibus, ſingulari ſtratagemate: qui præſidiarios, contra datam fidem, trucidant: quomodo eam cladem Murtuzanus *vltus ſit? ditio olim* Báthoreorum *fuit; hodie* Eſzterhaziorum. §. III.

IV. ECSEGH.

Ecsegi *ſitus: rudera molis: cui fini olim fuerit excitata?* §. I.

Vulgi, de arcis domina, narratio: quam alii aliter interpretantur. §. II.

V. SAMSON-VÁRA, *ſeu* FEJÉRKŐ.

SAMSON-VÁRA, *incertæ originis: rudera eius, & opportunus ſitus.* §. I.

Circumſidetur a montibus: ob petræ albedinem, Fejérkő *dicta.* §. II.

VI. SZANDA.

Szandæ *præcelſus ſitus: arcis hiſtoria ignoratur: pertinuit olim, ad dominos cognomines: iam* Schreteriorum *eſt hæredium.*

I. SZÉTSÉNY.

§. I.

Arcis Szétsény *ſitus & habitus.*

SZÉTSÉNY, coniuncta, oppido cognomini, arx, media planitie, colli molliter elcuato, impoſita eſt: quod, & campeſtri huic regioni decus conciliat, & arci, amœnum quaquauorſum proſpectum. Nam, qua occiduum ſolem proſpicit, planitiem obtuetur, *Ipola* irriguam, & pratis, atque campo paſcuo, lætam. Quod inde, hinc ad ſeptentriones, illinc ad meridiem, camporum eſt, agris frumentariis colitur. qui habitus, & orientali plagæ, familiaris eſt. Poſtea, montes vndiquaque ineunt, lentis primum collibus, adſurgentes, ſed qui iugis propagantur, ſiluoſis, & multæ opportunitatis. Proinde, quisquis fuerit primus arcis metator, egregie, de ſitu, & eius commoditatibus, proſpexit, quæ ſunt iſtiusmodi locis neceſſariæ. Si quidem enim, obſideri arcem contingebat, non poterat cauere hoſtis, quin in conſpectum præſidiariorum veniret; ſin faciendæ eruptiones, expedita erant omnia,

& velitationibus commoda. Quibus rebus fiebat, vt, siue *Hungari* tenerent castrum, siue *Turcæ*, frequentes, istis campis, ac propemodum quotidianæ pugnæ, consererentur.

§. II.

Eius origines, ad Bohemos;

CEterum, dicere non habeo, quæ sint, peropportuni huius castri, origines. Sicuti, neque denominationis rationem queas reddere. Qui Bohemos, *Hussitas* illos, primos heic castellum excitauisse credunt, nescio, an id, documentis idoneis possint comprobare. Tametsi enim tenuisse locum, &, pro more suo, communiuisse, non negamus; id quod supra, ex Bonfinio emendato, in castri *Zagyua* descriptione, recognouimus; induci tamen haud poterimus, vt conditæ arcis gloriam, permittamus genti infestissimæ. Neque rectius

an ad Templaristas referenda?

coniectant, qui *Szétsénii* origines, *Templaristis* adscribunt, auido generi, & gaudenti his istiusmodi locorum opportunitatibus: si quod tamen eius inerat vnquam *Hungariæ*. Alioquin, haud deesse putant, eius rei indicia. Nam, collis, qui ad tormenti iactum, ab arce seiungitur, & hodieque, *Szent György-Vára*, id est, *St. Georgii Arx*, vulgo dicitur, vestigia quædam ædis sacræ ostendit, quam muri præmuniebant ac fossæ. Quidquid eius sit, arx certe ipsa, qualis iam est, nihil refert prisci operis. quod neque fieri potest, in tanta rerum conuersione,

arcis munitiones.

quam duobus retro seculis, subire cogebatur. *Nimirum*, oppidi mœnibus contigua, muro præmuniebatur latericio, quem circumductæ fossæ, & egesti aggeres, iidemque vallis conserti, validiorem reddebant. Angulos murorum, non vndique ad regulam procurrentium, turres, antiquo more excitatæ, communiebant. Has, vigiliæ insidebant, & colubrina tormenta. Intus arcta est area, cuius prætorium,

prætorium.

nuper, *Koharianis* operis instauratum accepimus. Quæ muris propius subsunt, casis olim præsidiariorum oppleta fuerunt: nunc in vsus *familiares* versa. Porta, *orientem solem* adspicit, sed, quæ rimas iam agit, ruinæ nuncias.

§. III.

Fata, quæ subierit:

FAta arcis, iniquiora subinde fuere, quam id credi possit. Posteaquam enim ex clade *Mohátsiensi*, Hungarorum vires adtritæ fuerunt; tyrannis, contra ea, Turcarum, in dies increscret, in præsidiis limitaneis haberi cœpit. Nempe, quo viciniores erant Neogradienses, Budensi præsidio, impressionibus fatigabantur, eo frequentioribus. Hinc ordinum regni sollicitudo (*a.*) illa; *vt Maiestas Sua Regia, habeat curam defensionis Comitatuum: Nitriensis, Hontensis, Barsiensis,* Neogradiensis *&c. ad quos Mehemet Bassa litteras dedit, comminans illis ignem, & ferrum.* Atque tunc (*b.*) in iis propugnaculis, relatum *Szétsény* legas, quæ publicis sumtibus, omni adparatu bellico, instrui

a.) Anni MDXLVI. Artic. XL. | *b.*) Artic. XLIV.

instrui oportuit. *Citra*, inquit, *Danubium, castris ac fortalitiis Saág, Pásztó, Drégheł*, Szétsény, *Buják, Léva, & si quæ sunt alia, præsidiis necessariis omnium generum, mature prouideat Maiestas Regia.* Vtinam vero, pro eo, atque id, seu loci opportunitas, seu securitas regionis, requirebat, a præsidiariis custoditum fuisset, *Szétsénium.* Verum, aliter omnino res cecidit. *Dreghelo* enim, arce apud *Hontenses* montana, & tribus fere milliaribus *Szétsénio*, in meridiem recedente, ab *Aly Eunucho*, expugnato, *Szétsénienses*, nec tentati, metu diffugiunt, & arcem præsidio inanem, hosti relinquunt. De turpi hac fuga Istvánffyvs: (*c.*) *cum*, inquit, *ad arcem* Szétséniam *peruentum esset, cuius custodiæ*, Lavrentivs Arokházy *præerat, milites præsidiarii turpiter profugere, Laurentio solo, & arce vacua indefensaque, relictis. Quod cum Laurentius animaduertisset, ipse quoque, ceteros secutus, fuga capta, in manus hostium incidit, diuturnamque apud eos seruitutem seruiit.* Ad eum modum, arx in Turcæ potestatem concessit, magnarum postea cladium, & caussa, & occasio.

capitur a Turcis, nostris metu diffugientibus.

§. IV.

PRæfecerant Turcæ Szétsánio, *Hamzam*, stratagematum insignem artificem, illum nimirum, qui *Filekinum*, ac postea *Tatam* quoque, astu interceperat, eaque re, imperium *Solymanni*, oclingentis, & amplius, oppidis, ac vicis, in ditionem redactis, longe lateque amplificauerat. Neque deesse patiebantur militem præsidiarium, qui perpetuis excursionibus, regionem fatigaret. In his *Martalusii*, cum primis infesti nomini Christiano, multas passim strages edebant, plagiariorum, quos *Pribék* vocamus, ministerio plerumque vsi. qui eos per occultos calles, ad loca etiam longius disiuncta, tuto deducebant. Decennio post, quam a Turcis occupata fuit arx, infausto omine, *Iohannes Balassa*, Zolii & Montanarum præfectus, obsidione eam cinxerat, suo nomini *labem*, cladem vero exercitui Christiano cruentissimam, acceleraturus. Prolixe rem Istvánffivs (*d.*) narrat, nos in compendio exhibebimus. Obsidebatur *Szatmarini*, frater Iohannis, *Melchior Balassa*. quem, vt ab eo periculo, distractis Turcarum viribus, liberaret noster, nihil dubitauit, suo ipsius capiti perniciem conflare. Proinde, obsidionem arcis *Szétsény* edicit, & quascunque potest, procerum copias, cum exercitu suo coadunat. Aderant nempe *Leuenses, Carponenses*, & *Bozokienses* præsidiarii. quos voluntariorum militum manus, haud contemnenda, sequebatur. Neque defuerunt, ex metallicorum ordine, qui, si ita vsus ferret, castrum, ductis cuniculis, suffoderent. Quin & *Agrienses*, delectam suorum manum miserant, expeditionem iuuaturi. Iam & *Bebekus*, cum mille vtriusque ordinis, militibus, atque duobus tormentis, in iter se dederat.

Turcarum præfectus, & milites præsidiarium:

obsidetur a Iohanne Balassa: quo adparatu?

a.) Lib. XVIII. ad Annum MDLI. p. 331.

d.) Lib. XXI. ad Annum MDLXII. p. 416. seqq.

dederat. Arcem tunc *Mahometes Jahiogles* cuſtodiebat, ſed quem ab ea ſtatione, *Sathmari* obſidio, auocauerat, relicto *Szétsény*, *Safvare*, alumno & collega ſuo. Iſtis ſuppetiis, & abſentia præfecti, fretus *Balaſſa*, ipſo die, reſurrectioni *Chriſti* ſacro, obſidionem exorditur. Erant in eius caſtris, quinque, plus minus, militum millia, tormenta minutiora, quibus arx verberabatur, duo. Interea, *Safvares*, ad *Haſanem*, *Filekienſium* præfectum, clam nuncios mittit, periculum, quo ſit circumuentus, exponit, ſibi vt ſuppetias ferret impenſe rogat. *Haſanes* ergo, nihil cunctandum ratus, celeritate, qua potuit, maxima, octingentos, e præſidio equites, ad ferendam *Safvari* opem, ipſe educit, vtque ante illic adeſſet, quam ſe *Balaſſianis*, *Bebekus* poſſit coniungere, celerrime proficiſcitur: non, vt ſummam rei, pugnæ committeret; ſed, vt minutioribus præliis, diſtento *Balaſſio*, obſeſſos ex arce educeret, & ad tutiora loca comitaretur. Res tamen, magno *Balaſſianorum* malo, longe aliter cecidit. Nondum ſcilicet, in caſtra aduenerat *Bebekus*, cum *Haſanes*, quaſi cælo depluiſſet, in conſpectum noſtrorum venit, imprudentes adgreditur, vrget, turbat, & ante diſiicit, quam, vel in ordines coire, poſſent vel ſclopos exonerare. Primi omnium pedites in fugam effuſi, terga dabant. Contraibat *Balaſſius*, & nunc singularum turmarum duces, nunc fugientium manipulos, qua precibus, qua conuitiis, retentabat, ne in tantum dedecus ruerent. Sed fruſtra hæc a *Balaſſio*: nam, fugato peditatu, equitatus vix tentata pugna, ordines primum deſeruit, mox effuſis habenis, ex prælio excesſit. Vtrosque *Haſanes* conſectatus, DCL. cæſorum capita, totidemque captiuos, *Szétsénium* retulit, & caſtris potitus, victor *Filekum*, paucis e ſuis deſideratis, reuerſus eſt. Hæc tunc, ad *Szétsénium* geſta fuere, infelici omnino ſidere; at maiore *Balaſſii* temeritate: quippe qui, non exſpectatis vicinorum auxiliis, impetu animi, non conſilio, rem gerendam ſuſceperit. Inter cæſos, *Andreas Sátory* Carponenſium, & *Demetrius Matyús* Agrienſium agminum ductores, fortiſſimi viri, numerabantur. reliqua multitudo, e gregariis erat. Capti autem fuere, *Iohannes Cruſith*, *Thomas Pálffy*, *Caſpar Schuty*, & *Stephanus Soós*, partim *Leva*, partim *Carpona*, cum delecta militum manu, caſtra ſequuti.

Haſanes Filekienſis, obſeſſis ſuccurrit:

Balaſſianos cadit:

delatorum, & captorum numerus.

§. V.

Poſtea, intentatum a noſtris relictum eſt *Szétsénium*, neque, niſi crebris velitationibus, quæ ſubinde iuſta prælia æmulari poſſe videbantur, identidem fatigabatur: varia tamen, quod ſit, fortuna, ſucceſſu autem plerumque iniquo; dum *Turcæ*, etiam nulla clade accepta, ſaltem inſultu noſtrorum irritati, non raro, magnas, per vicos, & oppida, ſtrages ederent, quaſi, qui noſtrorum temeritatem vlciſcerentur. Tandem *Filekino*, ſubita, ſed operoſa tamen obſidione, capto, *Nicolaus Pálffius*, inſignis heros, (*e.*) *Szétsénium*, quaſi obiter

Szétsénium poſtea intentatum manet:

capitur a

e.) Vide, Anni MDXCIX. Art. XLVIII.

obiter obſeſſum, (nam a *Filekino* copias hibernatum deducebat) & tormentorum ictibus, aliquantiſper verberatum, in poteſtatem ſuam redegit, atque præſidiariis ſecuram demigrationem pactus, *Honorium Tanhauſerum*, Germanum quidem origine, ſed in Hungarum, a familia *Hathalmiana*, adoptatum, præeſſe iuſſit. Ita *Szétsénium*, cum armis propemodum XLII. magna circumſitæ regionis calamitate, a Turcis inſeſſum fuiſſet, noſtris poſtliminio conceſſit: ſubinde, CCC. equitum, & CC. peditum, firmatum præſidio.

Nicolao Pálffy, poſt occupatum Filekum.

§. VI.

In eunte ſeculo decimo ſeptimo, Matthiae *Archiducis* iuſſu, cum reliquæ Neogradienſium arces limitaneæ, tum in primis *Szétsénium*, nouis operibus muniebantur: quam curam, *Neogradienſi Comitatui*, publicis poſtea regni decretis, (*f.*) mandatam legimus: quod & ita fiebat, temporibus *in primis* Ferdinandi II. cum hinc ciuiles tumultus, illinc, Turcicarum impreſſionum tempeſtates, incubarent. Exſtant hodieque, eius induſtriæ monimenta: nimirum porta, ad orientale oppidi latus poſita, cum muro latericio, vtrinque late protenſo: niſi iam & iſtud opus, ruinam minaretur. Capto a Turcis *Vjvarino*, quod (*g.*) anno MDCLXIII. accidit, *Léva*, *Nitria*, *Galgoczio* atque *Nouigrado*, hoſtibus traditis, *Stephanus Kohárius*, *Szétsénienſis*, ea tempeſtate *Capitaneus*, quod arcem retineri poſſe deſperabat, igne exuſtam, relinquit; eo auidius poſtea a Turcis inſeſſam, quo opportuniorem locum nouerant, ad vrbes montanas, ac prætenſam iis regionem, impreſſionibus & rapinis, fatigandas. Inde XX. annis, Turcarum ſedes fuit *Szétsénium*, atque officina ſimul innumerarum calamitatum: demum, poſt liberatam, ab obſidione *Viennam*, & captum *Strigonium*, Polonorum armis, ab ea expeditione decedentium, recuperatum.

Poſtea, nouis operibus munitur:

exuſta a Kohário, a Turcis denuo inſidetur:

vicennio poſt, a Polonis recuperatur.

§. VII.

Quæ hinc ſequuta ſunt tempora, tametſi reiectos longius Turcas viderunt, *Szétsénio* tamen non ceſſarunt calamitoſa eſſe, atque funeſta. Namque, graui fame, tota Hungaria inualeſcente, cum præſidiario militi commeatus deeſſet, iuſſu *Paulli Eſzterházy*, Regni Hungriæ Palatini, arx noſtra, igni iterum exuritur, præſidiario milite, exauctorato partim, partim aliorſum demigrare iuſſo. Eius deſtinationis miniſter, *Franciſcus Diſznóſy* fuit, tribus Croatarum centuriis ſtipatus. Poſtea, arcem præſidio munitam, haud quidem meminimus: præterquam *Rákocziano* tumultu, cum is, caſtrenſi ritu, anno MDCCV. comitia

Reliqua, & vltima arcis fata.

f.) Anni MDCII. Art. XIV. coll. A. MDCIV. Art. VIII. Anni MDCXIII. Art. VIII. Anni MDCXVIII. Art. XLIX. Anni MDCXXII. Art. XXXVI. Anni MDCXXXV. Art. XCII. Anni MDCXLVII. Art. CLIII. Anni MDCLV. Art. III.

g.) Vide Wagneri Hiſt. Leopoldi. M. Lib. II. p. 135.

mitia iſthic agitaret, atque ſui ſequaces, fœdere ſecum innecteret, longe pernicioſiſſimo. Mirum dictu, quanta celebritate, rem illam inſtituerit, vt priſcæ guſtu libertatis, quam obtendebat, exnouo iſto comitiorum, genere, ineſcaret, nouarum rerum ſtudioſos. Cuſos, in tam præclarum, ſi Diis placet, facinus, numos memoriales recordamur. quorum altera facies, vultum *Rákóczii*, tres Veſtales virgines altera, referebat, ſuccenſum in ara ignem, adgeſtis ſarmentis, alentes, cum ἐπιγραφῇ: CONCVRRVNT, VT ALANT: & ſubtus: CONCORDIA RELIGIONVM, ANIMATA LIBERTATE. Anno MDCCV. IN CONV. SZÉTS. Arx nuper, ære *Kohárviano* eliberata, ſedem præbuit IOHANNI ADAMO FORGÁCH, ſupremo Neogradienſium Comiti, & hæreditario ditionis SZÉTSÉNY dynaſtæ: cetera, priſcis munimentis, propemodum nuda.

II. HOLLÓKŐ.

§. I.

Poſitus arcis Hollókö:

MOdico inde milliari, arx HOLLÓKŐ, in orientem æſtiuum, intra montes, recedit. Situs omnino aſperrimi, & quem, non tam amœnitatis cauſſa, delegiſſe cenſendi ſunt, primi eius molitores, quam vt dubiis rebus, perfugium haberent. Conſedit enim, in præſciſſa, & ſublimi rupe, acceſſus omnium difficillimi, ob crepidines petrarum, mire ſibi impendentes. Aetatem, qua condita ſit, ignorare cogimur. Qui ex molis habitu, argumentum capiunt, ad BELAE IV. tempora, eius exordia reponunt. Nam, continuo opere, haud omnino ſuccreuit. Præcipua ſubſtructionis pars, turri abſoluitur pentagona. Opus in primis, antiquum & ſolide, atque ad regulam factum. Hanc, gemino incinxerant muro, ætate, vt ex operis colligere eſt, poſteriori, ruditer admodum & inconcinne educto. Poſtea, nouis ſubinde porticibus augebatur, vt in molem excreuerit indigeſtam, & nullo *eductam ordine*.

de eius ætate coniectatio: ſubſtructionis habitus.

§. II.

Regionis circumpoſita ingenium:

CIrcumſidetur autem vaſtis montibus, quos petræ horridos reddunt. In his ſunt, *Gondhegy*, id eſt, *curarum mons*, ab ortu arci obiectus; & qui huic vicinus adſedit, caput multo adtollens altius, *Szárhegy*. Reliquam regionem, profundæ hinc valles, iſtinc ſiluæ, longe denſiſſimæ; mox iterum prærupti montes, quaſi vnus ex alio naſceretur, diſcriminant. Varia his nomina, vulgo indita. Nam, ad meridiem quidem *Hárts berts* eſt atque adfinis illi, *Fekete hegy*, & *Bábbiki*. Omnes hi ſiluoſi ſunt, ferarum luſtris perquam opportuni. Sed, qua ſeptentrionem arx contuetur, mollioribus iugis miteſcit regio, quorum latera, inde a priſcis temporibus, vite fuerunt conueſtita, quam adhuc curant incolæ; ſed pro tenuitate opum, languentibus operis.

ris. Habet enim inquilinos arx, circum mœnia nidulantes, quos bellorum calamitates, & commigrantium militum licentia, huc coegit.

mœnium radices ruſtica plebs hodie colit.

§. III.

Quando in Turcarum poteſtatem venerit:

ANno MDLII. primum in Turcarum poteſtatem venit, non tam hoſtium virtute ſubacta, quam præfectorum, qui ei cum imperio inerant, diſcordia. *Exinde, Eunuchus,* inquit, ISTVÁNFIVS, (*h.*) puta Szétsénio, quod deſertum a noſtris occupauerat, *celeri itinere, ad caſtrum, cui a corno nomen eſt,* (Holló enim, cornum *Hungarice* ſonat) *caſtra promouit.* Ac mox poſtea; *Eunuchus, Caſtro Corui, quod Andreas Szági & Emericus collega, inter ſe diſſiderent, eadem facilitate, potitus eſt.* Nimirum, procellæ tunc inſtar, quascunque adorti ſunt arces, Turcæ peruaſerunt, aut incuria, aut metu, aut diſſinoſtrorum aditu. Fuit vero ſub hoſtium tyrannide, annis omnino XLI. poſt recuperatum *Filekum*, priſtinæ dominationi, a *Tieffenbachio*, vindicatum. Metu enim perculſi Turcæ, quidquid iſta regione montanarum arcium tenebant, vacuum reliquerunt: magna tunc rerum Chriſtianarum acceſſione.

manſit ſub hoſtium tyrannide annis XLI.

§. IV.

Inſtauratur a noſtris, publicè decretum:

EX eo tempore, curæ fuit noſtris arx, tutandæ regioni, multum ſane opportuna. Hinc, non (*i.*) inſtauratio modo; ſed præſidium etiam XX. peditum, publice decretum (*k.*) ei fuiſſe, legimus. Verum, anno MDCLXIII. Hungariæ fatali, recidit in manus Turcarum. *Szétsénio* enim occupato, non ante quieuere Turcæ, quam arcem ſimul *Hóllokő*, ſub iugum mitterent. Erant tunc in ea, cum modico admodum præſidio, *Matthaus Benky*, & *Vrbanus Nagy*, viri, haud omnino deſides; ſed ob rerum iniquitatem, ad eas conſilii rationes adacti, *vt arcem* dederent, iis conditionibus, quas, pro fortunæ malignitate, optimas paciſci potuerunt. *Caſtro*, ad eum modum *potiti* hoſtes, *validiori*, quam erat Chriſtianorum, præſidio, idem muniunt, XX. annorum interuallo, iſthic, haud ſine regionis iniuria, hoſpitaturi: eiecti tandem, Polonorum virtute. qui, vti diximus, victores, poſt liberatam *Viennam*, & captum *Strigonium*, in hiberna demigrabant. Poſtea, Turcis, *Buda*, & vicina circum regione, depulſis, præſidio nudatum accepimus, breui in rudus abituram, niſi inſtauretur denuo. Eſt iuris Comitum *Forgách*, & nobilium *Szemere*.

recidit in Turcarum ditionem:

vicennio poſt, virtute Polonorum recuperata.

III.

h.) Lib. XVIII. p. 331, 24. & p. 332, 4.
i.) Anni MDCVIII. Art. XV.
k.) Anni MDCLV. Art. III.

III. Bvják.

§. I.

Originis arcis Buják, Slauica sint, an Hungarica?

BVJÁK arx, priori, multo validior, sed fortunæ haud melioris. Si vocis significationem sequaris, Slauorum opus, credas, oportet. quibus *Buják* taurum significat. Aliis tamen, *Hungaricum* etymon placet; vt *Buják*, obsoleto vocabulo, latebram ipsis notet. Neutris contraimus, eo quod vtrorumque coniectatio, dubitationem habeat. Id negari nequit, referre

eius situs:

omnino situm arcis, quod latebram quodammodo æmuletur. Nam, ita intra montes retrusa est, vt, nisi ab oriente, qua vallem, late postea diffusam, obtuetur, conspici nequeat. Scilicet, extremæ, *montis Gombhegy*, rupi inædificata, valle, quasi ex industria depressa, ab occasu, &

molis adificio, & munitiones:

septentrione, subcingitur. Rupes, cui insedit, ardua est, atque edita, sed quam contiguus, quem *diximus*, vertex *Gombhegy*, supereminet. Arx ipsa, turri adtollitur vasta, & in orbem, muro longe solidissimo, educta. Hanc, subtus laxi fornices, postea, qua tectis proxima fuit, tormentorum suggestus, distinguebant. Circa turrim, conclauia fuerunt, & propugnacula, mœnibus commissa validis, neque subruendis facile, quia petræ fuerunt inædificata. Maximum erat, quo porta olim præmuniebatur. quam postea præsidiarii, quod importuno loco positam crederent, obturauerunt, portula, cum ponte versatili, eo arcis latere, quod in occidentem vergit, adaperta. Intus, præter cisternam, petræ incisam, puteus erat, LXXX. orgyiarum altitudine, per durissima saxa excauatus: qui adhuc, inter rudera arcis visitur, nuper dutissima saxa excauatus: qui adhuc, inter rudera arcis visitur, nuper, a conscleratis latronibus, iniecto hominis cuiusdam, qui res Iudæi curabat, cadauere fœdatus. Alioquin, montes, arci adsiti, petris horrent, in primis, cui a *S. Martino* nomen. In eo, parietinæ ædis sacræ visuntur, quam *Templariorum* fuisse, more suo, vulgus perhibet. Atque hæc situs *asperitas*, oppugnationem, cum accidit, operosam efficiebat.

§. II.

Capitur a nostris;

EAdem illa tempestas, quæ arces vicinas, e manibus nostrorum eliserat, *Bujákum* quoque abstulit; Qua de re Istvánffivs: (*l.*) *Eunuchus*, inquit, *ad Bujákum*, Báthorii *arcem, haud procul,* (ab Hollókő) *distantem, diuertit; & cum ea muro crassiore, ac satis firmo, munita esset, nec in eo quinque diebus verberato, quidquam fere dirutum esset, difficilis oppugnatio futura videbatur, si quæ in præsidiariis virtus, aut constantia, fidesque, adsuisset. Sed illi, intempestiuo metu, ac pauore perculsi, perfractis fornicibus, in quibus reconditum thesaurum falso putabant, vna cum* Martino Kéresy, *præfecto, non sine perfidiæ labe, arcem relinquentes, sese in fugam coniecerunt: quos tamen Turcæ adsequuti, concisos, & ad vnum interfectos, deleuerunt, solo conseruato*

l.) Loco citato.

seruato Martino, *qui in ipsis vinculis, & carcere postea exstinctus est.* Ita tunc *Eunuchus*, peregrinabundo similis, paucis diebus, arces complures, intercepit. Rediit tamen ad nostros, post ereptum Turcis *Filekum*, cum iis arcibus, quas eadem ista tempestas eripuerat; fatis ita volentibus: vt, qua temeritate, atque metu, ante annos XLI. a nostris desererentur, eodem nunc hostium pauore, derelictæ, in nostrorum manus venirent. Postea, ciuilibus dissidiis, quæ seculo XVII. quater recruduerunt, quin domesticum hostem admiserit, non est, cur dubitemus. Istvánffivs, *Botskayo* deditam memorat. Illud certum est, subacto a Turcis *Vjvarino*, quod anno MDLXIII. euenisse meminimus sæpius, *Bujákum* in hostium potestatem concessisse, fortunam, vt credere fas est, arcium reliquarum sequutum.

redit ad nostros, capto Filekoi

iterum Turcas admittit.

§. III.

IAm, in Turcarum potestate, diutius hæserat: cum *Carponenses, Kékkőienses* & *Gyarmathenses* præsidiarii, de intercipiendo eo, consilium ineunt. Placuit nimirum, quod aperto Marte, ob paucitatem suorum nequirent, si possent, stratagemate conficere. Proinde, signis numerosioribus comparatis, adscitisque, qui tympana pulsarent, tibiisque canerent, quam pro suorum numero, pluribus, expeditionem suscipiant, arcis obsidionem, facta ingentis exercitus specie, simulaturi. Mons est, in conspectu *Bujáki*, cui *Örhegye* nomen. Hunc ergo *Hungari*, quia parte altera, tuto subiri potuit, longis ordinibus circumeunt, quasi castra metaturi, vexillis aliquot, subinde, eo loco defixis, vbi exercitus dislocari posse credebatur; relictis simul aliquot militum ordinibus, qui ibidem, castrorum muniendorum laborem simularent. Quod; dum diutius faciunt, conserta longo ordine signa, Turcas, ne egredi quidem ausos, facile in eam opinionem *adduxerunt*, *Christianorum* exercitum, pro vexillorum numero, ingentem adesse oportere, qui obsidionem arcis *suscipiat*. *Auxit* eam opinionem, tympanorum & tibiarum, e longinquo sonitus, qui haud dubium indicium facere videbatur maioris, vltra eum montem, exercitus. Erat in arce *Haszany Aga*, cum quinquaginta præsidiariis. Is ergo, subito, vti rebatur, periculo inductus, neque monitus a nostris, misso internuncio, de arcis deditione, cum nostris agere occipit. Haud grauate nostri consentiunt, liberam hosti demigrationem spondentes, si prius arce decederet, quam labor obsidionis inchoarctur. Lætus, tanto beneficio, *Haszany Aga*, cum quinquaginta præsidiariis, reculis, quam potuerat, plurimis, conuasatis, ex arce decedit. Tunc nostri, vacuam arcem ingressi, quod spe prædæ excidissent, deditios hostes insequuntur, & ad vicum *Csécse* deprehensos, spoliant, ac reluctari ausos, fide, quam eis dederant, turpiter posthabita, concidunt. Pessime ea res, *Murtuzanum Agam*, Hatvani præfectum, habuit. Itaque, vt & dolori suo litaret, & illatam genti suæ iniuriam,

Occupatur, a Carponensibus, Kékkőiensibus, & Gyarmathensibus, singulari stratagemate:

qui præsidiarios, contra datam fidem, trucidant:

quomodo eam cladem Murtuzanus *vltus sit:*

pari perfidia, vlciſceretur, trimeſtri poſt, coadunato, trium millium, exercitu, in arcis conſpectum, ineunte Septembri, venit, & caſtra ad eum modum metatur, quaſi, ne diuturniorem quidem obſidionis laborem, detrectare vellet. Quo viſo, *Iohannes Berczely*, qui cum XLVII. commilitonibus arcem cuſtodiebat, ne hoſtis furorem temere irritaret, habito, cum ſuis, conſilio, caſtrum, nihil reluctatus, dedit, vitam ſibi & præſidiariis, atque liberum ad ſuos abitum, ſumma, vti credebat, fide, pactus. Vix autem arce exceſſerant noſtri, cum ab hoſtibus accepti, eodem, quo venerant, momento, ad vnum omnes, trucidarentur. Ea nece edita, *Murtuzanus* arcem quidem ſubiit, ſed exacta illic noctis vnius ſtatione, igni combuſſit, & male fœdatam, inanem reliquit. Atque, hic expeditionis illius euentus fuit. Ex ea clade, & cineribus, non amplius eluctari potuit *Bujákum:* credo, quod repulſo iam Turca, minutis iſtiusmodi præſidiis, nihil amplius opus fuit. Erat olim ditionis *Báthoreorum,* qui arcem, tamquam multarum opportunitatum ſeceſſum, non minus palatiis ornauerant, quam propugnaculis communiuerant; tametſi, & publicis regni operis, inſtauratam, & regiis præſidiis munitam, regni decreta (*m.*) loquantur. Iam in poteſtate eſt, familiæ Comitum *Eszterházíorum.* Secedit *Szétsénio*, duobus in orientem milliaribus.

ditio olim Báthoreorum *fuit, hodie* Eſzterházíorum.

IV. Ecsegh.

§. I.

Ecseghi *ſitus: rudera muli:*

ARx priſci operis, neque magna omnino mole, bis mille, a *Bujáko*, in ſeptentrionem, paſſibus, humiliori, quam pro more, petræ, an colli, impoſita. Rudera ſunt hodie, dumis increſcentibus, horrida. Qui ea ſcrutabantur, vt noſtræ huic *commentationi prodeſſent*, turrim rotundam, robuſtamque, medio arcis ambitu, notauerunt, cuius parietinæ, validum fuiſſe opus, ſatis teſtantur: quippe, ita ſolidæ, vt petram duritie æmulentur. Circa turrim, tamquam arcis caput, mœnia erant, vetuſtate iam pridem collapſa, neque, niſi æquata ſolo fundamenta, oſtentantia. Notabilior hodieque foſſa eſt, quæ mœnibus præcincta fuit. Adhuc enim alte depreſſa, indicium facit, eximiæ olim profunditatis exſtitiſſe. Nos, ex vniuerſa ea mole, argumentum cepimus, perfugio fuiſſe plebi, cum Tartari, aut Cumani, irruerent. Nam, ita pleræque montanarum arcium excitatæ fuerunt, concurſantibus, ad eiusmodi operas, qui circumfuſam regionem habitabant.

cui ſui olim fuerit excitata.

§. II.

(*m.*) Decret. Anni MDCLV. Art. III. vbi equites *quinquaginta*, & *centum ac quinquaginta* pedites, eius cuſtodiæ, deſtinari legas; cum & mille, ſi vſus tuliſſet, potuiſſet capere.

§. II.

Vulgi, de arcis domina, narratio:

VVlgus, *Leány Vára*, ſeu *Arcem Puellæ*, adpellat, nomini huic fabellam, an hiſtoriam, obtendens, oppido prodigioſam. Aiunt, puellam quandam, cui *Barbaræ* nomen, ſedem hic olim habuiſſe, tamquam ditionis dominam. quæ tantæ fuerit laſciuiæ, vt viris, qui ſibi placuerint, vel inuitis, copiam ſui faceret, atque, turpe illud miniſterium, ſubinde, iugo boum remuneraretur. Id ſi præſto haud eſſet, facultatem impertiuiſſe, ruſticanti cuicunque colono, promiſſos boues, vti ſeiungere, & ſuos facere poſſit. quam ob rem, *Eke Bontó Borbála*, id eſt, *aratrorum peſſundatrix, Barbara*, per dicterium vocitata fuerit. Negant rem aliquando geſtam fuiſſe alii, aut, *ſi fuerit* omnino, finibus ſuis exeſſe volunt, barbara fœditate conſceleratam feminam. Alii, longe interpretantur aliter. Scilicet dicterio illi, non laſciuia, ſed crudelitate, feminam, non cælibem, ſed viduam, locum feciſſe: quippe quæ, tributariis operis, tantopere adflixerit colonos ſuos, vt bobus denique priuati, iugalium ritu iumentorum, aratra ipſi trahere, cogerentur. Quidquid eius rei ſit, (*n.*) *fuiſſe* aliquod iſtiusmodi monſtrum; ſiue Syren fuerit; ſiue Thebanorum Sphynx, Bonfinivs teſtis eſt.

quam alii aliter interpretantur.

V. Samson Vára, ſeu Fejérkő.

§. I.

Samſon Vára incertæ originis:

IGnota ſcriptoribus arx, cui *Samſon Vára* nomen, Hungaricæ quidem, ſed incertæ originis. Nam *Samſon Vára*, Hungaris, *Somſonis arcem* ſignificat, vt colligas inde, *Samſonem* quendam, Hungaricæ originis virum, conditam a ſe, ex ſuo nomine adpellauiſſe. Obſita vetuſtate rudera, & parietinæ obſoletæ, *ſatis condocent*, diu eſſe oportere, cum diſiecta eſt. Situm habuit opportunum, & ad *reiiciendum* hoſtem perquam idoneum. Impoſita enim fuit, rotundo monti, quem, prominentium petrarum, ſuſpenſæ crepidines, inacceſſum fecerant. Turris hic quoque, media mole prominebat, quam mœnia claudebant, nullo ordine circumducta. Aedificiorum, aut nulla, aut tenuia certe veſtigia notari poterunt, adeo iam ſilueſcunt omnia.

rudera eius & opportunus ſitus.

§. II.

Circumſidetur a montibus, ob petræ al-

PRoſpicit meridianum ſolem, montibus ſiluoſis a tergo relictis, ex quibus, quaſi porrecto capite, ille, cui moles inſederat, prominebat. Ob petrarum albedinem, quæ montis latera exaſpe-

P 2

(*n.*) Quid? ſi Barbaram, Hermanni Cilienſis filiam, vxorem, Sigismvndi regis alteram, feminam, vltra omnem naturæ modum ſalacem, fuiſſe ſuſpicetis? de cuius indomita libidine, lege Cvspinianvm in vita Sigismundi, quæ eſt in eius Cæſaribus; Sievivm, item, Dvbravivm, & Balbinvm.

bedinem Fejérkö dicta.

alperant, alio nomine, *Fejérkö*, Hungari vocabant. Neutrum tamen nomen, vsquam nobis, in rerum Hungaricarum scriptoribus occurrit. Si ex vicino pago, arci quodammodo cognomini, *Samsonháza*, argumentum sit capiendum, *Losonczíorum* olim, & *Országiorum* fuisse, oportuit: quippe, quorum successores, nunc eum vicum tenent. Alioquin, commoditas arci, non plane nulla fuit; nisi, quod puteo caruerit; cuius non exstant vestigia: tametsi cellariorum concamerationes, & ductus alii, in tanta solitudine, adhuc notari possint. Nobis sufficerit, arcem ab obliuione vindicauisse, iam pridem suis ruderibus sepultam. Recedit *Szétsénio*, tribus, in orientem brumalem, milliaribus.

VI. SZANDA.

Szandæ praecelsum situs:

arcis historia ignoratur: pertinuit olim ad dominos Ipuényes:

SVppar priori castrum, ac forte, antiquius etiam, situ certe eminentius: quippe, *ita* positum, vt septem circum Comitatus, sudo cœlo, notari inde possint. Montis habitum supra descripsimus. Arcis iam historiam promere deberemus; sed ita sunt eius, siue natales, siue fata reliqua, obliterata, vt nihil nobis ad dicendum suppetat. Familiæ olim *Ipuényi* fuisse, constat, cui *de Szanda*, nomen. In litteris, priscæ ætatis, mentionem *Georgii de Szanda*, repertam accepimus; sed an is arcis fuerit conditor, non est pronum adfirmare. Ea gente exstincta, ad *Lónyaios*, credo successionis quodam iure, peruenit, qui ditionem arci accensam, duobus seculis, in potestate habuerunt. Hodie, hæredium est *Schreteriorum*. De arcis habitu, nihil dicere possis, cum ea sit vastitate, vt præter turris, eleuatius quoddam rudus, nihil propemodum habeat residui. Amœnam tamen, & securam habitatu fuisse, ex situ præalto, & siluis circumsitis, colligas. In vicino monte, fossæ notantur, incertum, præmuniendæ, an oppugnandæ arci ductæ. Hactenus, arces fuere *Processus Szétsénienſis*.

iam Schreteriorum est hæredium.

SECTIO II.

DE

Oppidis Processus Szétsénienſis.

SZÉTSÉNY *Oppidum.*

SYNOPSIS.

SZÉTSÉNY *oppidi fata, cum arce coniuncta: erat olim fortissimorum militum contubernium.* §. I.

Munitiones oppidi quales? tecta eius vilia. exuritur flammis, anno 1719. §. II.

Agri laus, alibi exposita: incolæ, solertes rustici; sed vitio incurioſi. §. III.

§. I.

Szétsény oppidi fata, cum arce coniuncta: erat olim fortissimorum militum contubernium:

SZÉTSÉNY, vnicum oræ huius oppidum. cuius fata, quia cognata semper, iis fuerunt, quæ circa arcem memoratimus, non est, vt ea denuo recognoscamus. Erat olim, dum Turcæ viciniores essent, fortissimorum militum, quasi contubernium quoddam. Nemo enim in oppidanorum numerum recipiebatur, nisi sacramento se militari obstringeret. Hinc, neque alii, ciuibus illis, magistratus fuere, quam castrenses: vt *Capitaneus* quidem, prætoris; reliqui autem militum ductores, muneribus aliis, defungerentur. qui mos, hodieque obtinet, tametsi exoleuerit, prisca *illa* præsidiariorum respublica. Si res ita ferebat, vt, siue inuadendi, siue propulsandi erant hostes, nemini ab eiusmodi expeditione integrum erat abesse, nisi quos tutandi oppidi caussa, domi manere oportuit. Et accidit haud raro, vt in dies singulos, noua iis prælia, cum hoste *inunda* fuerint. Nunc enim *Turcæ* nostros, *nunc* iterum nostri *Turcas*, ad singularem pugnam, adspectante, congredientium virtutem, vtrinque exercitu, prouocabant: cuius *Monomachias* ritum, (*a*.) alibi dedimus.

§. II.

Munitiones oppidi quales?

OPpidi munimenta, muro partim lateritio, constabant, partim aggeribus. His, pro more, vallos, e roboribus cæsos, defigebant, præcincta toti moli fouea, quæ adsultum prohiberet. Relatum accepimus, cum aliquando oppidum præterueheremur, ea temeritate Turcas subinde fuisse, vt si depressiores alicubi aggeres, & vallos elisos, aduerterent, subditis equo calcaribus, spectante multitudine, nihil dubitarint, in ipsum oppidum, impressionem facere: tametsi eius temeritatis, nunc elisa ceruice, nunc demesso capite, pœnas luerint. Hodie *munitiones illæ*, ita sunt deiectæ, vt, nisi qua murus adhuc est superstes, discinctum iam sit oppidum. Intus, nihil propemodum solidi operis repereris, ædibus enim, quomodocunque materiatis, contenti olim fuere homines, castris adsueti. Neque iam aliter se tecta habent, nisi possessores sint fortunæ lautioris. quorum tamen hic paucos numeraueris; cum plerique incolarum, aut opifices sint, aut agricolatione viuentes. Anno MDCCXIX. coorto incendio, exustum meminimus. Flammis tunc, & *Cœnobium Franciscanorum*, cum ecclesia, vasti & elegantis operis, absumtum fuit. quod tamen, *Comitis Stephani Kohári*, liberalitas, paullo post instaurauit; vt iam cladis illius, nulla supersint vestigia. At oppidanorum tecta, ægrius e cineribus emersere, quod tempora inciderunt, ob nimiam annonæ vilitatem, agricolis difficilia.

tecta eius vilia:

exuritur flammis anno 1719.

a.) Operis Tomo II. in Historia *Comitatus Zoliensis*, ad *Carpona* descriptionem, §. VI. sequ. p. 477.

§. III.

Agri laus alibi expoſita: incolæ ſolertes ruſtici: ſed vitii incurioſi.

AGrum, qui circumſedit, ſuo loco laudauimus. Colunt eum oppidani, egregia ſolertia, cum omnis eorum reditus, ruſticationis prouentu, abſoluatur. Olim, colles, vite conſitos habuit generoſiore, late porrectos, quorum radices pomariis erant inſeſſæ, exquiſitorum fructuum. Sed, eorum iam prorſus incurioſos videas incolas, turpi omnino deſidia, cum vniuerſa circum regio, vitem, belli viciſſitudinibus neglectam, ſummo ſtudio, neque minore fructu, refoueat. Peponum tamen cultu, ad vitium vsque, delectantur, quibus libero agro, multa ſæpe iugera conſerunt. Conualeſcunt ii, ad eximiam magnitudinem, & quod aprico ſole prouenirunt, ſaporis ſunt egregii, & ſucci, quam alibi, ſuauioris. Cum Turcæ locum in poteſtate habebant, campum paſcuum, qua ab oppido, verſus *Ipolam* amnem, exporrigitur, foſſa profundiore circum munitum habebant, ne Hungarus miles, pecora facile abigeret. Huius veſtigia, hodieque exſtant, late procurrentia. Reliquæ opportunitates, ita ſe habent, vt vrbi, etiam copioſæ, ſuffecturæ credantur. Quod hæredium ſit *Comitum Forgách*, ad arcem memorauimus.

SECTIO III.

De

Vicis Proceſſus Szétsénienſis.

REs poſcit, vt vicos regionis deſignemus, felicius hic iniquius poſitos, alibi. Ita vero eos peragrabimus, vt a Szétsénio exorſi, in occidentem prius, poſtea per ſeptentrionalem prouinciæ oram, in orientem, digrediamur, *per meridianam plagam, in orbem rediturí.*

1.) *Póstény*, in ipſo oppidi conſpectu, *Ipolæ* adſidet, opportunus ad ruſticandum vicus, quem ideo, villis herorum inſeſſum videas. Ager tamen ſiliginis, quam tritici, ob fabuloſam humum, patientior. Pons, amni inſtratus, incolis ſubinde damno eſt, propter itinera militum. Fructuoſior autem mola, *Ipolæ* impoſita. Eſt iuris potiſſimum *Rádayani.*

2.) *Halászy*, priori, aduerſo amne, vicinus. modicus is quidem; ſed agro haud effœto. Mola frumentaria, riuo *Ménes*, inædificata, fœdus cum imbribus ineat, neceſſe eſt. Palus, quam *Ipola* propagat, piſcium diues eſt, atque in primis flutarum paluſtrium. Eſt ditionis *Rádayanæ;* ſed cuius *Daruaſii* quoque partem capiunt.

3.) *Ludány*, frequens omnino, ſed ab *Ipola*, pratorum interiectu, ſeiunctus. Recedit *Szétsénio*, bis mille, circiter, in aquilonem, paſſibus. Diſpeſcitur vicus in ſuperiorem, & inferiorem. Illum *Comites Zichy*,

Zichy, hunc perantiqua *Rádáyorum* familia poſſidet, inſigni prætorio conſpicuum, quod *Paullus Ráday*, vir, dum viueret, & priſci moris tenax, neque incurioſus elegantiæ, noſtra ætate excitauit. Ager circum fœcundus eſt, ac pinguis, ideoque, ſi annus reſpondeat, meſſes indolis fiunt opimæ. Vineas olim habuiſſe perhibetur, collini ſitus, & meridiano, atque occiduo, ſoli, obiectas; ſed, quæ iam in rus frumentarium abiere. Pratis, *Ipolæ* eluuiones, frequenter ſunt noxiæ. Subducto altius in ſeptentrionem ſitu,

4.) *Szakál*, Slauis *Szokolowce*, eleuatiori *Ipolæ* margini, inſedit, copioſus quidem, ſed anguſtiore agro, quam incolæ cuperent. Partem alteram, cum mola frumentaria, *Comites Forgách*, alteram *Szentiványi*, aliique, tenent. Amnis, monoxylorum beneficio hic traiicitur. Hinc,

5.) *Litke* eſt, pone *Ipolam*, ad ſiluarum radices, quibus *Fekete erdő*, ſeu *Nigrarum ſiluarum* nomen hæſit. Viculus mediocris, *Koháryanæ* ditioni adſcriptus. Incolæ, vitem nuper ponere cœperunt, amœno quidem colle; ſed qui aquilonem magis, quam orientem, ſeu meridiem, contuetur. Eadem valle,

6.) *Mihály-Gerege*, conſedit, peſtilentia ſuperiore, incolis exinanitus. Eſt hærediolum gentis *Bene*, ſed *iure hypothecario*, *Szentiványis* permiſſum. Inter loci incommoda, aquæ penuriam referunt.

7.) *Lipta-Gerege*, ſitu, cum

8.) *Egyházas-Gerege*, vel ſicuti antiqui ſcribebant, *Geregágye*, propemodum coadunato. Proxime abſunt a priori. quorum ille, ad *Motsários*; hic ad *Gyurkyos*, pertinet. Præter agros frumentarios, vitem quoque colere occipiunt incolæ.

9.) *Karánts-Keszy*, eiusdem vallis procurſu, collocatus, vicinis multo copioſior. Nomen, a monte *Karánts* accepit, eſtque rure pingui, & non ſegetum modo, ſed vitis etiam, patiente. Accenſetur familiis *Motsáry*, *Bene*, & *Holecz*. Ad vicum, colliculus viſitur, modico tubere ſeſe adtollens, & foſſa, *in vallis modum* depreſſa, præcinctus. Hunc vulgus *Tatár Háza*, vocitat, quod *Tartari Domum*, ſignificat: forte, quia late vagantibus Tartaris, tugurium heic, dux aliquis Tartarorum, habuerit. Mola, quam torrenti adpoſuere, temporaria eſt; vt merito in eius aditu legantur verba: VERTE ROTAM, NE DORMIAT.

10.) *Ettes*, medio, a *Karánts-Keszy*, lapide, rure, neque anguſto, neque effœto. Adſcribitur ditioni *Kohárýanæ*.

11.) *Kis-Hartyán*, eius territorium montes habet petris inſeſſos, in quibus, priſci illi homines, antra excauarunt, ita facta, vt perfugio eſſe potuerint, aduersus vagabundi hoſtis, impreſſiones. In his, vnum repertum eſt, foribus & feneſtris, ad hypocauſti modum, inſtructum.

12.) *Soós-Hartyán*, eadem valle poſitus, neque diſcretus nimium. Agro claudunrur arctiore, quam res incolarum poſceret. Priorem

Vaji,

Vaji, hunc *Kohárii*, possident, ob habitatorum duritiem, culpatum. Habet puteum salsuginis eximiæ, medio vico depressum; qui & nomen ei communicauit, sed negligentius habitum.

13.) *Saág*, &

14.) *Saág-Ujfalu*, eidem, cum prioribus valli, inædificati, modicarum opum vterque. prior castello olim insignis, & ditionis, huc accensæ, caput. Rus eis obtigit fertile, at collini situs. Pertinet ad dominationem *Koháryanam*.

15.) *Szalmatercs*, situ eodem visitur, infrequens nimium viculus; sed agricolationi, atque ob siluarum glandiferarum commoditatem, saginandis porcis, commodus. Dedit natales, genti *Tertsiorum*, multis præclaris facinoribus inclutæ, sed quæ in sexu admodum femineo superstes est.

16. *Pilin*, priori suppar, *Vattaiorum* hæredíolum. quorum nuper sedes fuit, villis egregie instructa, & *Szétsénio*, ad vnius milliaris interuallum, sciuncta. Olim, familiæ cognominis, ditio.

17. *Endrefalua*, a pristino flore multum remisit. Subest plurium dominationi, agrum nactus, cum primis fertilem.

18.) *Dolyány*, modico hinc interuallo, trans siluas abest, *Daruaſianæ* gentis, sexus vtriusque hæredium. Villam dixeris, non vicum: quippe, quæ solius *Domini Terrestris* œconomiæ dicata sit. Ostendit rudera prætorii cuiusdam. Prope illud, in deuexo colle, vrnas effossas vidimus; quin ipsi nos effodimus, terra oppletas cinerea. quæ an Romani cultus vestigia, dici possint, quod volunt aliqui, non ausim adfirmare. Vltra villam, collis, in septentrionem adtollitur, fossis & aggeribus succinctus, vt credere fas sit, propugnaculum illic habuisse, priscos incolas. Intra eum collem, & villam, fons est, vbertim scaturiens, limpidissimus sane, & piscinæ, in quam defluus colligitur, maxime commodus. Secedit *Szétsénio*, in ortum brumalem, passibus circiter bis mille.

19. *Gécz*, &

20.) *Megyer*. lustra diceres, non vicos; ita sunt inter siluosos montes abditi. Prodigii simile est, quod in posteriori hoc, nostra ætate, accepimus euenisse. Mulierem iuuenem, & ex nuperis nuptiis, caram marito, saga surripuerat, tridui spatio, per aera (difficile creditu) raptatam. Ignorabatur, quo redacta esset mulier, & non maritum modo, eius insueta absentia; sed incolas etiam, ex æquo, omnes, vehementer reddidit sollicitos. Increbrescente interim rumore, vxorem viro, e thoro surreptam, prouinciæ magistratus, rem indagandam curauerunt. Reperta est femella, triduo post, *Szétsénii* intra puluinaria exsanguis, & emortuæ similis, apud veneficam, quæ facinus illud patrauerat. Dubitabant iudices, an ita se res haberet; verum, cum non *Proserpina* modo illa; sed venefica etiam, rem, vti gesta erat, edixissent, res fidem meruit, pœnis, sagæ, ex more, inflictis. Floruit olim familia *Megyeri*, pridem exstincta, quæ hinc nomen accepit: & exstant omnino rudera prætorii, ab ea habitati. Inde

21.) *Lóts* est, oppido *Szétsény*, propior. Exilis viculus, sed agro præditus fertili. Bipartito, a Comitibus *Forgách*, & nobilibus *Szemere*, possidetur. Vallis, cui insedit, paludosa est, atque flutaram ferax.

22.) *Rimócz*, e montibus emergens, loco pingui consedit, iamque, & vitem egregie colit. Iuris itidem bipartiti. Secedit *Szétsénio* in orientem, duobus millibus passuum. Vltra hunc,

23.) *Sipek*, intra montes occulitur, a vulgo nobilium cultus. quibus omnibus, *Balás*, nomen, haud quidem sine omine. Nam *Hungari*, lentos homines, quales sunt loci huius incolæ, haud sine aculeo, *Balás* dicunt. Ager, pro situs ingenio, rusticæ rei idoneus est.

24.) *Varsány*, in margine siluarum, quæ hic incunt, & postea *Cserhát*, dicuntur, opimo quidem loco; sed, in regia via, importunius sane, quam incolæ vellent, positus: demigrationes enim militum, opes incolarum, satis quidem ad rem adtentorum, nimiopere diminuunt.

25.) *Bokor*, medio fere, inter *Varsány* & *Bujákum*, itinere, nuper a *Slauis* coli cœptus: situ est intra montes retruso, & qui, præter siluas, ac pinguia pascua, vix quidquam opportunitatis habet. Vasti hinc montes, in orientem procurrunt brumalem, vltra quos

26.) *Lucsin*, exilis vicus, idemque *Slauorum* colonia, occurrit, amœno, intra montosas siluas positu. Colliculus mimicum est, modice editus, cui *Pogány-Vára* nomen, ad cuius radicem, viculus, cum diuersorio adsedit: verticem contra, popina, *educillum* dicunt nostri, occupauit. Idem hic collis, cum ab hoste, arx vicina, *Fejérkő*, teneretur, excubiarum statiua habuit. vnde, & Hungaricam adpellationem natam credunt, quæ *arcem* notat *paganorum*. Est iuris *Rádayani*.

27.) *Markháza*, consimilis colonia, nuper, non tam deducta, quam ex fugitiuo *Slauorum* vulgo, corriuata. Opportunitas loci omnis, siluis absoluitur, & pascuis: nam agros frumentarios, cæsis siluis, subigant, necesse est. Familia de *Markháza*, quæ hinc prodiit, ante seculum exstincta est.

28.) *Bárkány*, contiguus priori, sed vicinitatis, quam deceret, iniquioris. quod odio gentis *Slauicæ* tribuas; nam hic quidem ab *Hungaris* habitatur. Est & *Kis-Bárkány*, prædium *Berenyanæ* gentis, vicinis colonis, annuo pretio, permissum.

29.) *Samſon-Háza*, arci *Fejérkő*, siue *Samſon-Vára*, subsitus: modicus is quidem, & a *Slauis*, rerum suarum egregie satagentibus, infessus. Pertinet ad familiam *Szemerey*. Altius hinc,

30.) *Verebély* insedit, ex se tenuis viculus, sed religiosis peregrinationibus celebris. Fontem enim habet sacrum, quem ad ictum soleæ equi S. STEPHANI, prorupisse memorant. Huic, egregii operis ædes sacra, adposita est. Ceterum, peregrinationes, quas diximus, die

Adsvmtionis B. Virginis Mariae, festo, quotannis, tanta vndiquaque celebritate instituuntur, quantam istis locis, vix credere possis. Adsidet, orientali amnis *Zagyvæ* ripæ.

31.) *Szőllős*, vicus, huius oræ facile copiosissimus, radicibus montium *Sátoros*, inædificatus, agro felici adeo, vt *Cereri*, & *Baccho*, quin & *Pomonæ*, ex æquo respondeat. Pertinet ad ditionem *Salgóiensem*, quæ est *Baroni Sluba*, nuper adtributa; admixto simul *Vattaianorum* iure. Quod montes adsiti, calcario lapide abundant, incolarum haud paucos, exurendæ calci, vacare videas. Abest ab oppido *Pásztó*, medio milliari ad occiduum solem.

32.) *Jobbágyi*, priori nihil deterior, occidentali *Zagyvæ* margini, adsidens, rure tamen bipartito. Nam, agros quidem frumentarios hinc; trans amnem vincas habet, per decliuia *Matræ*, consitas. quæ vinum fundunt nobile, & mensis idoneum, etiam sumtuosioribus: vt hic quoque, *Cereri* cum *Baccho*, egregie conueniat.

33.) *Szántó*, eodem tractu, sed in meridiem profundius demersus, planitiem occupauit, rei frumentariæ maxime opportunam. Incertum autem, quo malo fato, in annos singulos, decrescat. Annonæ vilitatem caussantur aliqui, cuius solius prouentu, colono heic viuendum sit. Certe, nomen ab aratione accepit. Fuit olim, præclara nobilium de *Szántó* familia, ex qua, improlis *Osvaldus de Szántó*, anno MDLXXV. apud Neogradienses, *Vice-Comitis* munere functus est: sola iam *sexus feminei linea*, superstes est.

34.) *Lőrinczy*, sedet hic quoque in occidentali *Zagyvæ* ripa, laxe habitatus, & diffusis longe lateque agris, egregie cultus. Vineas in radicibus *Matræ*, trans fluuium, positas habet; sed quæ *Jobbagyensibus*, nequeant æquiparari. Maxima vici calamitas ea est, quod in via regia, licentiæ commigrantis militis, expositus sit.

35.) *Korompsáp*, nuper inhabitari cœpit, colonias huc deducente, *Iohanne Podmaniczky*, vici domino. Disiungitur *Hatvanio*, milliari, habetque opportunitates, *huic* regioni familiares.

36.) *Heréd*, diffusam planitiem occupauit, eamque, & sementi commodam, & pascuis lætam. quod vtrumque, in rem vertunt suam incolæ, frequentes illi, & operarum rusticarum adsidui. Potior vici pars, *Podmaniczkyo* paret, qui ædem heic eduxit, opere solido, & habitatu commodam. Ager, siluarum parcior est, neque tamen vinci destituitur.

37.) *Kökényes*, situ, & agrorum bonitate, suppar priori. Domos hic obseruauimus, *Troglodytarum* ritu, humi defossas, & iniecto stramine, negligenter tectas. quod siluarum inopia, faciunt incolæ. Adscribitur iuribus *Podmaniczkii*, & aliorum.

38.) *Kálló*;

39. *Kürth*;

40. *Tártsa*, vici campestres fere, & limitanei *Pestienſi* prouinciæ; agro fertili, & pinguibus pascuis præditi. Alioquin, *Erdős-Tártsa*,

Tártsa, vulgo dici consueuit, vt a *Pestienſium* vico alio, cui *Sik-Tártsa* nomen, discriminetur. Est hæredium *Samuelis Mesko*, de *Felsőkubin*, partim, partim, *Sigismundi Hangáſy*.

41.) *Hibalom*, adhuc campestris positus, tametsi a colle, cui adiacet, nomen mutuatus; *halom* enim, *collem* Hungari dicunt. Cum agro luxuriet, aquis tamen carere debet & siluis, quas apud vicinos, sed precario, cædunt incolæ.

42.) *Palotás*, viciniſſimus priori, situs tamen opportunioris. Habet agrum, omnis generis segeti amicum. In primis gaudet peponum prouentu, qui mole non minus, quam eximia bonitate, sese commendant: vt ideo, ad fora *Pestienſia*, deuehi consueuerint.

43.) *Gede*, vel quemadmodum prisci scribebant, *Kede*, tenuior quidem vicus; sed qui solum nactus est fertile. quod vite, incolarum vitio, spreta, *Nicotianæ* vbere prouentu, lætatur. Qui fumo herbæ delectantur, miris laudibus *Gedenſium* hanc efferunt.

44.) *Csécse*, egregie collocatus, verum arctiore territorio: qua re fit, vt vicinorum prædiis, annuo pretio redemtis, inopiam illam cogantur leuare.

45.) *Etseg*, vastus omnino locus, quem sparsi circum colles, iique, partim agris culti frumentariis, partim vite consiti amœnum reddunt. Sunt, qui vinum huius, inter generosissima totius *Comitatus* habent, rubella ea, & alba. Soli certe cælique ratio, nihil repugnat, quin vinum hic gigni possit, adprobatione dignissimum. Accensetur ditioni *Forgáchianæ*, & iuribus *Szemeriorum*. De arcis ruderibus, supra diximus.

46.) *Buják*, vallem insedit, arci cognomini, ad orientem solem, subiectam. Gaudet vbere solo, atque in primis, vinicatico prouentu. Certe, incolas earum operarum, studiosissimos aduertimus. Vini laus eximia est, tum ob saporem, tum, quod cellariis depositum frigidioribus, plurium annorum ætatem ferat. Habet prætorium *Eszterházianum*, & nonnullorum nobilium domicilia.

47.) *Bágyonka*, tenuioris sortis, *Bujákino*, ad medium milliare, intra amœnos colles, reductus. Habitatur, præter agrestes, a quibusdam nobilibus.

48.) *Dengelegh*, locus *curialis*, ac bene frequens, cui ad commoditatem, nihil a natura negatum. Est ditionis *Podmaniczkyanæ*, olim gentis *Dengelegh*. cuius patrem, *Caſparum Dengeleghi*, strenuissimum militem fuisse, diploma loquitur.

49.) *Szurágh*, eadem valle, sed altius subductus. Vicus, si quis alius, ad rusticandum idoneus: ita, & agro pollet pingui, & collibus viniferis. Habet paludem in valle, obiecto aggere, restagnantem, eamque vico vicinam, cui molam adpositam vidimus; sed parcius, & nisi pluuio cælo, molentem. Pertinet potissimum ad *Róthios*, de *Királyſalva*. Fuit olim vicus *Hospitalariorum* S. Iohannis *Hierosolymitani*,

mitani ; ſed quem *Thomas Comes de Szent György*, ordinis eius, per Hungariam & Sclauoniam *Prior*, *Iohanni*, filio *Viti*, *de Mehora*, conſentiente fratrum concilio, anno MCCCCLIII. donauit.

50.) *Beér*, adhuc vallis eiusdem vicus, ſed montibus iam & ſiluis vicinior ; vnde & ab ea bonitate agri, qua vicini erant, deſciſcere videtur. Spectat ad ditionem *Bujákenſem*.

51.) *Terény*, modicus vicus, ob agri exilitatem. quæ facit, vt vicina prædia frequentare cogantur incolæ. Sedet eo itinere, quod *Hatvano*, *Szétsénium* ducit, duobus inde milliaribus repreſſus. Ditio *Zichiana* eſt, & *Baloghiana*.

52.) *Berczel*, lautior priori, ſiue agrum ſpectes, ſiue incolarum numerum. Adfine ei prædium, *Kis-Berczel*, ædibus *dominorum terreſtrium* nuper inſeſſum, opportunitates vici copioſiores antea faciebat. Subeſt *Venerab. Capitulo Váczienſi*, familiæ item *Berczeli* & *Egri*.

53.) *Szanda-Kér*, medio, inter duos iſtos, quos nominauimus, loco poſitus, & arci *Szanda*, *cuius meminimus*, ſubſitus. Siluis glandiferis cum primis gaudet; ſed nec agro frumentario deſtituitur. Connexum habet prædium *Kis-Kér*, quod vici, ex ſe tenuis, commoditatem egregie auget. Hæredium eſt *Schreteriorum*.

54.) *Kövesd*, adſitus *Berczelio*, cum quo ei perpetuæ propemodum inimicitiæ, ob agri anguſtioris fines; alioquin, ſementem bene reddentis. Adſcriptus familiæ *Egri*.

55.) *Beczke*, prioribus multo frequentior ; ſed inter complures poſſeſſores diſpertitus.

56.) *Surány*, *Schreteriorum*, qui vici ſunt domini, ſedes, habitatu non minus amœna, quam agricolationi commoda. Intercepta palus, molam rotat, pro imbrium copia. Ager hic pinguior eſt, quam vt lætamine indigeat.

57.) *Herentsény*, eiusdem vallis pagus, haud longe ſemotus, idemque, quam pro numero colonorum, laxior. Habet enim ædes nullo ordine, ac late ſparſas. *Pluribus* dominis accenſetur, *in* quibus *Rádayorum* ſors facile præcipua eſt.

58.) *Iling*, viculus, a nobili *Csykanyorum* gente inſeſſus, egregie iſthic ruſticantium.

59.) *Csitar*, priori exilior multo, *Kohányane* ditioni adſcriptus.

60.) *Marczal*, lautioris fortunæ, & qui familiæ *Marczaly*, originem dederat, dudum exſtinctæ. Subeſt iam *Bástiis*, *Szétsénio*, in meridiem, milliari reiectus. Agrum habet ſementi opportunum, neque inimicum viti.

61.) *Halláp*, nulla re magis, quam exilitate ſua, memorandus.

62.) *Tráſs*, Ipolæ adpoſitus, & vbere ſolo præditus, ſed incolarum numero tenuis. Eſt ditionis *Forgáchianæ*.

63.) *Hugyach*, aduerſo amne, *Traſſo* vicinus, a gente inſeſſus pigerrima, quæ agrum nacta, oppido commodum, ægerrime tamen vitam tolerat. *Iſti*, Proceſſus Szétsénienſis, *vici fuere*.

MEM-

MEMBRVM IV.

DE

Proceſſu Kékköienſi.

REſtat, vt vltimum *Prouinciæ Neogradienſis Proceſſum*, deſignemus. *Kékköienſem* dixere veteres, ab arce ita cognominatum. Longius is protenditur, quam latius: a fronte enim montium *Oſztroska*, per limites Comitatus *Nagy-Hontenſis*, in inſulam vsque Tótfaluſienſem, quam Danubius, infra arcem *Viſſegrád*, molitur, perpetuo tramite, decurrit. Qua *Ipola* amne interluitur, arctiſſime coit. Quod vltra eſt, laxius diffunditur. Vtrinque, vici ſunt copioſi; ſed trans *Ipolam* benignius poſiti. Nunc ad loca ſingula, hoc eſt, arces, oppida & vicos, accedamus.

SECTIO I.

DE

Arcibus Proceſſus Kékköienſis.

SYNOPSIS.

I. KÉKKŐ.

Arcis nomen & ſitus. §. I.

Eiusdem origines & fata, ex marmore recitantur. §. II.

A Bohemis *inſeſſa, nomen gentile accepit.* §. III.

Turcis inualeſcentibus, publicis regni operis munitur: inauſpicatus Iohannis Balaſſæ *dolus.* §. IV.

Turcæ irritati, arcem obſident: præſidiarii vacuam relinquunt. §. V.

Turcæ *captam arcem, præſidio firmant: quæ a noſtris recipitur: recentiora arcis fata.* §. VI.

Inſtauratur a SIGISMVNDO BALASSA: *exuritur a* RÁCOCZIANIS: *eius habitus hodiernus.* §. VII.

II. BALASSA-GYARMATH.

GYARMATHI *poſitus: arx* Balaſſiorum *gentilitia.* §. I.

A Turcis *tentatur ſæpius: deſerta capitur, exuriturque: inſtauratur poſt liminio.* §. II.

Munitur publicis operis: herorum diſſidiis infelix. §. III.

Pace, cum Turcis *redintegrata, inclaruit.* §. IV.

Hoſtium, aduerſus Gyarmathum, *odia: exuritur ſunditus: denuoque readificatur.* §. V.
Singularis Gyarmathenſium *virtus:* Turcas *obſidentes fortiter reiiciunt: feminarum præclarum facinus:* Turcarum *clades.* §. VI.
Nouæ Balaſſiorum *lites, arci noxiæ.* §. VII.

III. Nógrád.

Arcis Nógrád *origo: ſitus, ab* Istvánffio *deſcriptus: eius aberratio.* §. I.
Hodierna Nógrádi *facies.* §. II.
Eius conuerſiones, ſub Iohanne, *&* Ferdinando; *venit in* Turcarum *poteſtatem.* §. III.
Recuperatur a Matthia *Archiduce: traditur* Botskajo: *reſtituitur Cæſari, pace gemina: occupatur a* Bethlenio, *atque iterum redditur: tentatur a* Turcis, *conatu irrito.* §. IV.
Fata arcis reliqua: præſidiariorum occupatio: abacta præda. §. V.
Obſidetur a Turcis: *quibus accedit* Abbaffy: *eius artes.* §. VI.
Nógrádi, *ad iuuandos hoſtes, opportunitas: eius ſitus, a* Lotharingo *exploratur: cæleſti igne tactum, diſſicitur.* §. VII.

IV. Kámor.

Arcis Kámor *rudus.*

I. Kékkö.

§. I.

Arcis nomen & ſitus.

Arcem Kékkő, a petræ, quam occupat, colore, dixerunt primi eius conditores. Enim vero, vox Hungarica, *ſaxum* notat *cæruleum.* Vnde ſimul patet, cur a Slauis (*a.*) *Modry Kamen*, a Germanis *Plauen-Stein*, vel craſſiore dialecto, *Ploben-Stan*, adpelletur. Nimirum, id coloris, petræ habitus præ ſe ferre videtur; tametſi obſcurius hodie, quam id forte olim poterat obſeruari. Inſedit fronti montium *Oſtroika*, in meridiem proſpicientium; qui huc, iugis propemodum perpetuis, a *Zolienſium* confinio deducti, triſulco cacumine exeunt. *Baſa* vni, qui orientali arcis parte conſedit, nomen eſt. Olim, præſidiariorum excubiæ, ſi res trepida erat, iſthic dislocabantur. Enim vero, præter eximiam altitudinem, caluitiem habet, orienti, meridianoque ſoli, oppoſitam, vt regio late hinc obſeruari poſſit. Vicinus huic, *Judas* dicitur, celſus & ipſe, atque priori plane ſuppar, a Turcarum inſidiis, proditorum malignitate, in præſidiariorum necem, ſubinde inſtructis, id nominis ſortitus. Tertium *Pap-Hegye*, id eſt, *Montem Sacerdotis*, vocant, eo, quod ſacerdos quidam, ſponſione prouocatus, curſu eum concitatiore, ſine quietis interuallo, conſcenderit aliquando; tametſi ab imis radicibus, ad bis mille paſſus adtollatur. Atque, ad

a.) Corrupte ergo vulgus, *Modry kamen*, hoc eſt, *ſapiens ſaxum*, vocitare ſuetit.

ad huius montis pedem, rupes, arduo poſitu, ſurrigitur, præruptis crepidinum articulis, interſtincta. Eius vertice, arx conſedit, olim, non minus operibus, quam natura, eximie communita.

§. II.

Eiusdem origines, ex marmore recitantur.

Marmor, portæ interiori, inædificatum, molis origines docet, & fata reliqua. Id vero ita habet: Anno Domini, MCCXXXVII. svm Arx Kékkö, ab inclyta Domo (*b.*) Balassa, fvndata, et continve possidebar. Anno MDLXXVI. in potestatem pervenі Tvrcicam. Anno MDXCIII. a Tvrcis pvlvere disiecta, ac derelicta. Domini Imperatoris Romanorvm ac Regis Hvngariae, Rvdolphi II. praefectorvm incvria, ad extremam deveni rvinam. Anno MDCIX. a Serenissimo Rege Hvngariae, Matthia II. haereditariis meis reddita Dominis, indvstria Spectabilis ac Magnifici Domini, Sigismvndi Balassa, mvris ac propvgnacvlis, e fvndamento ampliata, habitationibvs exornata, in hvnc, in qvo ante fvi, perveni, statvm. Ab eadem illvstri eamilia, vt aevo dvrante, feliciter possidear, faxit Devs ter Opt. Max. cvi lavs et gloria: Anno MDCXII. Hactenus marmor: laudabili ſane compendio, arcis, ad eam vsque ætatem, hiſtoriam exhibens. *Nos ei*, ex annalibus, fidem faciamus. Scilicet, anteceſſere arcis natales, *funeſtiſſimam* illam Hungariæ *vniuerſæ cladem*, a Tartaris, *ſub* Bela IV. anno MCCXL. & qui ſequuti ſunt, editam: vt fas ſit coniicere, perfugio fuiſſe, depulſæ, ex campeſtri Hungaria, multitudini. Quæ res, noſtra quidem ſententia, omine haud caruit, quod nouellam molem, bellum, oppido atrox, & noſtræ genti propemodum exitiale, tam ſubito exceperit. Sane, prænotatum eo eſt, quæ fata, pluribus poſtea ſeculis, arcem ſint conſequutura. Interim, bello iſthoc tartarico, increuiſſe eam, pronum eſt exiſtimare, operas, in tanta trepidatione, præſtantibus his, qui huc confugerant: id quod, alibi etiam factum eſſe, in arcium, quæ ſunt montani ſitus, hiſtoria, ſæpe memorauimus.

§. III.

b.) Vetuſtiſſimum quoddam, *Cathedralis Eccleſiæ Waradienſis*, monumentum iam tum ætate Andreae Hieroſolymitani, mentionem habet, *Boloſæ, Comitis de Naugrad.* Id quod, ad fulciendam marmoris fidem, docendamque, gentis illuſtris antiquitatem, pertinet.

§. III.

A Bohemis infesso, nomen gentile accepit.

SIlet inde marmor, *Kékkóienſia* fata, neque nos habemus, quod addamus, præter belli Bohemici conuerſiones, pertinacibus *Eliſabethæ* ſtudiis, at magno regionis malo, procuratas. Tunc enim, infeſſam ab iis fuiſſe arcem, ex Bohemico eius nomine, colligas. quam Hungarorum imitatione, *Modry kamen*, vocauerunt. Certe, adpellatio illa, a *Slauis*, oræ huius incolis, indita haud eſt: quippe, qui, ſua dialecto, *Svetly*, aut *Bélaſy kamen* dicturi eam fuiſſent; nam ita *cæruleum colorem*, a quo arcis vocabulum manauit, noſtri nominant, vix intelligentes, quid ſibi *Modry* velit: quod ideo, cum *Mudry*, id eſt, *ſapiens*, inepte confundunt. Accedit, mira loci, ad incurſandam late regionem, opportunitas, quam *Giskra*, nocentiſſimæ gentis, dux haud imbellis, conſectabatur: his potiſſimum locis, vbi, de vrbium montanarum poſſeſſione, ſubinde dimicatum fuit. Poſtea, depulſis Bohemis, & *Giskra*, in fidem accepto, ad dominos ſuos, arcis rediiſſe poſſeſſionem, non eſt, cur ambigamus. Fuit enim, ea MATTHIAE conſuetudo; vt, ex reportatis de hoſte victoriis, nihil ſibi, præter gloriam rei fortiter geſtæ, reſeruaret; recuperatas contra arces, oppida & vicos, auitis poſſeſſoribus, poſtliminio munificentiſſimeque, adſereret.

§. IV.

Turcis inualeſcentibus, publicis regni operis, munitur:

INualeſcente Turcorum tyrannide, & vicinis arcibus, quas memorauimus, ſub iugum miſſis, *Kékkóienſis* hæc, pro eo, ac debuit, & operibus (*c.*), & impoſito præſidio, ſubinde muniebatur: maxime, quod *Iohannes Balaſſa*, cum primoribus aliis, circulatoria *Georgii Botskai*, aſſutia, a Cæſare factus alienior, ſuſpicioni rerum nouarum locum fecerat. Alioquin, iisdem (*d.*) ſanctionibus, quæ arces, publicis regni operis, inſtaurandas decernebant, *Kékkónem* etiam contineri legas. Verum, erat hoc in fatis eius, vt a Turcis, ſuæ ditioni tunc adiiceretur, cum erat ab armis ceſſatio. *Cauſſam eius calamitatis, Iohannes Balaſſa*, conflauit, *ſdolo*, quem *in* Turcas procuderat, in ſuum ipſius caput, recidente. *In ea*, inquit, ISTVÁNFFIVS (*e.*) *parte regni, quæ ad vrbes montanas vergit*, Iohannes Balaſſius, *arcem habebat* Kékkónem, *Germanis* PLOBENSTANIAM *dictam, in qua, relictis Zolio, Dobraniua, aliisque locis, iam pridem habitabat, in eaque aliquot Turcas, non obſcuri nominis, captiuos ſeruabat. Erat ei curator*, Benedictus Pintér, *quem, tamquam in rationibus accepti & expenſi, ſibi haud contemnendam pecuniam debentem, ficto crimine, compedibus vinciri, ac in eundem carcerem, quo Turcæ claudebantur, mutua, nec ſatis felici, vt poſtea adparuit, nequitia, condi iuſſit. Ibi multa* PINTERIVS, *de* BALASSAE *crudelitate, ac tam inſigni iniuria ſibi illata, apud conſeruos Turcas, queſtus, poſtremo cum eis paciſcitur, vt aliquem ex eis, ſpecie redimendi capitis, promiſſo vadimonio,*

Inauſpicatus, Iohannis Balaſſæ, *dolus.*

c.) Vide, Anni MDLV. Artic. XL
d.) Conf. Ann. MDLXVI. Artic. XVII. &

reliquos, ad arcem *Szécſény* notatos.
e.) Lib. XXV. p. 545. 546.

nio, dimitterent, ac cum Muſtapha, purpurato Budenſi, clam agerent, ad certum diem milites expediret, a quibus, per funem ſurſum perducti, (locum patrandæ rei opportunum eis oſtendit) capto, aut interfecto BALASSIO, *arx facili labore in poteſtatem redigeretur. Gnara ea* BALASSIO *erant, indicante ei omnia conſilia* PINTÉRIO; *quum commeantibus frequenter Turcis, dies mutuo aſſenſu conſtituitur, ad quem deſtinata perficiantur. Ad eumdem diem, Turcæ pedites, e Fileko, Nógrádo, Budaque, ſummo ſilentio, aduenere.* PINTÉRIVS *funem demittit, & quatuor aut quinque illorum, in arcem pertrahit, iique in veſtigio vinciuntur. Sed ceteri, qui ſub rupe proxima occultabantur, fraudem & dolum ſubodorati, quod a ſociis nullum ſignum, de quo erat conditum, ex arce redderetur, magno ſublato clamore, conuitiisque & vituperiis, in* BALASSIVM, *&* PINTÉRIVM *iactis, indignantes diſceſſere.* Ita ISTVÁNFFIVS.

§. V.

Turcæ irritati, arcem obſident:

HAec a *Balaſſio*, geſta tunc fuere, nullo facto operæ pretio, quam, quod *Muſtapham* purpuratum, ad vlciſcendum dolum, contemerandis induciis, male excogitatum, irritauerit. Is namque, exercitu, magna feſtinatione coacto, *Kékkónem*, duce *Alibego Albenſi*, obſidione cingit. Ea non exſpectata *Balaſſius*, arci, *Emericum Temeſi*, præficit, ipſe, copias auxiliares conquiſiturus, vt laborantibus præſidiariis ſuccurreret, atque, vti fore confidebat, cæſis hoſtibus, egregii facinoris laudem, ex eo prælio, reportaret, mature exceſſit. Res tamen iniquius, quam *Balaſſius* ſperabat, cecidit. *Alibegus* enim, ſitum arcis contemplatus, quatuor colubrinis eam verberare incepit: contra, *Emericus*, & eius ſocii, magna virium contentione tueri; ſed, quia ſimplici debilique muro incincta fuit, tormentorum ictus ferre diu haud potuit; quin ea parte, quæ ruinæ erat opportunior, hiatum faceret. *Balaſſius* interea, auxiliis, a CAROLO principe, quibus *Simon Forgách*, cis Danubianæ militiæ, nobilitatisque dux, præerat, impetratis, ad *Vigleſium* conſedit; ſed a *Forgáchio* obtinere haud potuit, vt aucto iam ad decem millia exercitu, obſeſſis opem ferret. Proinde, quum & præſidiarii, inſultibus Turcarum fatigati, de ſeruanda arce deſperarent; neque *Forgáchius*, ſiue periculi magnitudine, ſiue precibus *Balaſſii*, flecti ſe pateretur, *Emericus*, arce hoſti relicta, per inuios calles, *Divinum* euaſit; vbi poſtea, adſpectantibus noſtris, ſicuti ad eam arcem retulimus, vna cum præſidiariis, interemtus a Turcis eſt. Et *Balaſſiani* quidem facinoris, pœna tunc iſta fuit, magno, cum *montanarum vrbium* malo coniuncta: quod nulla amplius arx, ea parte ſuperfuerit, quæ impreſſiones hoſtium, in has valles, retardare potuiſſet.

præſidiarii vacuam relinquunt.

§. VI.

Turcæ, captam arcem, præſidio firmant:

ISta, anno, ſupra *milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo ſexto*, frendente *Balaſſio*, euenere. Turcæ inde arcem, ad eum modum captam, & quomodocunque redintegratam, præſidio, pro

loci indole, acri, & ad excurſandum expedito, communiunt, magnis poſtea cladibus, circumiectam regionem, euaſtaturi. In primis, frequentia eis, cum *Zolienſibus*, *Carponenſibus*, & *Bozokienſibus*, prælia fuiſſe, accepimus; dum pro eorum temporum ingenio, factis vtrinque in hoſticum impreſſionibus, aut forte fortuna concurrerent, aut mutuo prouocati, congrederentur. Tenuerunt *Kékkőum* hoſtes, tribus propemodum luſtris, tunc depulſi, cum *Filekinum* expugnatum a noſtris eſt. quod anno MDCIII. menſe Nouembre euenisſe, memorauimus; Ea de re ISTVÁNFFIVS (*f.*) *Cum*, inquit, *hoſtes, ad varia loca, in quibus ſtipendia merebant, diſperſi*, FILEKVM, *tanti nominis præſidium amiſſum, copias auxiliares fuſas fugatasque, caſtra capta & diſſidium amiſſum, copias auxiliares fuſas fugatasque, caſtra capta & diripta, ſociis & commilitonibus, trepidi retuliſſent, tantus repente Turcas terror occupauit, vt nulla facta mora, complures arces, commeatu, rebusque omnibus refertas, nec ſpernende munitionis*, PLABENSTAINIAM, & DIVINVM, *Balaſſianæ ditionis, &c. vacuas, & noſtris occupandas, relinquerent, ſeque, cum coniugibus & liberis, ad tutiora loca conferre maturarent.* Ita ISTVÁNFFIVS. Sed marmoris inſcriptio, quam ſupra recitauimus, puluere pyrio, ante diſiectam a Turcis memorat, quam deſereretur. Scilicet, pro more gentis, ne quid intemerati poſt ſe relinqueret. Qualis vero ea clades fuerit, quam marmor, præfectorum RVDOLPHI incuria, arci illatam, loquitur, in annalibus non reperio; quinimo, anni MDCIV. decretum, (*g.*) inſtaurandam, *Comitatui Aruenſi* iniungit; niſi credamus, incendium forte fuiſſe, quod arcem penitus deleuerit. Certe, quod redditam dominis ſuis, a MATTHIA, ad annum MDCIX. eadem inſcriptio dicit, ereptam iis fuiſſe, oportuit; ſiue id, *Botſkaiani* tumultus iniuria; ſiue aliorum, quod in Hungaria ſæpiſſime euenit, (*h.*) maleficio factum fuerit. Quidquid eius ſit, equidem, Germanico exoneratam præſidio, crediderim, quemadmodum id anni MDCVIII. decreto (*i.*) ſancitum legas: *milites autem Germanos, & alios externos, tam ex ipſa arce, quam ciuitate Varasdienſi, nec non etiam ex Murán, Divén, Kőszeg, Léva, & Liptſche, aliiſque locis, cum non ſint confinia regni, quam primum* (ſua Maieſtas) *educi faciat.* Colligas hinc, tametſi non legatur *Kékői* mentio, eiusdem tamen, cum *Divén*, ſortis tunc fuiſſe, hoc eſt, a milite Germano infeſſum. Pace *Sitva-Torokenſi*, quæ anno MDCVI. die S. *Martino* feſto, (*k.*) coaluit, a iugo Turcico, vna cum ditione, quæ ei paruit, vniuerſa, eliberatam reperio: *De villis*, inquit, *deditiis, transactum eſt, vt illæ, quæ cum arcibus Filek, Somoskő, Hajnátskő, Divin, KÉKKŐ, Zèchén, Gyarmath, Palánka, Nógrád & Váczia, a iugo Turcico liberatæ ſunt, illæ, nec in poſterum illis ſint deditiis.*

qua a noſtris recipitur;

recentiora arcis fata.

§. VII.

f.) Lib. XVII. extremo.
g.) Artic. VIII.
h.) Lege *Pacificat. Viennenſis*, Artic. XII. §. 16.
i.) Artic. XII.
k.) Conditione V.

DETRICVS m. Sub *Bela IV.* Rege Hungariæ,

nes

MICHAEL. I. qu
fato, 12. Arciu
& Poſſeſſione

lontenſis.

EMERICVS I. GEORGIVS III. MIKO III.

GEORGIVS IV.

FRANCISCVS
riæ occubu
ror *Ladislai*
uienſis, re

OHANNES V. Balaſſa
ázklabonenſis.

ADISLAVS III. NICOLAVS VII.

Quatuor Filii, WOLFFGA
GVS II. FRANCISCVS II. BA
THASAR I. & SIGISMVNDVS I
omnes ex tertio coniugio,
ne hæredibus decedunt.

BALTHASAR II. STE
An
N.
Fra
filu
Co

3. MELCHIOR II.
petuus in Detrek

emper
incipis
præſen-

SVSANNA, Conſ.
Principis Dominici Ianuſii.

FRANCISCVS V.
moritur Vienn
næ, nullis hæ
redibus relictis.

LAVS IV.

ANDREAS II. Vir inſignis & celebris.

SIMON I.

SIGISMVNDVS IV.
Conſors
Chriſtina Lengyel.

ANDREAS III.

s I. Præ
m *Carpo*
Kékkő,
arius
neus mi
mius. in
rando
no a Tur
rimus in
enititur.

GABRIEL. I. Arcium *Kékkő*, & *Devén* hæreditarius Capitaneus, Tabulæ Regiæ Baro, S. C. Regiæque Maieſtatis Cubicularius, Conſiliarius, Iurium patriorum ſcientia præditus, præterea, vir militaris, ſtrenuus, & fortis. aderat in expugnatione Budenſi & in Agrienſ. † 1700. Conſ. *Maria Perény.*

PAVLVS I. Epiſcopus Rozonenſis Præpoſitus Orodienſis, Archidiaconus Saſvarienſis, S. C. Regiæq; Maieſtatis Conſiliarius, & Archiepiſcopi Strigonienſis Vicarius, & Auditor Generalis.

IOHANNES X.

PAVLVS II. poſthumus. Naſcitur, an. 1700. Conſiliarius locumtenentialis Regius, & Camerarius. Viuit. *Feliciter!*

§. VII.

Instaurat. tur a Sigismundo Balassa:

His defunctum fatis, Kékkőum, nouum a *Sigismundo Balassa*, & robur accepit, & ornamenta. præterquam enim, quod substructis, a fundamento, propugnaculis, munitiorem reddidit; palatiis certe, pro habitu molis, laxis & habitatu commodis, instruxit, petramque, cui arx imposita est, actis, quam profundissime, cuniculis, excauauit, vt, si obsidio ingrueret, & miles tuto illis accipi, & commeatus condi possint. Seditionibus, quæ illam ætatem consequutæ sunt, ciuilibus, ab hoste occupatam, accepimus, siue id vi, siue, quod procliuius creditu est, deditione factum fuerit. Manſit tamen intemerata arcis substructio, ad nuperum vsque tumultum *Rákóczianum. quo* nefarius quidam *Kókay*, subiecto tectis igne, vniuersam molem exussit. Neque adhuc ex iis cineribus adsurrexit; præter septentrionalem, eamque arctam omnino ædificii partem, quam *Gabrielis Balassæ* vidua, vt sedem illic haberet, instaurandam curauit. Ista de *Arce Kékkő* dicere habuimus.

exuritur a Rákóczianis: eius habitus hodiernus.

II. Balassa-Gyarmath.

§. I.

Gyarmathi possessor:

Gyarmath munimentum fuit, situ, quam quæ hucusque vidimus, longe diuersissimo. Cum enim arces recensitæ omnes, aut montes occupauerint, aut colles, situs editioris; hæc vna in planitie, ad *Ipolæ* latus orientale, consedit. Dedit nomen, bellicosissimæ (*l.*) *Balassiorum* stirpi, aut certe, ab ea id accepit. quæ olim heic late dominata, præclara virtutum bellicarum laude emicuit; eo vnico infelix, quod, cum foris hostem, multo impenso sanguine, fortiter propulsarit, domi litibus, *se ipsam*, magno posterorum malo, exagitauerit. quod equidem perpetuis *belli* studiis, quibus distinebatur, *adscripserim*. Alioquin, postquam oram hanc vniuersam, *Turca* occupauisset, *Balassii* fuerunt, qui trium arcium, *Divin*, *Kékkő* & *Gyarmath*, obiectu, hostem a *montanarum ciuitatum* occupatione, constanter arcebant. Hinc, perpetua ipsis fere, *Capitaneorum montanarum vrbium*, iis temporibus, dignitas fuit.

§. II.

A Turcis tentatur sæpius:

Non poterant autem, vicini Turcæ, hanc *Balassiorum* virtutem, æquo animo ferre. Itaque, quoties se dedebat occasio, in-

festis

R 2

l.) Exstat, in tabulario Archiepiscopi Strigoniensis, Latinum Cumani diploma, quo Gyarmath, & aliæ possessiones *Petri Comitis*, iuxta fluuium Ipoly, *Magistro Demetrio*, & successoribus, conferuntur, anno MCCXC. quod, an ad inclutam *Balassiorum* gentem pertineat, non habeo dicere. Adiunctæ sunt eidem diplomati, litteræ *Conuentus S. Benedicti de iuxta Gron*, *metales possessionis* Gyarmath.

festis armis, cum ditiones eorum reliquas, tum arces potissimum, incursabant. In primis, calamitosus annus MDLII. Gyarmatho exstitit. Deditis enim, aut imbelli metu desertis, reliquis oræ huius arcibus, *Gyarmathum* quoque, in hostium potestatem concessit, rapinis atque incendio, male postea mulctatum. *Gyarmathum*, inquit ISTVÁNFIVS, (*m.*) *Balassianæ familiæ domicilium, perterritis iis, qui in præsidio erant, ac diffugientibus, primo direptum a Turcis, ac postea subiectis ignibus concrematum, funditus conflagrauit.* Illud, in isto hostium maleficio, tamquam beneficium interpretati sunt *Balassii*, quod exustam arcem, nullo præsidio, nullisque operibus, communiuerunt: nam id quidem occasionem heris præbuit, vt locum vallis defixis, & instauratis foueis aggeribusque, denuo incingerent, militibus simul impositis, qui defensarent, cum arcem, tum oram, *montanis vrbibus*, confinem.

deserta capitur exuritur que:

instauratur postliminio.

§. III.

TVtabatur se, & regionem adiectam, isto habitu, *Gyarmathum*, ad ea vsque tempora, dum *Nicolai Pálffii* virtute, post captum *Filekum*, tota ista regio, hostibus exinaniretur. Seculo postea XVII. ineunte, ea fuit prouidentia MATTHIAS *Archidux*, vt arcem, nouis operibus iusserit præmuniendam. qui labor, publicis regni decretis, (*n.*) vicinis prouinciis subinde iniunctus est. Tunc vero, & foueæ depressæ sunt profundius, & aggeres ducti altius, portis, lateritio opere, pro loci opportunitate constitutis. Sub idem tempus, fraterna gentis odia, inter *Balassios*, nouis accelerata iniuriis, recrudescebant. Namque, *Sigismundus Balassa*, vir bellicosus, & iusto ferocior, vterinum fratrem, cum matertera, vinculis constrinxerat, credo, priuatas iniurias, violentiæ isto genere, vlturus. GEORGIVS ZÁWODSKY (*o.*) ad annum MDCV. mensem Decembrem, ita rem memorat: SIGISMVNDVS BALASSA, *ex conuentu Carponensi reuersus, quem illic* BOTSKAY *agitauerat, fratrem vterinum,* EMERICVM BALASSA, *nec non* MAGNIFICAM DOMINAM SOPHIAM MEREY, *relictam quondam Magnifici Domini* MICHAËLIS CZOBOR, *materteram suam, vindictæ caussa, in arce* BÉSZTERCZE, *captiuauit, resque & bona illorum, partim pro se occupauit, partim in prædam conuertit.* Proinde, in ea pace, quæ inter Cæsarem RVDOLPHVM, & *Botskaium*, anno MDCVI. coiuit, id quoque cautum legas, (*p.*) vt idem *Sigismundus Balassa*, cum fratrem, tum materteram, liberos, non dimitteret tantum, verum indemnes etiam haberet. Sed, dissidio *Bethleniano*, insignis (*q.*) perfidiæ documentum *Gyarmathenses* exhi-

Munitur publicis operâ:

horum dissidiis infelix.

m.) Lib. XVIII. p. 332.
n.) Lege omnino, Decretum anni MDCII. Art. XIV. Anni MDCVIII. Art. XV. Anni MDCXIII. Artic. VIII. Anni MDCXVIII. Artic. XLIX. Anni MDCXXII. Art. XXXVI. Anni MDCXXXV. Art. XCII.
o.) In Diario Rerum Memorabilium MSC.
p.) Art XII. 16. quod & ita euenit. Iterum ZAWODSKY: *Eodem anno MDCVI. mense Augusto* Magnif. D. Emericus Balassa, & Dna. Sophia Merey, *ex captiuitate Besztertzensi sunt dimissi.* vid. & Decret. Anni MDCXLIX. Artic. LV. & LVII.
q.) ORTELIVS, P. II. p 66.

exhibuere. Nam, cum *Philippus Morgenthaler*, arcis præfectus, stationem sibi creditam, mordicus tueri, constituisset, captus a præsidiariis, atque hostibus, præclaro scilicet facinore, vna cum arce, traditus est.

§. IV.

PRæter belli, quæ commemorauimus, studia, & pace inclaruit, *Gyarmathum*. Nam, postea quam *Sitva-Torokensis* pactio, non minus a Turcis, quam nostris, varie fauciata fuisset, primum *Viennæ*, *Comaromii* postea, denique *Gyarmathini*, anno MDCXXVI. VII. Calendas Aprilis, redintegrari eam, prorogarique oportuit. Aderant in eo conuentu, præter nobilissimos quosque Turcarum, qui *Buda*, & *Agria*, cum facultate paciscendi, venerant, *Nicolaus Eszterházy de Galantha; Michael Adolphus ab Altheim; Nicolaus de Frangepanibus, Comes de Terfatz; Iohannes Iacobus Kurtz de Senfftenau; Baro Sigismundus Gallern*, a Cæsare missi; e Transiluania autem, *Wolffgangus Ramuthi, Michael Thódolaghi*, & *Thomas Borsos.* Diu, quod fit, extractis colloquiis, & exprobratis, quæ vtrinque illatæ fuerant, iniuriis, tandem, in septem conditiones, mutuo adsensu firmatas, coiuere: *Pacem nimirum* Sitvatorokensem, Viennensem*que, intemeratam haberi; litem Vacziensem, alii loco adseruari; controuersias finium in Croatia discriminandorum, missis vtrinque arbitris, placide disputari; caussam vicorum dedititiorum, procul odio gratiaue, diiudicari; ea omnia, sine cunctatione, ad diem S. Martino festum confici; denique, illatas mutuo, cædes, rapinas & iniurias reliquas, æternum obliterari oportere.* Istis legibus, pacem tunc refarcitam accepimus; sed quam Turcarum libido, breui post contemeraram, denuo diremit.

Pace, cum Turcis redintegrata, inclaruit.

§. V.

BEllo, ad hunc modum aliquantisper consopito, quieuere ab armis *Gyarmathenses.* quæ ingruentibus iterum periculis, eo maioribus animis corripuerunt, quo vehementius, in delendum *Gyarmathum*, hostes videbant incumbere. Et sane, euenit anno MDCXL. vt, cum tentatis sæpius insultibus, arcem capere non possent, subiectis ignibus, funditus eam delerent. Magno, iactura illa, toti viciniæ constitit; præterquam enim, quod impressionibus hostium, eo vsque patuere, *montanarum vrbium* confinia, donec *Gyarmathum*, & operibus muniretur, & præsidio; certe, non prius cessandum credebant, adsitæ prouinciæ, quam illata arci clades, repararetur, poneturque hosti obex, qui montanam regionem infestare volentem, remoraretur. Hinc, nouo iterum decreto (*r.*) complures regni *Comitatus*, reædificandæ *Gyarmathensium* arci, destinari oportuit. Et ita omnino breui, istis operis, conualuit, vt non propulsare modo hostem potuerit, sed,

Hostium, aduersus Gyarmathum odia:

exuritur fundituſ:

denuoque instauratur.

R 3 factis

r.) Anno MDCXLVII. Artic. CLIII.

factis ſubinde eruptionibus, fatigare etiam, atque abacta paſſim præda, varie adfligere.

§. VI.

Singularis Gyarmathenſium virtus.

INiquum eſſet, virtutis illud ſpecimen ſilere, quod annales (*s.*) ad annum MDCXLVIII. memorant. Nimirum, cladem, quam ſuperioribus annis acceperant, ſi occaſio tuliſſet, vlciſcendam ſtatuerunt *Gyarmathienſes*. Proinde, cum ad omnem adtenti occaſionem, qua hoſti poſſent nocere, per exploratores didiciſſent, prædiuitem nobilemque Turcam, ſponſam, *Strigonium*, cum delecta hoſtium manu, per auia itinera, deducturum; opportuno in ſiluis, quas tranſire neceſſum habebant, loco, ſubſeſſores mature conſtituunt. Hi, ſimul aduentantem conuiuarum turbam cognouerunt, facta conclamatione, ex inſidiis, in hoſtem irruunt, nec opinantes disiiciunt, ſponſam, cum ingentis pretii mundo, & adparatu reliquo, multis captis, cæſis plurimis, intercipiunt, prædaque onuſti, incolumes *Gyarmathum* redeunt. Male ea res Turcas habuit. Igitur, coadunato, quatuor millium exercitu, ad *Gyarmathum*, ſolo æquandum, nocte intempeſta, fremebundi adcurrunt: neque poſitis caſtris, rem, per tumultum exorſi, atque ligonibus & ſecuribus armati, arcem ſubeunt vndique, ac hi quidem, vallos ſuccindere, illi, ſubruere aggeres, ſumma virium contentione, occipiunt. Tunc vero præſidiarii, ancipiti *periculo* circumuenti, arma corripere, hoſtem propulſare, a vallis & aggeribus, ſumma vi reiicere, enitentes deturbare, & nihil non intentatum relinquere. At Turcæ, viſo ad primum impetum, plures, quam putarant, e ſuis occumbere, repetitis adſultibus, non prius ceſſandum ſtatuerunt, quam acciſis vallis, aggeres perrumperent, & capto propugnaculo, præſidiarios, ad internecionem delerent. Et fuit omnino res plena diſcriminis, cum ſauciatis, noui, ſine ceſſatione, oppugnatores, ſuccederent; intus autem, maior, in paucitate iactura fieret. Sed, acciderat forte fortuna, vt equitum, e vicina *Palánka*, turma, hac iter faciens, nocturna, apud *Gyarmathenſes*, hoſpitia occuparet. Hi ergo, ad arma, vna concurſantes, præſidiariis auxiliari, & ſubita virtutis ſpecimina edere, pulchrum ducebant. Sed, nec feminis pugnandi ardor deerat, cum hæ quidem, omni telorum genere, quæ fors cunque obiecerat, in aggeribus pugnarent; illæ, aquis & oleo feruefactis, hoſtem enitentem, ingenti edita ſtrage, perfundrent. quo viſo, Turcæ, tanto cœptis inſtabant vehementius, quanto turpius ducebant, inuſitato iſthoc pugnæ genere, a feminis vinci repellique. Pugnabatur ergo, vtrinque, ſumma virium contentione, furore illinc, deſperatione hinc, arma miniſtrantibus. Opportune autem accidit, vt *Aga*, qui ſuos, ad inſultum, obequitans, accendebat, a gregarii cuiusdam militis vxore, glande, per media tempora, traiiceretur. Itaque, increbreſcente inter hoſtes, ducis ſui occaſu, cladem vlturi, in arcem, ſublato

feminarum præclarum facinus;

s.) Vide Ortelivm, Parte II. p. 159. b. ſqq.

ſublato clamore, incurrunt denuo, rati, ceſſuros ad vltimum, pertinaci adeo furori, præſidiarios. At illi, cognito, cædem *Agæ*, a Turcis conclamari, facto agmine, ex arce erumpunt, & hoſtem, ferocem adhuc, neque detrectantem pugnam, tanta virium contentione adoriuntur, quam quæ, deſperata ſalute, eſſe potuit maxima. Turcæ, *Turcarum clades.* inopina hac eruptione, in fugam effunduntur. quos inſequuti Hungari, paſſim obtruncant, & ſparſos, per ſaltuoſa itinera, cæſim propulſant. Adhuc vero hoſtium tergis imminebant *Gyarmathenſes*, cum *Adamus Forgách*, Ujvarienſium præfectus, ſelecto cum equitatu, noſtris, quaſi dedita opera veniſſet, forte occurrit: cuius opportuno aduentu, feruidiores facti, inſectari hoſtem non prius ceſſant, quam nox ingrueret. Ita tunc *Gyarmathenſes*, gemina victoria, eximiam virtutis bellicæ laudem, meruerunt. quam ideo adſcripſimus, vt eorum clamores retunderemus, *qui* has iſtiusmodi arces, non tam regionis propugnacula, quam aſyla fuiſſe latronum, habitus illorum temporum ignari, adfirmant.

§. VII.

Noua Balaſſiorum lites, arci noxia.

ISTis rebus, cum *Gyarmathenſibus*, tum *Balaſſiis* etiam, ſicuti par erat, calcar additum fuit, ad res, porro, pro rege & patria, fortiter gerendas. Certe, *Emericus Balaſſa*, cuius ad *Diuin* meminimus, impetrata prius, a Leopoldo I. facultate, nouis operibus, arcem, non munire tantum, ſed augere etiam occeperat: egregio inſtituto; niſi id noua iterum lis, inter fratres coorta, interuertiſſet. Nam, cum *Emericus Balaſſa*, productis latius propugnaculis, cellarium, *Valentini*, fratris, obrui curauiſſet: quippe, nouis, quæ ſubſtruebat, munimentis noxium futurum; & vero, *Valentinus* id, non modo ferre nollet, ſed litem etiam *Emerico* moueret, cœptum opus, muniendi prolatandique *Gyarmathi*, penitus interuerſum eſt; lite, publico regni decreto (*t.*) ad *Comitem Palatinum* relegata. Inde, pauca, a *Gyarmathenſibus*, memoratu digna, geſta ſunt, mutuis *Balaſſiorum* offenſis, fortunam meliorem profligantibus. Certe, cum anno MDCLXI. menſe Auguſto, fratrum alter, collectis e præſidiis vicinarum arcium, octingentis, leuis armaturæ, equitibus, in hoſticum irrupiſſet; iamque, magna pecorum vi abacta, ouabundo ſimilis, ad ſuos reuerteretur; a Turcis circumfuſus, amiſſis ſignis omnibus, ægre, & niſi a quinquaginta militibus comitatus, *Gyarmathum* euaſit. Poſtea, cum & Turcæ retrocedere cogerentur, & *Emerici Balaſſæ* fides in Cæſarem, ſuſpecta fieret, *Gyarmathum* quoque, a priſtino decore celebritateque, paullatim defecit; donec ad ſolitudinem, qua hodieque ſqualet, penitus recideret.

t.) Anni MDCLIX. Artic. CXV.

III. NÓGRÁD.

§. I.

Arcis Nógrád origo:

IN Arcis NÓGRÁD conditores, ſupra inquiſiuimus, cum de prouinciæ nomine, diſputatum a nobis fuit. quod a *Nógrádo* iſto manauiſſe, nihil iam adtinet monere. Nota eſt arx, in recentiori hiſtoria, cuius ideo, & ſitum, & fata, eo curatiore ſtudio proſequeremur, quo magis noſtra intereſt, arcium iſtiusmodi cadauera, in vitam quaſi, tenui hoc ſcriptionis genere, reuocare. Situm egregie ISTVÁNFFIVS (*u.*) deſcripſit: *Arx*, inquit, *Nógrádi, ditionis olim Epiſcopi Váczienſis, rupi non admodum editæ, impoſita eſt, auorumque noſtrorum memoria, magno,* NICOLAI BÁTHORII, *Váczienſis Epiſcopi* (*v.*) *ſtudio, multis ædificiis ac elegantibus, opere Iacobi Trangurini, architecti & ſtatuarii, reſtaurata fuit: habetque ab occidente ſole, vaſtiſſimas ſiluas, quæ* FILEKVM, *&* DIÓS-GYÖRIVM *verſus, longe lateque protenduntur, ac ad meridiem, Danubium & Váczìam, duobus diſſitam milliaribus: ad ſolis vero ortum, colles ſunt & vineta, minime alto vertice, e quibus haud irrito labore, tormentis peti poteſt. Habet etiam circumcirca foſſam XXX. pedes profundam latamque, in ipſa rupe, magno, vt adparet, labore & ſumtu, eiusdem* BÁTHORII *antiſitis, exciſam, cum puteo, haud minoris laboris, & impendii, ac turrim in medio erectam, quibus ipſius nomen, & gentilitia trium lupinorum dentium inſignia, exſculpta, adhuc exſtare videntur. Hanc autem veterem molem ædificii, Turcæ, erectis forinſecus duplicis, & valde craſſi valli cratibus, iisque roboribus conſibulatis, ac ceſpite repletis, ad propugnaculorum formam, longe firmiorem reddiderant.* Iſta, de arcis, quem ſua ætate obtinuit, habitu, ISTVÁNFFIVS. In eo lapſus eſt, ſcriptor alioquin diligentiſſimus, quod ſitum *Nógrádi*, cum *Fileko*, & *Diós-Győr*, non coniungat tantum; ſed ſiluis interpoſitis, in occaſum etiam reiiciat: cum id contra ſe habeat. Vtrumque enim caſtrum illud, in orientem, paſſim culta regione interiacente, ſecedit: & *Filekum* quidem, milliaribus octo, in ortum brumalem, *Diós-Győrum* autem, in æſtiuum, milliaribus, plus minus, duodecim. Arci *Drégel*, ſitus ille congruit: quippe quæ, in *Comitatus Nagy-Hontenſis* finibus, ad occiduum ſolem, trans valtos ſiluoſosque montes, *Neográdo* obiicitur.

ſitus, ab Iſtvánffio *deſcriptus:*

eius aberratio.

§. II.

Hodierna Nógrádi facies.

HOdie, quod dixi, cadauer arcis tantum ſupereſt, idque, ex parietinarum nouis ruinis, in annos ſingulos, fœdius. Rupes, cui arcem inædificatam dicit ISTVÁNFFIVS, rotunda eſt, & ita ſe adtollens, vt aditum, neque præruptum, ſed nec mollem nimium, habeat.

u.) Lib. XXVIII. poſt initium:

v.) Laudes *Báthorii* huius, vide apud BONFINIVM, Lib. I. Dec. I. p. 8, 11. &, quæ nos, de eo diximus, ſupra, Tomo III. in deſignatione Epiſcoporum Váczienſium, p. 119. XXI.

habeat. Moles, rupi inſidens, naturam loci quodammodo imitata, pentagona eſt, quinque propugnaculis, ad regulam factis, circumdata. Hæc, validiſſimus murus, petroſo fundamento innixus, committebat: extus, fouea, quam memorauit ISTVÁNFFIVS, præmuniebat. Et ex propugnaculis quidem, quatuor adhuc ſuperſunt, ſi vſus ferret, nullo negotio, inſtauranda; quintum autem, a fundamentis reuulſum eſt, diiectumque: nam, conditorium habebat pulueris pyrii, quod fulmine percuſſum ſuccenſumque, vltimam, toti arci, cladem adtulit. Intus, laxe habitari potuit: quippe, non militaribus modo ædiculis; ſed herilibus etiam palatiis, egregie inſtructa. Nunc, vtraque, in vaſtum rudus abiere; ſi turrim, vetuſtiſſimi operis, excipias, media caſtri area, ad eximiam altitudinem, dum integra eſſet, eductam. Iam, & ipſa manca eſt, diminuiturque in dies, eodem illo fulminis ictu diuerberata. Pone turrim hanc, laudatus ISTVÁNFFIO puteus, LXXX. circiter orgyiarum altitudine, excauatus eſt, breui, lapidum iactibus, quos explorandæ profunditatis cauſſa, vulgo immittunt, obturandus. Haud longe, ciſterna diſſidet, eximie profunda, & e quadrato lapide, quam diligentiſſime, ad cum modum exædificata, qualem ſiri noſtrorum hominum, referunt, humi, accipiendo frumento, depreſſi. Ceterum, ſitus arcis, patente, in omnem partem, proſpectu, elegans fuit, & multæ iucunditatis. Adibatur porta vnica, ſed quam geminæ concamerationes, cum ponte verſatili, & obiecti e craſſis roboribus valli, communicabant. Nunc, arcis adſpectus, oppido triſtis eſt, & priſtino cultu ac robore, indignus.

§. III.

Eius conuerſiones, ſub IOHANNE *&* FERDINANDO:

COnuerſiones eius, duobus retro ſeculis, variæ fuerunt, ac plerumque funeſtæ. Poſt eladem *Mohátſianam*, IOHANNES *Zápolya*, ſuam fecerat, non tam arcis, quam vnanimi totius regionis, conſenſione. Occupata enim *Buda*, & peracta, ſolemni ritu, inauguratione regia, quidquid circum arcium erat, ſponte id, in noui regis, poteſtatem conceſſit. quod, anno MDXXVI. accidiſſe, apud omnes conſtat. Sed, poſt decretoriam illam pugnam, quæ anno ſequente, ad *Tokayum*, victo IOHANNE, depugnata eſt, ea facilitate; FERDINANDI militem admiſit *Nógrádum*, qua antea, fidem IOHANNIS ſequutum fuerat. *Eius vnius pugnæ prouentu*, inquit, ISTVÁNFFIVS (*x.*) *Tokayum, Agria, Hatvanum, Váczia,* NOVIGRÁDVM, *ceteræque arces, & omnis ager, vsque ad Budam & Peſtum, Danubiumque, partibus Ferdinandi, facile acceſſerunt.* Cum vero ciuilis belli, quod inter vtrumque regem, diu ſatis, dubiis euentibus, trahebatur, Turcarum vires, per mediam Hungariam, nimium increuiſſent; *Nógrádum* quoque, noſtrorum intempeſtiuo metu, in manus hoſtium, nec tentata obſidione, incidit. Rem his verbis prodidit ISTVÁNFFIVS: (*y.*) *Turcæ, capto Viſſegrádo, ac traiectis, lento paſſu, copiis & tormentis,* NEOGRÁDVM *obſi-*

venit in Turcarum poteſtatem.

x.) Lib. IX. p. 143.

y.) Lib. XVI. initio.

ſidione cingendum oppugnandumque conſtituerunt, quatuor milliaribus (z.) *a Váczia, ad cuius Epiſcopum antiquitus pertinebat, diſtans. Secundis caſtris, ad oppidum Ruthenorum, quod Oroszſalvam vocant, peruentum eſt. Mehmetes, & Huſſainius, iis in caſtris, præſidiarios* NÓGRÁDI, *metu perculſos, profugiſſe, & arcem ab iis vacuam relictam eſſe, intellexerunt. Quamobrem, eam ingreſſi, occuparunt, & valido impoſito præſidio, ſpeciem, vlterius tranſire volentium, præbuerunt.* Ad eum modum, arx, & munita ſatis, neque vlla commeatus inopia laborans, hoſtis formidine, deſerta fuit a noſtris. quos, *Viſſegradenſium* iniquiora fata, ad turpe adeo conſilium adduxiſſe, credi poteſt. Capta enim per deditionem arce, præſidiarios, quibus tutam diſceſſionem, iurata fide promiſerant, ad vnum omnes, trucidarunt, ſolo arcis præfecto, *Petro Amadeo*, ægre ſeruato.

§. IV.

Recuperatur a MATTHIA *Archiduce:*

EVenere hæc NÓGRÁDO, anno MDXLIV. quæ inde, ad annum vsque MDXCIV. ab hoſte, non ſine perpetuis, circumiectæ regionis, cladibus, tenebatur. Tunc autem, duce *Nicolao Pálffio*, viro bellicoſiſſimo, obſeſſa; dein vero MATTHIAE *Archiduci*, quarta *Idus Martii*, dedita, ab ISTVÁNFFIO (*a.*) memoratur. Brevis ea fuit obſidio; ſed ob anni tempeſtatem, laborioſa & multarum difficultatum. Nam, etſi inopina Turcis accidit: quippe, exeunte *Februario* inchoata; tamen, in defenſanda ea, nihil fecerunt reſidui: donec, exuſtis vallis, & tormentorum ictibus, exterioribus munimentis, opinione celerius, deiectis, ad vltimum diſcrimen adducti, deditionem, iisdem, quibus, anno ſuperiore, *Filekienſes*, legibus, paciſcerentur. Arcem occupatam, MATTHIAS, *Andreæ Révayo*, (*b.*) viro ſtrenuo, tutandam permiſit, præſidio CCC. Hungarorum, ac totidem fere Germanorum, impoſito. Decennio, a Cæſarianis tenebatur; quo exacto, ad *Botskayum*, præſidiariorum leuitate, defecit. *Ii*, inquit, ISTVÁNFFIVS (*c.*) *qui* NÓGRÁDI, *Bujaci, & aliis arcibus erant, ad hoſtes defecerunt.* At enim vero, pace, anno ſequente, Viennæ conſtituta, quidquid iſta regione arcium occupatum a *Botskayo* fuit, Cæſari reſtitutum eſt: ideoque, & pace Turcica, quæ eodem anno MDCVI. ad *Sitvam* coaluit, conditione XV. Cæſari, in integrum aſſertam legimus. Itaque, geminæ pacis iuribus, a Cæſare tenebatur *Nógrádum*, ad tumultum vsque *Bethlenianum*. quo exardeſcente, poſt deditum Filekum, *Nógrádum* (*d.*) quoque, anno MDCXIX. hoſtibus conceſſit, donec, anno MDCXXIV. ex legibus pacis refocillatæ, Cæſari poſtliminio reſtitueretur. Poſtea, a Turcis, ſubita obſidione, anno MDCXXVI.

reſtituitur Cæſari, pace gemina:

occupatur a BETHLENIO, *atque iterum redditur.*

z.) Supra, duobus id milliaribus *Váczia* diſtinxerat.

a.) Lib. XVIII. poſt initia, atque ORTELIVS P. I. p. 143. 144. vbi a *Seblickio*, præſidia eius oræ, MATTHIAE *Archiducis* iuſſu, reuiſente, Turcis, metu perculſis, intercipi potuiſſe, memoriæ proditum eſt.

b.) Eius occaſum, vid. eodem Libro p. 641, 49.

c.) ISTVANFF. Lib. XXXIV. pag. 521.

d.) ORTELIVS. P. II. p. 66.

MDCXXVI. pridie Calendas Octobris, tenta eſt: *Bethlenio*, ſicuti fas eſt credere, expeditioni illi fauente. Nimirum, præfectus *Budenſis*, (*e.*) homo ferox & ſanguinolentus, Buda, XVIII. Calendas Octobris, cum octo millibus egreſſus, *Verebélyum* vsque procurrerat, magna vi hominum pecorumque, paſſim abacta, vicis præterea, qui ſe tributarios profiteri nollent, exuſtis. Redux *Verebélyo*, quod irrito conatu, pluribus adſultibus fatigauerat, *Damasztum*, nullo negotio intercepit; mox & *Nógrádum* obſedit, ratus fore, vt repentinæ obſidionis metu, præſidiarios, ad arcem defendam, induceret; ſed res aliter cecidit: præterquam enim, quod præſidiarii, ſtationem ſuam fortiter tutabantur; *Dux* certe *Friedlandiæ*, Danubio, cum Cæſarianis, traiecto, & intercepta *Váczia*, hoſtem, ab ea obſidione, opinione celerius, retraxit, coegitque, vt exercitum, & tormenta curſulia, quorum XIX. ſecum habebat, *Budam* iterum, trepidus citusque, reduceret.

§. V.

Fata arcis reliqua:

SEquutis temporibus, intemeratum quidem *Nógrádum* manſit, nunquam tamen ſine diſcrimine, quod *Budenſes*, quos diximus, atque *Strigonienſes*, factis late impreſſionibus, circumſitæ regioni, intentabant. Tametſi enim, pacem ſubinde redintegrarint Turcæ; a rapinis tamen, adeo ſe non abſtinebant, vt & tunc, impune ditiones Chriſtianorum depopularentur, cum tuta eſſe oportebat omnia. Quibus rebus fiebat, vt *Nógrádenſes* quoque, opportunitate, ſi qua ſe dabat, egregie, aduerſus hoſtes, vterentur, & nunc reiicerent populabundos, nunc incautos, intra ſuos fines, adorirentur: quippe quod, moris tunc fere fuerit, vt limitanearum arcium præſidiarii, non tam iuſtis ſtipendiis, quam tapto viuerent. Certe, anno MDCLIV. iis nundinis, quæ ad diem XVI. Octobris, *Vaczouiæ* aguntur, opimam reportauiſſe prædam, relatum legimus. Mercatores nimirum, ad forum illud, *Peſtino* & *Buda*, profectos, tametſi defenſando comitatui, ſelectam hoſtium manum ſecum haberent, ex inſidiis adgreſſi, cæſis primum quinquaginta militibus, captisque eorum ducibus, intercepерunt, *Nógrádum*que deduxerunt. Sed, iſtæ huiusmodi velitationes, propemodum quotidianæ fuerunt, vt in iis recenſendis, nimium ſane opreæ collocandum foret.

præſidiariorum occupatio:

abacta præda:

§. VI.

Obſidetur a Turcis:

AT enim vero, nequiuit, iſta vincendi felicitas, *Nógrádienſibus* eſſe perpetua. Nam, *Ujvarino*, poſt laborioſam obſidionem, anno MDCLXIII. Turcis dedito, *Kaplan Baſſa*, iuſſu *Vezirii*, cum ſex millium exercitu, & quatuor maioribus tormentis, menſe Septembri, arcem obſidione cingit, & ſubſtructis celeriter ſuggeſtibus, quatuor iisdem machinis, verberare incipit. Qua in re, tanta pertinacia

e.) Idem loco citato p. 111. a.

nacia elaborauiſſe Turcas accepimus, vt dies noctesque, magna ſuorum ſtrage, in opus incumberent: rati, ſi opportuno adeo loco potirentur, expeditum iter, commigranti vltro citroque exercitui, futurum; quod alioquin, per ſaltuoſos montes, *Vaczoniam*, & hinc *Ujvárinum* proficiſcentibus, haud vnquam tutum, quin ob præſidiariorum virtutem, etiam damnoſum futurum, ſagaciter prouidebant. Iam menſem in arce obſidenda Turcæ extraxerant, cum princeps, *Michael Abaffy*, Turcico fœderi innexus, cum ſuis cohortibus, ad caſtra hoſtium, acceſſit. Inſtaurato ergo obſidionis labore, in primis, quod tempeſtas, habendis caſtris, minus idonea, iamiam ingrueret, diu, nihil aduerſus præſidiarios profici potuit. Tunc vero ABAFFY, cum, neque tormentis, arcis mœnia, neque pollicitationibus, præfecti animum, expugnari poſſe videret, ad ineſcandum præſidiariorum vulgus, dolos intendit: *meminiſſent præſidiarii, quo loco, quam ancipiti, quamque exitiabili, res ſuæ ſint futuræ, ſi præfecto, homini obſtinato, obſecundauerint; Turcas, ab obſidione, non deſſituros prius, quam arce, per adſultum potiantur; quod ſi fieri contingat, nullius vitæ, fortunisque parſum iri. Itaque, tempeſtiue de arce dedenda cogitarent, quam non Turcis; ſed ſibi, principi Chriſtiano, ſint tradituri.* Eo ſcilicet dolo, caſtra complura, *Abaffyus* circumuenerat. Peruaſit infida hæc perſuaſiuncula, animos præſidiariorum, eo quidem penitius, quo, & tolerandæ vlterius obſidionis impatientiores fuere, & ſtudioſiores contra nouarum rerum: quibus vniuerſam Hungariam inundatam, tamquam e ſpecula, contemplabantur. Itaque, præfectum, ſe, arcemque, non tam hoſtibus, quam amicis, iisdemque *Chriſtianis*, vt dederet, importunius vrgent. Erat is NICOLAVS NADÁNY, in Biharienſium prouincia, apud Varadienſes, nobili loco natus: vir oppido fortis, & rei militaris peritia clarus, ideoque a Cæſare, inter magnates relatus. Proinde, & ſua virtute, & fide in Cæſarem fretus, iniquiſſima hæc præſidiariorum conſilia, maſcule repudiat, reluctantes, *officium* vt facerent, grauiter monet; ſed adeo *nihil profecit*, vt præſentiſſimum etiam vitæ periculum, quod ei nequiſſimorum hominum inſidiæ, conflauerant, adierit. Namque, inſana multitudo, iſta præfecti conſtantia exaſperata, circumueniendum, atque in vincula compactum, Turcis tradendum, plane conſtituerat. Eo animaduerſo, NADÁNYVS, cum, & militares labores obire detrectarent præſidiarii, & arctiora in dies, extus intusque fierent omnia, arcis tradendæ arbitrium, ſibi excuſſum, libidini tumultuantis militis, inuitus permittit; arce, damnata proditione, decedit, atque in caſtra *Abaffy* receptus, ſeditioſos, ingratiis, ſequi cogitur. Iſta, de præfecti fide, ab idoneis auctoribus, ex ſcriniis domeſticis, relata accepimus. Atque hic quidem vltimus, e Chriſtianis, *Neográdi* præfectus fuit. Nam, arcem quidem *Abaffy*, deditiam ſibi fecit; ſed qua, e veſtigio, Turcæ potiti ſunt. qui eam pacis legibus, quæ anno ſequenti ſancita fuit, vna cum *Ujvárino*, retinuerunt, non prius deſerturi, quam cælitus inde pellerentur.

quibus accedit ABAFFY.

§. VIII.

§. VII.

ENim vero, cum poſt ea tempora, ciuili iterum ſeditione; & Hungariam miſcuiſſet TÖKÖLIVS, & *Turcas*, nouis ſuorum actibus, feciſſet ferociores; plurimum in *Nógrádo* præſidii, ad tutandum *Ujvárinum*, hoſtes collocabant. Certe, hieme, annona iſthuc conuecta, ſæpius tentauerunt, *Ujvárinum*, ineunte æſtate a Cæſarianis obſidendum, commeatu iſthinc iuuare. Quæ res, minutis, per eam hiemem, præoccaſionem dedit. *Heiſtero* ac *Pálffio*, inquit WAGNERVS (*f.*) *curandum* iis, *erat, ne per hiemem, Ujvarienſibus annonæ quid, aut militis adueniret. Nunciatum eſt ſubinde, octo millium agmen e Tartaris, Hungaris, Turci conflatum, ad Nouigrádum, multum annonæ, abſeſſis inferendum, comportaſſe. Inuaſit inopinantes, ſolita celeritate, Heiſterus, eoque redegit, vt octingenti, qui farina ſaccum, equi dorſo ferebant, abiecto, tum onere, tum pugna experiundæ conſilio, prædam hoſti relinquerent. Reliquum agmen, quod poſt montem, vallo ſe munierat, adgredi, temerarium duxit, vti qui duobus millibus, non amplius haberet.* Proinde, cum fruſtra prius tentata *Buda*, anno dein MDCLXXXV. *Ujvárinum* expugnatum ſtatuerent, quorum iſta conſilia moderari intererat; multis viſum eſt, tanti operis initia, a *Nógrádi* (*g.*) expugnatione duci oportere, ne Budenſes, hoſti concluſo, iſto itinere, ſuppetias ferre poſſent. Sed *Lotharingus*, ab eo conſilio fuit alienior: quod, nec dignum cenſeret locum, ad quem tantus exercitus, nonnulla iactura temporis, adduceretur; & vel eo capto, multi Turcis aditus, in apertiſſima regione, paterent. Interim, donec res ea Viennæ diſputatur, cum *Suſa*, *Scherffenbergio*, ac ſelectis machinatoribus, dux ipſe, *Nouigrádi* ſitum ſpeculatus eſt, arcemque reperit, libero quidem colli impoſitam, ſed elati, ſupra tumuli faſtigio, obnoxiam; altero latere, tribus exiguis propugnaculis, altero ſemiluna, ac dimidio propugnaculo, leuiter munitam; inerme infra oppidum, ac difficiles inde ad Danubium acceſſus. Quibus rebus perſpectis, *non ſine aliqua*, cum præſidiariis, velitatione, ſeptima Iulii, exercitum *Ujvarino* admouit. Interea, dum, & *Ujvarinum* expugnatur, & *Strigonienſe* prælium, ſecundo Marte depugnatur; *Nógrádum*, cæleſti igne tactum, atque puluere pyrio, quem is forte fortuna ſuccenderat, conuulſum eſt. Ea re, non minus, quam aduentantis *Lotharingi* metu, hoſtes, detractis arce tormentis, clam (*h.*) exceſſere. Sed arx, ex eo tempore, inanis relicta, nunquam poſtea inſtaurata eſt; cum ante, regni operis communitam fuiſſe, legamus.

NÓGRÁDI, *ad inuandos hoſtes opportunitas.*

cuius ſitus a LOTHARINGO *exploratur.*

cæleſti igne tactum dicitur.

f.) Hiſtoriæ LEOPOLDI M. Lib. IX. p. 552.
g.) Idem, Lib. IX. p. 653.
h.) Alii, facta deditione, in noſtrorum veniſſe poteſtatem, aiunt, atque tunc CHRISTI fidem amplexum *Csonkégum*: cui poſtea, a *Csonkenberg* nomen, aut titulus, inditus. quod non eſt ita. Vide Tomi III. p. 429.

IV. Kamor.

Arcis Kamor *ruderа.*

DVbiæ, & vetuſtæ ætatis rudus eſt, medio a *Nógrádo*, in ſeptentrionem, milliari, intra montes, loco edito & conueſtito ſiluis, repoſitum. Ambitus dirutæ molis, geminus viſitur, ſuperior & inferior: quod indicio eſt, ad eum modum diuiſam fuiſſe arcem. Quia parietinæ propemodum omnes, collapſæ ſunt, & varia frutice inueſtitæ, ſatis condocet, diu eſſe oportere, cum hoc, quidquid erat caſtri, ſiue hoſtili manu dirutum, ſiue detritum vetuſtate eſt. Hinc inde tamen, fornices, alibi hiantes, integri alibi, reperiuntur, profunditatis & ductuum inexpertorum. In his, theſauros latere defoſſos, vulgus ſibi habet perſuaſum, ad quos absportandos, ignoti quidam ſeneciones, ſtatis temporibus, clam aduentent. Alioquin, ſitus loci, eximiæ fuit opportunitatis. Nam, a meridie quidem, molli acclıuitate adibatur; prærupto, contra, eo *montis latere, quod ſeptentrioni obuertitur*: reliqua, montes ambiebant, iugoſi ii quidem, ſed deſpectu peramœni. Hungari *Kámor-Vára* adpellant: cetera, fatorum eius ignari. Nos certe, vindicandam ab obliuione exiſtimauimus, ſimulque rerum curioſos admonendos, vt in molis natales, fata, atque occaſum, ſcrupoloſius inquirant in diplomatibus. Hæc de Arcibus.

SECTIO II.
DE
Oppidis Proceſſus Kékköienſis.
SYNOPSIS.

Oppidi Kékkö *ſitus iniquior: incolarum frequentia, & occupatio.* §. I.

Gyarmathi *incolæ: agri frumentarii: vineta: oppidi habitus: nundinæ: pons* Ipolae. §. II.

Nagy-Oroszi, *Colomanni colonia: eius priuilegia: poſitus amœnus.* §. III.

Oppidi Nógrád *rudera.* §. IV.

Vádkerti *nomen: fit nuper oppidum: eius nundinæ: agri laus: oppidanorum, in eo colendo, ſolertia.* §. V.

I. Oppidvm Kékkö.

Oppidi Kekkö *ſitus iniquior:*

ARci cognomini ſubiectum, inerme illud, ac pro loci natura, varie ſparſum. Quia enim, radices petroſi montis, quem arx inſedit, occupauit, elegantiam omnem reſpuit. Scilicet, vallis, caſtro ſubſita, prominentibus paſſim collibus, & ſaxis, aſperatur. His, nullo ordine, inſertæ domus, inſi-

cetum

cetum faciunt proſpectum. Nam, quia petræ, accliuioribus articulis molleſcunt, ædes illic hæſerunt, opere, quale ſitus loci admiſit, quomodocunque contignatæ. Habet tamen incolas frequentes, & ad rem adtentos. Plerique horum, cum arx floruiſſet, militiam ſequebantur; nonnunquam, pro eorum temporum ingenio, etiam latrociniis dediti. Hodie, rem ruſticam faciunt, ſuntque, in primis cultus vineatici, perquam ſtudioſi. Hinc eis fructuum copia, & caſtanearum potiſſimum. quæ hic egregie proficiunt, eximiaque ſunt guſtus adprobatione. Sed agri frumentarii, & infœcundi ſunt, & lapidoſa gleba, deformes. Ceteroquin, ad libertatem oppidi, mercatus annuos referas, crebros eos quidem, at minus celebres, neque, niſi domeſticarum *mercium prouentu*, inſignes. Subeſt dominationi *Balaſſiorum*.

incolarum frequentia & occupatio.

II. Oppidvm Balassa-Gyarmath.

SVpra, de *eius munimentis*, & horum fatis, quod ſatis eſt, diximus, nunc de oppido, diſcrete aliquid. Nimirum, præſidio, iam pridem dimiſſo, incolæ omnes, in ruſticationem, tanto incumbunt feruidius, quanto rus nacti ſunt benignius. Vario id habitu, oppidum, *Ipole* orientali margine hæreſcens, circumfundit. Nam, qua ſe in orientem porrigit, amœna planitie, agris culta frumentariis, luxuriat. Sabuloſum his ſolum eſt, idemque ſiligini, quam tritico, amicius. Aduerſum eſt enim, agros, puriſſimo tritico conſitos, ſiliginem reddidiſſe. Sunt autem agri *Gyarmathenſium*, difficillimæ arationis, ad cuius operas, tria quatuorue boum iuga, adhiberi, neceſſum eſt. Sane, vomeres, vel vnius diei labore, ſic adteruntur, vt acui eos oporteat denuo. Quod incolarum aliqui, iteratis, in dies ſingulos, vicibus faciunt. Atque id quidem vtrumque habet admirationis nonnihil, cum humus reſoluta adpareat, & larga ſubinde lætificatione, *prouocetur*. Felicior multo vincarum cultus eſt, quarum colles, trans *Ipolam* amnem, ſitu, perquam eleganti, in occidentem abeunt. In primis celebria ſunt montium *Mankó* & *Szurdok*, vineta. quibus alii, *Montem Album*, coniungunt. Eximia horum eſt vbertas, ſi annus congruat. At oppidi habitus, vicum iam refert, habitaturque ædibus, agreſtem in modum factis. Olim, præter arcis munitiones, fouea, & palis altioribus, cingebatur, quorum iam vix veſtigia notaueris. Nundinas agit, in annos ſingulos, quinquies, puta: *die Purificationis Mariæ; Dom. Lætare; Calendis Maii; die S. Stephani Regis; & Michaelis Archangeli.* Exigua his celebritas, ac propemodum nulla, hac in primis temporum difficultate. Pons, quo *Ipola* iungitur, fructuoſus heris eſt: quippe, telonio donatus; at eo grauior incolis, quod commigrantibus, vltro citroque, militibus, hoſpitia frequenter adparare cogantur, gratuita illa, & multa ſæpe licentia, damnoſa.

Gyarmathi *incolæ;*

agri frumentarii.

vineta:

oppidi habitus:

nundinæ:

pons Ipolæ.

III.

III. Oppidvm Nagy-Oroszy.

Nagy Oroszy, Colomanni colonia:

TAmetsi pridem prærogatiua ea excidit, bellorum, &, quæ sequutæ hinc sunt, calamitatum aliarum, iniuria; commemorandum tamen est, ob *Russorum* coloniam, quam huc Colomannvs deduxerat, & cuius nomen hodieque refert oppidum: nam *Orosz*, Hungaris *Russum* significat. De eo Istvánffyvs (*i.*) *illud oppidum*, inquit, *ante quadringentos annos*, Colomannvs, *rex Pannoniæ, deductis, ex Lodomeria, & Gallicia, Russorum prouincia, colonis, condiderat, lege lata, vt cetera liberi essent, portas duntaxat, & ianuas Regum custodirent: quod nostra ætate, obseruatum meminimus.* Et exstant omnino oppidi priuilegia, in Comitatus tabulario. quibus, cum alia incolarum iura, tum istud cum primis, perscribitur, vt ianitorum regiorum munere fungantur. Ante hac, dum libertate nondum temerata, vterentur oppidani, nobiles quoque inquilinos habuit, quos, *ab impetratis* armorum insigniis, *Armalistas* nostri vocant; sed, qui iam inde excesserunt: eo quod, detrectauerunt, pendendi hero tributi conditiones subire. Positus loci, non inamœnus est, & modica circum planitie obfusus, quam vndique montes circumsepiunt, hinc *Nógrádo*, illinc *Drégely*, arcibus insessi. Ager ei contigit, eximiæ fœcunditatis, laxeque procurrens; sed, qui vineta iniquius habeat; credo, ob circumfusorum montium asperitatem: sane, vinum præbent, excoctum minus, neque, *nisi* rusticanis epulis idoneum. Istvánffyvs, Orosz-Falvam, hoc est: *Russorum vicum*, nominat; cum hodie, *Nagy-Oroszi*, seu *maius Oroszi*, adpelletur; discriminis caussa, ne cum *Kis-Oroszi*, insulano vico, permisceatur. Accessit nostra ætate, ditioni *Starenbergianæ*.

eius priuilegia:

positus amœnus.

IV. Oppidvm Nógrád.

Oppidi Nógrád rudera.

FVit olim elegans oppidum, atque non minus ædificiis, quam opportunitatibus aliis, egregie excultum. Adsedit arci eiusdem nominis, sed cuius pristina celebritas, in vicum decreuit, rudera passim ostentantem, quæ cultum oppidi, florentis olim, loquuntur. *Turcæ* profecto, arce potiti, multum incolatu oppidi delectabantur, quod ex aquæductibus, quos instituerunt, & positis, magno sumtu, ex gentis more, balneis, plane conieceris. Nimirum, geminum fontem, proximo in colle salientem, per tibias, humi defossas, in oppidum corriuauerant. qui demum per sílanos, locis opportunis, prosiliebant. Alteri, *Király-Kutja*, quod *Fontem Regium*, sonat, alteri *Magyar-Kút*, siue *Fontis Hungarici*, nomen hæresit hodieque. Iisdem hisce ductibus, & balneo, aquæ adfundebantur. Exstat eius molis rudus semiobrutum, ex quo, non obscure cognosci potest, adfabre factam, atque ita instructam

i.) Lib. XVI. initio.

ctam fuisse, vt lauantes, quoties lubebat, per fistulas, iusto ordine discurrentes, nunc frigidam, nunc iterum calidam, immittere potuerint, in lacus balneatorios. Reliquus oppidi adparatus, notari amplius haud potest, si vias, lapide stratas, excipias. Ad radicem arcis, tertius fons scatet, vber is quidem, & perennis, neque non ita sapidus, vt vix bibendi modum possis facere. Riuus, ex eo defluus, subiecta arci palude, excipitur, quæ antea piscina fuit, commoda satis, & alendis piscibus saxatilibus idonea. Iam adaquando, & perluendo pecori, destinata est. Ditio, Episcopo *Váczienſi* adscripta.

V. Oppidvm Vadkert.

Vadkerti nomen:

VAD-KERT, Hungaris *viuarium ferarum* significat; vt fas sit opinari, heros, qui *Archiepiscopi* (*k.*) sunt *Strigonienses*, hanc istiusmodi opportunitatem, instructam olim isthic habuisse. *Nam est omnino*, situ, ad eam rem, cum primis idoneo. Cum adsita prædia, *Felső*, & *Alsó-Vadkert*, florerent, *Közép-Vadkert*, hoc est, viuarium medium, dicebatur. Censum est, ad nostram vsque ætatem, in vicis prouinciolæ, dum ante hoc lustrum, elaborante Emerico. S. R. I. Principe, & Archiepiscopo Strigoniensi, Caroli VI. Cæsaris & Regis optimi, benignitate, inter oppida referretur, donareturque peculiari iure, seu priuilegio. Ex huius indultu, quater, in annos singulos, nundinas concelebrat, eo ritu, vt triduo, ante solemnes mercatus, forum frequentetur boarium. Habentur vero hi: *Calendis Januariis*; diebus item *SS. Alberto*, & *Mariæ Magdalenæ*, festis; ac denique, *Die Dominico*, qui solemnia *S. Michaelis*, præcedit. Tenues adhuc sunt nundinæ, & quod, circa rerum exordia fieri adsueuit, etiam despectæ; credo, ob *Szétsénienſium*, & *Balassa-Gyarmathenſium* vicinam: quibus fructuosi, frequentesque sunt mercatus. Agri laus præcipua est. quidquid enim ad rusticationis commoditatem possis requirere, omne *id, confertim isthuc* natura cumulauit. Præterquam enim, quod rure laxo fœcundoque, oppidum circumfunditur, gleba certe pollet, resoluta, pulla, & pingui. Adde, planos & apricos agrorum positus, interserta, hic & illic nemora, quæ, singula, & decus conciliant territorio, & famam. Sunt enimuero oppidani, in percolendis agris, exquisitæ peritiæ, iuxta & adsiduitatis. Hinc a vicinis, singulari præconio: *Szépen-Szántó Vad-Kertiek*, hoc est, *sciti & elegantes aratores*, salutantur. Iam & vineæ, quas haud pridem ponere cœperunt, multum profecerunt, habentque fructus haud contemnendi laudem. Ecclesia, oppido inædificata, opere solido non minus, quam venusto, substructa est, cum adposita, exi-

si nuper oppidum:

eius nundinæ:

agri laus:

oppidanorum, in eo colendo, sollertia.

k.) Belam IV. anno MCCLV. Strigoniensi Archiepiscopo, vicem donauisse, tabulæ eius, eodem anno exaratæ, recognitæque postea, a Comitibus Cruciferorum de Strigonio, anno MCCCXVIII. loquuntur. Exstant in *Archiuo* eiusdem præsulis.

miæ proceritatis turri. cui ornandæ, *Chriſtianum Auguſtum*, *Cardinalem de Saxonia*, ſumtus liberaliter impendiſſe, accepimus. Anno MDCCX. a Cæſariano exercitu, iſthic, aduerſus *Rákóczianorum* impreſſiones excubante, communitum, tumultuario opere, fuiſſe oppidum, infra, ad pugnam *Romhányenſem* memorabimus. Disiungitur, *Gyarmatho*, ſeſqui, *Szétsénio*, tribus fere, ad meridianum ſolem, milliaribus, ſedetque ad oram amnis *Lokuſch*, meridionalem.

SECTIO III.

De

Vicis Proceſſus Kékköienſis.

ESt & hæc ora, vicorum frequens, tametſi non vbique eadem ſoli bonitate. Horum recenſendorum initium, a *Kékköienſi* valle ducemus, in *Peſtienſium* confiniis deſituri.

1.) *Nagy-Kürtös*, proxime ab arce *Kékkő* abeſt, ex cuius indole id habet, vt agro ſit ſteriliore, ſed eo fructuoſioribus vinetis. Iſthinc amnis *Kürtös*, exundationibus damnoſus, emanat.

2.) *Kis-Kürtös*, vicinus priori, ſed gemina curia *inſignis*. Inſidetur ab heris, *Raduániis* potiſſimum, qui heic commodum habitatu prætoriolum, haud ita pridem, excitautre. Agris gaudet fertilioribus, vinearum cultu, penitus neglecto. Habet *Fontem Acidum*, ſaporis non ingrati.

3.) *Szelcz*, tenuis, idemque ſitus collini, viculus, agro eſt ſaxoſo, paretque *Balaſſiis*.

4.) *Felső-Eſztergár*, Slauis *Horné-Stribáry*, montibus, ea valle, cui nomen communicauit, ſubſitus, ideoque agrum nactus ſterilem, & vbere ſtercoratione fœcundandum. Recedit ab arce *Kékkő*, medio in ſeptentrionem milliari, eius ditioni accenſus.

5.) *Alsó-Esztergár*, Slauis, *Dolné-Stribáry*, eadem valle, qua in meridiem decurrit, vicinus priori, conſedit: poſitu ſane haud damnando, quod, & agro gaudet fœcundo, & vineta habet, prouentus egregii; tametſi non deſint, quibus *Acidus*, qui hic ſcatet, *Fons*, Eſztergarenſi vino, ſit potior.

6.) *Kis-Szalatnya*, ex nupera ſolitudine, in allodium, arcis *Kékkő*, excultus, anguſto admodum agro, ſed heris tamen, ob vicinitatem, perquam commodo. Heic quoque *Acidarum fons* eſt.

7.) *Szent-Péter*, adhuc eadem *Eſztergarienſium* valle, ſedet. Ius vici, inter *Balaſſios*, & *Zichyos*, diſpertitum eſt. Si laxitati, agri benignitas reſponderet, in præcipuis eius ditionis vicis, cenſeri poſſet. Vinum, quod hic gignitur, acidulum eſt, & incolarum deliciis aptum.

8.)

8.) *Zsiblewnjk*, Hungaris *Selenik*, priori adfinis, idemque iucundo nemore, & dumis ſeptus. Agri frumentarii, rufam habent glebam, multo lætamine, niſi fraudari velit colonus, ſubigendam. Vineta, nuper plantari cœpta, ob ſitus malignitatem, vix, pretium operæ ſunt redditura. Eſt *Madátſiorum*, partita cum aliis, poſſeſſio.

9.) *Nagy-Zéllő*, Slauis, *Weliké-Zlievvce*, copioſus vicus, & non monte tantum interiecto, ſed agri etiam fertilitate, qui amplus ei obtigit, a vicinis, multum diſcretus. Habet colonos, agricolationis, iuxta & vinetorum, ſtudioſiſſimos, & iuribus *Archiepiſcopatus Strigonienſis*, obnoxios.

10.) *Kis-Zéllő*, Slauis, *Malé Zlievvce*, priori, & ſitu vicinus, & agri bonitate ſuppar. Loci amœnitas, plurimos nobilium, habitatum iſthuc allicuit: quorum prætoria, e longinquo, vrbiculæ quaſi cuiusdam proſpectum habent. In his ſunt familiæ, *Bene de Nándor*, & *Radváný*. Sed agreſtium, eo exilior numerus eſt, quo ager, quem colerent, anguſtior eis obtigit. Colles vitiferi, & adſpectu iucundi ſunt, & fructu. Qui vinum huias, oræ iſtius maxime generoſum putant, nimium forte vico blandiuntur. Collis, verſus *Buſſam* ſurrectus, caſtri alicuius oſtendit veſtigium, quod vulgus, *Hegy-Vár*, adpellat: credo, *Huſſitice* graſſationis, veſtigium eſſe.

11.) *Buſſa*, bellis Turcicis, quam hodie, notior. Nimirum, turrim hic excitauerant accolæ, foſſa, & vallis incinctam, obſeruando hoſti, ac ſi neceſſe fuit, propulſando etiam, deſtinatam. De eius clade ISTVÁNFFYVS: (*l.*) *Eunuchus*, inquit, *Arslanem, cum trecentis equitibus, totidemque peditibus, ad Buſſam miſit, quæ erat modica, e cocto latere, turris, & a* MICHAELE TERCHIO, STEPHANO SVHAIO, ANDREA NAGYO, *ac paucis aliquot*, SIGISMVNDI BALASSII, *militibus cuſtodiebatur. Qui, cum conſtanti admodum firmoque animo eam defenderent, nec Arslanes quidquam oppugnando, ac terrorem admouendo proficeret, ſequenti die, e caſtris, duo millia peditum acciri, & duo tormenta aduehi iubet, quibus locum concuteret, caperetque. Sed, nec ea hoſtium acceſſione, ac continuis ictibus, quibus turris diruebatur, quidquam* Terchius, *& ſocii, perterriti, in defendenda ea, eo fortius & conſtantius, perſiſtebant. Diruta turre, noſtri ſe in vallum recipiunt. Et virtutem eorum Arslanes, admiratus, qui tanta vi, exiguum munimentum, aduerſus tantas copias tuerentur, pacta, cum* Terchio, *& Balaſſianis, incolumitate, iisque abire in tutum permiſſis, turrim & vallum, ſolo æquauit.* Iſte loci occaſus, oppido, memorabilis fuit, deditque documentum ad poſteros, quanta animi, & virium contentione, priſci illi *Hungari*, ſtationes, ad defenſandum ſibi traditas, propugnarint. Iam, nc veſtigium eius munitionis notari poteſt: quippe, cuius fundamenta, ab imo reuulſa, & ſubſtruendis ædibus *Miſzlenitzkyanis*, adhibita ſunt. Ceteroquin, vici ager pinguis eſt; ſed vite, ſi modicum collem excipias, catens. Ditio *Kohárii*, atque *Balaſſiorum*.

12.)

l.) Libro XVIII. p. 335. 24.

12.) *Csalár*, vel antiqua ſcribendi ratione, *Csalárd*, Ipolæ adſitus, vicus ſane paruus, & anguſtiore, quam pro loci opportunitate, agro. Hinc vicina deſerta, *prædia* noſtri vocant, ære, ruſticanis vſibus, redimunt incolæ. Sed vineta, vinum gignunt, notæ haud poſtremæ, & quod conuictibus, etiam oppiparis, queat adhiberi. Sedem hic habuit, vir priſci moris, *Michael Darvas* de *Nagy-Rét*, ædibus, in eleuatiori colle, prope templum, opportune ſubſtructis. Aes campanum, quod e lignea turricula ſuſpenditur, ſonorum, atque ita ſuaue eſt, vt e longinquo, humanum, cumque gemebundum cantum, æmuletur. opus antiquum, & ad *Huſſitas* referendum; cui viſendo, turriculam aliquando ſubiimus. Prodiit e vico hoc, celebris olim familia, *Horváth de Voxith*, ſed cuius & nomen, & ſedem, vetuſtas exedit.

13.) *Galábocs*, proximam inde vallem, occupauit, non tam mole, exilis enim eſt, quam agri, & vinearum præſtantia, memorandus. Paret inter ceteros, *Rádaiis*. Modico hinc interuallo abeſt.

14.) *Zobor*, nupera colonia, a *Paullo Prónaio*, huc deducta. Incingitur ſiluis glandiferis, & agro frumentario, haud incommodo.

15.) *Kis-Patak*, prædium, vinetis inſigne. Eſt poſſeſſio *Csemitskyorum*.

16.) *Óvár*, priori limitaneus. *Olvár* priſcæ litteræ ſcribunt, quod arcem, aut ſtabulorum ſtatiua, notat. quæ quidem nomenclatura, locum coniecturæ facit, annon ſtabulationes huic aliquando fuerint, ſiue porcorum, ob circumiecta querceta; ſiue canum venaticorum; quod tota hæc regio, ad has oblectationes facta videatur. Locus nimirum eſt, iucunda valle reſidens, quam hinc colles, vite conſiti, illinc fertiles agri, amœnam faciunt. Subeſt *Kohário*,

17.) *Kis-Sztraczin*;

18.) *Nagy-Sztraczin*, paris ſitus & opportunitatis. Vtrique enim, collini poſitus agri, obtigerunt, qui ideo, & aratra admittunt maturius, ſementemque, & meſſes præbent, pro regionis indole, multo, quam alibi, præcociores. Sed nec vitis colonum fraudat, niſi contrairerit anni tempeſtas.

19.) *Ebeczk*, Hontenſibus collimitaneus, *Cereris*, iuxta & *Bacchi*, muneribus excultus. Inter cuius decora merito retuleris, quod natales dederit inclutæ *Ebeczkyorum* familiæ. *Fons Acidus*, iſthic ſcatens, eo memorandus eſt, quod cum verno æſtiuoque ſemeſtri, & acidus ſit, & plane ſulphuroſus; ab ea natura, hieme deſciſcat, penitus, atque fontanæ aquæ ſuppar euadat; hoc eſt, inſipidus prorſus, & ſui diſſimillimus. Heros habet plures.

20.) *Ujfalu*;

21.) *Szklabonya*, confinia loca, riuo interlabente, ita diſcreta, vt ille vicinior ei adſederit, iſte remotior. Vterque modicus, lautior tamen poſterior: quippe, agro præditus laxiore vberioreque. Vinetorum nouelleta, quæ vterque vicus habet, adhuc ſpei ſunt dubiæ. Paret

ret *Kohárius*, & *Balaſſius*, quorum aliqui, *Balaſſa de Szklabonya*, olim dicebantur.

22.) *Zsély*, vaſtus omnino vicus, multarumque opportunitatum, quas agricolatio requirit. Nempe, agros frumentarios, oppido fœcundos, paſcua late porrecta, ſiluas, glande & lignatione inſignes, vitem denique habet, egregie ſpondentem. Conſedit, ad occidentale latus amnis *Kürtös*, Hontenſibus limitaneus. Accenſetur ditioni *Koháryanæ*.

23.) *Pető*, vicus a nobilibus, quorum iuris eſt, inſeſſus, & *Ipolæ* ab occidente, adpoſitus. Modicus is quidem, ſed habitatu, ob agri præſtantiam, haud incommodus. Pons, quo hic amnis inſtratus eſt, ſumtu prouinciæ redintegrari conſueuit. Sciungitur *Szétsénio*, bis mille, *plus minus*, paſſibus. Celebratur natalibus familiæ *Pető*, quæ haud *pridem* eſſe deſiit. Eodem *Ipolæ* margine, ſed in meridiem profundius;

24.) *Kovátſi* adſedit, vulgo *Szétsény-Kovátſi*, ob eius oppidi vicinitatem, dictus. Agro eſt pingui, & agricolationi perquam idoneo. Quia *Ipola* hic lentus profundusque eſt, piſces, puta *Lucios*, *Siluros*, aliosque, liberalius alit. Hinc, frequens herorum, *Tuſſay* atque *Rádváný*, qui vicum allodiis ſuis excolunt, in piſcatione, oblectatio eſt. Proxime abeſt,

25.) *Varbó*, eidem amni hæreſcens, frequentibus incolis, & cum agri bonitate, tum vinetorum præſtantia, inſignis. Tametſi enim, non ita pridem, per colles, meridiano ſoli obuerſos, poſuerunt vitem; tamen, in eum modum profecit, vt vinum iam fundat probum, & ſalubre. Cellas vinarias, non vti alibi, ad vinetorum pedem, ſed in vertice collium excauant, in humo lapideſcenti ſimili. Traiecto amne, vltra oppidum *Gyarmath*,

26. *Szügy* viſitur, locus omnino amœnus: quippe, ſiluoſis nemoribus concluſus. Ager, ingenium *Gyarmathenſis*, ſequitur, eſtque ſiliginis, quam tritici, *feracior*. Nuper, vicinos montes, vite cœperunt conſerere incolæ, quæ propagata latius, fructum ſpondet eximium. Sub horum radicibus, ſtagnans ille amnis, *Fekete-Viz*, manat; piſcoſus oppido, ſi eſſent, qui eo beneficio frui ſcirent. Poſſeſſio pluribus communis eſt.

27.) *Csésztve*, altius, in meridiem, ſepoſitus. *Slauorum* eſt colonia, rerum egregie ſatagentium. Præterquam enim, quod exciſis ſiluis, quibus loci ager, bellis ſuperioribus, inhorruerat, agros frumentarios, egregia opera, eruderant; certe, iam & vitem pangunt, communi regionis diligentia. Ius vici, inter *Capitulum Strigonienſe*, & *Nobiles* quosdam, partitum eſt.

28.) *Mohora*, copioſus olim, neque iam infrequens, haud ſane importuno ſitu; adpoſitus enim eſt paluſtri amni, *Fekete-Viz*, fluitarum in primis, diuiti. Ager, quo circumfunditur, pinguis eſt, ſiluæ adhæc perquam amœnæ. Præbet ſedem, vni e *Schreteriorum* gente.

Fuit antehac, gentis *Vidffy de Mohora*, iam exſtinctæ. cuius ad *Szirág* nobis fuit mentio. Superatis hinc, verſus meridianum ſolem, nemoribus,

29.) *Nándor* ſe offert, egregie poſitus, & frumentariis agris non minus, quam ſiluis præditus. Pertinet, partim ad *Jeszenskyos*, partim ad *Gerhardios*. Vicinus ei eſt a meridie,

30.) *Bodony*, intra ſaltuoſos colles, reiectus. Adhuc cædendis ſiluis vacant incolæ, quas paſſim, per collium latera, operoſe detrahunt, vt agros frumentarios illic ſubigant. Certe, ad eum modum, vaſtitatem agri mitigarunt iam, vt & vitem, haud ſine bona fruge, alat. Molam ſane, acto per longa ſpatia canali, deriuatisque perennibus aquis, ſumma induſtria, eo loco poſuerunt, quo id quidem fieri poſſe haud putaſſes. Spectat ad familiam *Vaj*.

31.) *Szente*, priori ſuppar, ſiue opportunitates, ſiue incolas ſpectes. Paret *Gerhardiis*.

32.) *Romhány*, vltima *Rákóczianorum* clade, anno MDCCX. nobilitatus. Adtritis enim, poſt *Trentſinenſe* prælium, Hungarorum viribus, id dedit operam *Rákóczius*, vt redintegrato quomodocunque exercitu, Cæſarianos adoriretur, & ſi poſſet, a *Montanarum Ciuitatum* poſſeſſione, depelleret. Et Cæſariani quidem, ad *Vadkert*, eiusdem oræ oppidum, caſtra poſuerant, aggeribus & vallis, communita. His ſe *Rákóczius*, ad *Romhány* obiecit. Sed eo non exſpectato, Cæſariani, tametſi numero eſſent impares, inſtructa acie, hoſtem, in patentibus campis, adgrediuntur. Acriter vtrinque pugnatum eſt, at maiore, ab *Hungaris* impetu. Quem, ſi pertinacius, & ſeruatis, vti neceſſe fuit, ordinibus, aliquantiſper congeminauiſſent, parum omnino abfuiſſent a victoria. Iam enim *Germanorum* cornu alterum, turbauerant, & in proximam paludem propulſatum depulerant ex acie; cum *Cæſariani*, alam *Hungarorum* alteram, conuulſis, perpetua glandium eiaculatione, ordinibus, perrumpunt, eaque re, & victoriam hoſtibus, & pugnandi facultatem, adimunt. *Rákócziani* enim pedites, qui cornu alterum, victores vrgebant, deſerti ab equitatu; iamenim in fugam effuſus, terga dederat; deſperata ſalute, alii paluſtribus lacunis merguntur, alii concluduntur a victoribus. Præcipua eo prælio, *Meltzeri*, ſummi vigilarum præfecti, opera fuit. Reliquerat eum *Zikingius*, exercitus dux, ad caſtra *Vadkertenſia* tutanda, dum ipſe, cum hoſte confligeret. Sed, cum primo ſtatim impetu, obtriti, quos diximus, *Cæſariani*, partim fugarentur, partim in paludem, quæ eis a ſiniſtro latere prætendebatur, impellerentur: ille, audito, rem infeliciter geri, eductis, qui intra caſtra fuerunt, L. equitibus, tympanorum pulſu, & tubarum clangore, quaſi ingens aduentaret exercitus, aera complet, atque nutanti acici, opportune ſuccurrit. Reſumtis ergo animis, *Germani*, hoſtem adoriuntur denuo, & loco motum, in fugam coniiciunt. Rebantur enim *Hungari*, validas ſuppetias, *Germanos* in aciem ſuſcepiſſe, quibus propulſandis, impares ſint futuri. Ad eum modum, disiecto *Rákóczia-*

Rákóczianorum exercitu, nihil poſtea, apertis campis, memoratu dignum, ab Hungaris geſtum eſt. Ceterum, vicus *Romhány*, fœcunda planitie conſedit, quam hinc, paluſtris amniculus *Lokuſch*, ſiluæ illinc glandiferæ, includunt.

33.) *Szátok*, eandem, quam *Romhány*, planitiem occupauit, pagus ſane frequens, & cum frumenti, tum vini prouentu, memorandus. Adſcribitur iuribus *Venerab. Capituli Strigonienſis*.

34.) *Tereske*, priori, eodem tractu, collimitaneus, incolarum copia, agri item bonitate, paucis ſecundus. Poſt longam & grauem, inter plures familias litem, *Frideczkiis* tandem, iure hæreditario, accenſus.

35.) *Détár*, ditionis itidem *Archiepiſcopalis*, cuius procurator, noſtri *prouiſorem* dicunt, iſthic ſedem habet. Locus, *Vadkerto*, agri, cum bonitate, tum laxitate etiam, conſimilis.

36.) *Patak*, eiusdem habitus, quem homines colunt induſtrii, vitium non minus, quam *ſementis ſtudioſi*. Adſidet riuo paludoſo, a quo & nomen accepit, riuum enim, *Patak* nominant Hungari. Vineas, depreſſioribus colliculis, poſuerunt, quibus vligo riui noxia eſſe creditur. Vterque hic vicus, *Détár*, & *Patak*, pignoris primum iure, mille florenorum pretio, in poteſtatem GEORGII III. Archiepiſcopi Strigonienſis, venit, quemadmodum id tabulæ SIGISMVNDI regis, anno Mccccxxxvi. exaratæ, condocent. quo quidem iure, iam tum anno MCCCCXXXI. idem GEORGIVS, ſtatui ſe in poſſeſſione vici vtriusque curauit, per *Capitulum Váczienſe*.

37.) *Borsós-Birinke*, in confiniis oppido *Nagy-Oroszy*, loco, inter nemora fœcundo, poſitus. Agris certe & paſcuis abundat, vinetorum inops. Eſt hæredium *Madáſiorum*, a MATTHIA Coruino, ob inſigne facinus, bello editum Bohemico, priſcæ huic genti, donatum: id quod in ipſo diplomate legimus.

38.) *Horpács*, viculus exilis, ſed agro fertili circumſeſſus. Vineas, *nuper conſitas, adhuc ſine fœnore coluerunt incolæ*. Depreſſo in meridiem ſitu,

39.) *Tolmács* eſt, tenuis omnino, & hinc palude, illinc nemoribus concluſus, venatui peropportunis: præter feras enim, varii generis, auibus etiam ſilueſtribus, quin & bubonibus, abundare dicuntur. Eſt *Biberiorum*.

40.) *Rétság*, priori, ab oriente, vicinus, agro tamen multo ſteriliore. Altius inde,

41.) *Bank* eſt, in profunda valle ſepoſitus, haud pridem a *Statis* coli cœptus, egregie profecit. Nam, qua collibus, ſiluas detraxere incolæ, agros partim, partim vineta curant, labore non minus, quam fructu eximio. Subeſt *Jeſzenskiis*. Lacum habent admirandæ naturæ, quem vulgus, *Tengeri-ſzem*, hoc eſt, *maris oculum*, vocitat, creditque, per ſubterraneos meatus, communionem cum mari habere. Certe, profunditatis eſt inexpertæ, rotundi adhæc ambitus, quingentarum

tarum plus minus, orgyiarum. Nullis vnquam imbribus, etiam diuturnioribus, tumescit; & cum perennem riuulum hauriat, haud tamen obseruatum est, vel latum vnguem aliquando increuisse: diminui sane, etiam feruentissimo cælo, visus est nunquam: sed nec sæuiente tempestate, fluctus facile ciere sueuit. Piscium propemodum impatientem aduerterunt accolæ; nam, qui ad marginem capiuntur, ignobiliores sunt, quam quorum mentio fit habenda. Ferunt, momento olim lacum hunc exstitisse, humo & saxis, ex imo fundo, magno impetu egestis. Id si est, ventos, subterraneis cauitatibus compressos, isthic, cum vehementia, erupisse, oportuit; aquis, in id concauum succedentibus.

42.) *Felsö-Petény*,

43.) *Alsó-Petény*, vicini confederunt, agrum ideo, & opportunitates nacti consimiles. Et ille quidem, iuris *Ofztroluczkyorum* est; hic *Jeszenskyorum*. Præter rem frumentariam, cultu etiam vineatico, excellunt incolæ. Habent sane, amœno & consentaneo situ, positas vineas: quippe, meridiano soli exporrectas. In *Alsó-Petény*, rudera visuntur *Verbóczyani* secessus, quem ille frequentabat, quoties a curis seuerioribus, laxandum putabat animum. Et est omnino locus, ad liberales secessus, a natura comparatus, si cultus accederet, etiam modicus. Altius, trans saltus & nemora,

44.) *Legénd* obiicitur, vicis adnumerandus opimioribus, ita & *Cerere* valet, & *Baccho*. Ager ei obtigit, totus fere collinus, & hinc, non minus vomeribus commodus, quam ligonibus. Præcipua laus vino huiati, ab accolis tribuitur.

45.) *Guta*, medio inter *Budam*, & *Losontzinum*, itinere positus. Nemora, vico ab oriente adsita, pascuis luxuriant, reliqua agris per decliuia collium latera suspensis, lætantur. Sed viti male hic conuenit; aduritur enim frequentibus pruinis, quod situi, aquilonibus nimium patulo, adscripserim. Acidæ hinc *Gutensibus* sunt vindemiæ.

46.) *Felsö-Sáp*,

47.) *Alsó-Sáp*, & nomine, & agro, vicinitateque suppares. Illum, *Baloghii* tenent, coluntque; hic *Episcopatui Váczensi*, prisco iure, obnoxius est. Loca, frumento potius, quam vino gignendo, opportuna.

48.) *Nésa*, limitaneus *Pestiensibus*, neque is grandis, agro gaudens amplo vbereque. Vinum, ob depressum collium, quibus prouenit, situm, a multis damnatur, quasi austerum sit; tametsi meridiano sole, matureseat. Subest *Koháriis*.

49.) *Agárd*, interpositis nemoribus, a priori discriminatus, sed haud iniquie collocatus. Frumento certe, & vino adfluit, si annus fauerit. Paret *Jeszenskiis*.

50.) *Nótencs*, retrusus, inter opaca nemora siluasque. Rus diligenter colunt habitatores, eo tamen infelices, quod vineatico suo cultu, minus proficiant, cogantque miseros colles, acetum lacrumari.

51.)

51.) *Jenö*, pagus, hac ora, frequentissimus, iuxta & felicissimus. Consedit in montium radicibus, quibus & nomen, vt *Jenöenses* dicantur, communicauit. Situ gaudet perquam commodo, agris pinguibus, vberibus vinetis, siluis præterea vastis, & ferarum diuitibus. Hinc, de incolarum, qui crassiores sunt *Hungari*, occupationibus colligere est. Nimirum, colunt, non minus agros frumentarios, quam vitiferos colles, industrie. Cum ab his operis cessationem habent, venatu tempus extrahunt. Profecto, quod a via regia longius semouetur vicus, multarum ignarus est molestiarum, quas vicini deuorare coguntur. Paret in primis *Jánokiis*.

52.) *Verözce*, ripam *Danubii*, vno, supra *Vaczoviam*, milliari, insedit, positu opportunissimo, tametsi frequentibus militum hospitiis, obnoxio. Abundant siluis cæduis, quarum prouentu egregie proficiunt incolæ; *Pestiensibus*, nauicularum ope, ligna identidem subuehentes. Quin, & vineta ampla habent fructuosaque, quorum vinum, *Kosdiense* æmulari posse putant, qui biberunt. Reliquus incolarum labor, agris colendis, & cum est tempestiuum, piscatione absoluitur: captura plerumque adeo felici, vt præter minorum piscium ingentem copiam, antacæos subinde intercipiant, eximiæ magnitudinis. Adscribitur ditioni *Episcopatus Váczensis*. Traiecto Danubio,

53.) *Kis-Oroszy*, insulanus vicus, idemque *Neogradiensium*, intra Danubium vnicus, occurrit. Consedit in occidentali insulæ, *Tót-Falusiensis*, angulo, loco omnino sterili, ac sabuloso. Diu de vico, cui adscribendus sit prouinciæ, *Pestienses*, cum *Neogradiensibus*, disceptauere; adsertus tamen est *Comitatui Neogradiensium*: quippe, ad cuius ditionem, inde a retrusa ætate, pertinuerit: id quod peculiari *Oroszienssium* priuilegio, testatum fecerunt *Neogradienses*. Iisdem enim *Kis-Oroszienses*, quibus oppidum *Oroszfalua*, iuribus olim fuisse gauisos, certum est. Quid, quod, teste Bonfinio (*m.*) *Váczia* quoque, *Neogradiensium* prouinciæ, ætate *Coruinorum*, adscripta fuerit? *Kis-Oroszino* reducibus,

54.) *Kosd* se ingerit, vitifero colle, *Vaczovia* diremtus. Habuimus eius mentionem, cum *vini Neogradiensis* laudes, supra exprome-remus. Nam, habet omnino, id encomii, ager *Kosdensis*, quod vinum gignat generosum, atque patiens ætatis. Reliqua vici opportunitas, præter insignia pomaria, agris frumentariis absoluitur, quos hic vberes obseruauimus. Mons *Naszály*, suo loco descriptus, & decori est, frequentissimo pago, & vinetis eximio commodo; quod obiectis dorsis, aquilones, teneram vitem facile adusturos, retundat. Submissiores hinc inde colles, dumis iuniperorum inuestitos vidimus; quorum baccis, turdi adlecti, magno hic numero, cum est tempestiuum, capiuntur. Alioquin, vici fata eadem, quæ *Vacziensium*, subinde

 fuisse,

m.) Decade I. Lib. I. p. 26, 2. initio. *Neogradiensium*, inquit, *vbertate soli latum, ciuitas*, Vacia *oculis*: si tamen fidendum sit historico, Geographiæ Hungaricæ, ac partionum regni, vltra modum imperito.

fuiſſe, certum eſt. Vix enim vnquam tentabatur ab hoſte *Váczia*, quin eandem calamitatem, *Kosdenſes* quoque, ferre deberent. Eſt ditionis *Epiſcopatus Vaczienſis*. Huic, in vicina valle, adſedit,

55.) *Ráád*, gentis *Vajana* viculus, & ipſe vini prouentu clarus, quod *Koſdenſi*, ſi non anteferri, certe comparari poteſt; illud potiſſimum, quod vineta gignunt herilia: quippe, vite conſita *Tokayenſi*. Etſi vero ager vico obtigit probus, & frumenti, ſi rite colatur, ferax; tamen ita ſegnes ſunt coloni, vt vix aratrum habeant, quo agrum queant proſcindere. quod, an nimio vinearum cultui, vel ruſticæ gentis pigritici, adſcribendum ſit, equidem ignoro. Illud fere metuendum eſt, vt vineis, paſſim a ruſtico cœptis coli, remiſſior poſtea rei frumentariæ, apud *Neogradienſes*, cura habeatur. Tantum eſt.

TABVLA ITINERARIA. COMITATVS NEOGRADIENSIS.

I. In *Comitatum Zolienſem.*

Losonczino, Vidafalvam, Podrecſan, Lónobánya, Vámosfalva, ſeu Mjto; inde per vallem difficillimi itineris, *Fórészvölgy*, ſiue *Pilnanská Dolina*, dictam, ad primum Zolienſium vicum, *Detva*. - - - - - - - - mil. 4.

II. In *Diſtrictum Kis-Hont.*

Losonczino, per Pincz, Darócz, in limitaneum Hontenſium vicum, *Osgyán*. - - - - - - - - - - - m. 2.

III. In *Comitatum Heveſienſem.*

Losonczino; per Ráp, vbi ponte ſuperatur *Ipola* amnis, Tarnóczum, Keszy, Salgonem, Homok-Terenye, in oppidum Heveſienſium - - - - - - - *Páſztó*. m. 4.

IV. In *Comitatum Peſtienſem.*

Losonczino, ad Tórincz, inde, per vallem *Ráró*, ponc *Ipolam*, cœnoſo extra modum itinere, ſi tempeſtas ſit pluuia, *Múlyadum*, atque hinc, traiecta lintribus *Ipola*, per Szakal, Szétsény oppidum, Surány, Betske, Kövesd, Guta, - - - - - - - - - *Acſa*. m. 8.

V. In *Comitatum Nagy-Hont.*

Losonczino, per eandem vallem *Ráró*, Múlyad, Buſſa, Cſalár, Ipoly-Kovácſy, atque *Ipola* ponte traiecta, Hugyag, Traſs, Balaſſa-Gyarmath oppidum, *Ipola* iterum ponte ſuparata, ad *Nagy-Hontenſes*, quorſum velis.

FINIS COMITATVS NEOGRADIENSIS.

COMI-



COMITATVS BARSCHIENSIS.

PARS PRIOR GENERALIS.

PROOEMIVM.

PRouincia *Neogradienſium* feliciter ſuperata, *Hontenſis* occurrit; *maior* illa, ſiniſtro; dextro latere, *minor*: vtraque, inſigni terrarum ſpatio, bipartito protenſa. Atque hanc quidem, ob ſituum adfinitatem, deſignare, animo ſederat; niſi deſtinationem eam, notitiarum, quas toties fruſtra implorabamus, inopia adhuc ſufflaminauiſſet. Pergendum tamen porro eſt; ne, ſeu tempus, diuturniore exſpectatione, prodigamus; ſeu, Avgvsti Caesaris, cuius hæc auſpiciis edimus, patientia abutamur. Id vero ita ſumus facturi, vt *Comitatum*

Barſchienſem, perpetuo collimitio, *Hontenſi* maiori hæreſcentem, nunc expromamus: dum & ille, matureſcentibus commentariis, quæ ſub manu ſunt, hoc ipſo volumine, tametſi loco alieno, pro eo, ac decet, luce publica, donari queat. Iſta certe ſituum luxatione, nihil, in vniuerſo hoc lucubrationis genere; aut nobis accidere poteſt ægrius; aut toti operi incommodius: vt proinde, habeat æquus lector, cur, & fata nobiscum accuſet, & noſtræ ſortem hanc ſcriptionis, perdoleat. Iam pedem auſpicato proferamus.

MEMBRVM PRIVS PHYSICVM.

DE

Natura & Opportunitatibus Comitatus Barſchienſis.

SYNOPSIS.

Nomen prouinciæ, ab vrbe Barſch *enatum: eius fines & amplitudo: ſitus ratio.* §. I.

Montium, *qui regionem inſident, genera duo:* Cremniczienſes, *ſilnoſi ſunt alii, alii glabri, ac fere auriferi:* Ujbanyenſes, *lignationis perpetuæ.* §. II.

Montes prouinciæ reliqui: Klyág: Hruſchow: *Mons* Ghymeſienſis: *ceteri: horum varietas, & ad fœcundandam regionem vis: nemora, planitiem inſidentia: dumeta ad* Granum. §. III.

Fluuii, *regionem intercurrentes:* Granus: *qua teneat curſum: elationibus, campeſtri regione, damnoſus: de aquis eius querela:* Nitra, *oram* Comitatus *perſtringit:* Sitva, *domeſticus amnis: nominis eius, curſusque ratio.* §. IV.

Fluuii riuique, tenuiores: Cremniczienſis, *ex metallis limoſus: aurum vehere creditur* Tollio: S. Crucis: Szklenenſis: Vihnenſis: Zernouiccnſis: S. Benedicti *riuus.* §. V.

Fontes *ſalubres, & noxii: thermæ* Szklenenſes, *&* Tollii, *de iis relatio:* Nitraſzegienſes. §. VI.

Regionis vbertas: tractu montano: campeſtri: vini prouentus: frumenti: eſt regio noſtra, montanarum horreum: probiſſimum frumentum, vbi prouenit. §. VII.

Metalla *prouinciæ, quæ, & vbi eruantur: aurum* Cremniczienſe: *&* Ujbanyenſe: *diues olim eius prouentus: pauperies hodierna.* §. VIII.

Aeris *ingenium: tractu metallico, vitia: ſalubritas alibi eximia: aduerſus accuſatores, defenſio.* §. IX.

Res pecuaria, *in montibus vilior: felicius oues proficiunt: pecorum ſagina.* §. X.

§. I.

BARSCHIENSEM (*a.*) Comitatum, olim, a ciuitate *Barſch*, ita adpellauere, noſtri illi homines, qui regionem, in *Comitatus*, primi diſpertiuerunt. *Ciuitatem* dicimus, quæ hodie, vix nomen vici tenuioris mereatur. Et fuit omnino *ciuitas*, lauta aliquando, probeque, & natura, & arte, munita. Ita eam, præter diplomata, quorum multa nos ipſi legimus, *decretum* (*b.*) Caroli I. adpellat. Iam *Ó-Barſch* dicitur, quod *vetus Barſchum* ſignificat; regio autem ei adſcripta, *Barſch-Vármegye*; Slauis *Tekouská Stolicza*: quippe qui, *Barſchum*, ſua dialecto, *Tekou* vocant. Clauditur, ab oriente, *Zolienſi*, & *Hontenſi*, ab occidente *Nitrienſi*; a meridie denique, *Strigonienſi*, & *Comaromienſi*, Comitatibus. Itaque, ab aquilone, in meridiem proiicitur. Nam, vbi ex *Cremniczienſium* finibus procurrere cœpit, laxiore hic, arctiore alibi, tramite, in *Danubium* tandem deſinit: ſeptem circiter milliaria longus, duo latus triaue. Verſus boream, montibus inhorreſcit, qui poſtea, eo magis miteſcunt, quo ſe profundius, ſoli meridiano, regio inſinuat, dum aperta lætaque planitie, quæ ad *Leuam* init, a tergo relicta, montibus, denuo immergatur. Neque tamen, inter hos, de quibus diximus, terminos, *ita* decurrit regio, quin, modo in orientale, modo in occidentale latus, procliuius ſinuetur. quod, vtrum caſu factum ſit, an metatorum incuria, non habemus adfirmare. Nunc, ſingulas eius opportunitates, videamus.

Nomen prouinciæ, ab vrbe Barſch *enatum:*

eius fines & amplitudo:

ſitus ratio.

§. II.

DIximus, montoſam, qua in aquilonem adſurgit, regionem eſſe. Itaque, fas eſt, montium aliquos nominauiſſe: nam, vt omnes

Montium, qui regio-

a.) Ita ſcribimus conſulto, vt antiquo recentique moti ſatisfaciamus. Antiqui *Barch* ſcribebant, recentes *Bars*: nos vtrumque connectimus, *Barſch*; vt & ab exteris, rite queat pronunciari vocabulum.

b.) Anni MCCCXLII. Corporis Iuris Hung. p. 49. Ciuitas, *inquit*, Barſienſis. Veruſtior multo, vrbis ea eſt mentio, quam eiusdem Caroli diploma habet, ad annum MCCCXX. caſtrum *Cumáromienſe*, cum Thoma, Archiepiſcopo Strigonienſi, pro ciuitate Bars, in Comitatu Barſienſi, & *Rátb*, in Hontenſi, permutantis. Supereſt diploma, in Archiuo Strigon. Archiepiſcopi, Capſa T. numero I.

non infidem, genera duo:

omnes percenſeamus, in tanto eorum, & numero, & varietate, vix fieri poteſt. Sunt autem, *vulgares* alii, alii *auriferi*. In his, iure optimo, retulerimus:

Cremniczienſes: *ſiluoſi ſunt alii:*

I.) *Cremniczienſes montes.* Duum hi ſunt generum, *glabri* videlicet, & *ſiluoſi*. Atque iſti quidem, altis iugis ſuperbiunt, denſa pino, & procera abiete, veſtiti, ſuntque, *Zolienſis*, & *Barſchienſis* Comitatus, exſtantiſſimi, hac ora, diſterminatores. Ergo, lignationi, ac rei carbonariæ, egregie commodant: quippe, venarum metallicarum, inopes. Arduum hac iter, *Neoſolium* tranſit, quadrigarum tamen, quomodocunque patiens. Id, vbi ad orientale ſuburbium iniit, lentis primum incrementis, in latus montis prorepit, obtorto dein, intra ſiluas, tramite, magis magisque, ſurrigitur. Hic vero demum, frequentibus præcipitiis, per montis articulos, adſurgit porro; dum ad *tres fonticulos*, perenni aqua manantes, eluctetur. Alueum ibi poſitum vidimus, adaquandis viatorum iumentis, factum. Et ſolent omnino, laſſatas vires, *qui hac iter faciunt*, ſtatione iſta, recreare. Inde, mitius iam mons adtollitur, vsque ad (*c.*) *Virginis*, quem vocant, *lapidem*, qui haud procul a cacumine poſitus, iniuriæ, eo loco, virgini illatæ, peregrinatores commonet. Hoc illud iter eſt, quod Tollivs fecit. (*d.*) *Odiduo*, inquit, Cremnitzii *conſumto*, Neoſolium *perrexi. In itinere iſto, aſperum altumque montem ſuperanti, nihil, præter plantas aliquot rariores, occurrit, cuius mihi intuitus, ſuſcepti laboris moleſtiam leuaret.* Ita eſt, nihil, toto itinere, quod delectet viatorem, in oculos incurrit, præter ſiluarum vaſtitatem, & depreſſas, hinc atque illinc, valles opacas & ſonoras, quæ vocem, etiam modicam, vrgendis forte iumentis emiſſam, multis modis reddunt validiorem. Quidquid eius ſit, nihil montibus iſtis, ad ſuſtentandas *Cremniczienſium* metallicas operas, (*e.*) eſſe potuit, ſeu, ſitu proximius, ſeu, vario opportunitatum genere, exoptatius. Præterquam enim, quod ligni cædui, inexhauſtam, carbonariis officinis, copiam ſufficiunt; riuulos profecto *deliciunt*, impellendis machinis, quas in tanto metallorum ſtudio, & multas, & varias eſſe oportet, cum primis idoneos. *Siluoſi* montes hucusque fuere. Quos *glabros* diximus.

alii glabri, ac fere auriferi:

radices eorum dicendi ſunt, varie protuberantes, atque hæ, illis decliuiores. Et hi fere ſunt, qui venas auri habent, ditiſſimas olim, hodie autem, ſi non exinanitas prorſus, tamen, vix tenuiſſimis, priſtinorum temporum, reditibus, camparandas. Obiacent vrbi, a ſeptentrione partim, partim ab occidente.

Ujbanyenſes, *ligna-*

II. *Ujbanyenſes*, his, quos vidimus, ſuppares ſunt exiſtimandi. Gemino autem iugo prorogantur: quorum alterum, vbi ad *Grani* ripam,

c.) Vulgo, *Jungfrauen-Stein.*
d.) Epiſtola Itineraria V. p. 183.
e.) Sæpe vota *Schemniczienſium* audiuimus opportunitate Cremnicienſes in agro ſuo poſſe habere, optantium. Cum enim, & ſiluarum, & riuulorum inopes exiſtant, rebus carere putandi ſunt, eruendis in lucem, liquandisque metallis, vnice neceſſariis; quæ, ſi præſto eſſent, neſcio, an vsquam, in orbe terrarum, maiores, ex metallis, reditus, poſſent prouocari, qua de re, ſuo demum loco.

ripam inſurrexit, orientali vrbis latere, vaſto procurſu, in *ſeptentrionem* porrigitur; alterum, iisdem initiis progreſſum, ab occidente, vrbi prætenditur. Opacis, vterque montium ordo, ſaltibus denſatur, ideoque, ſi vſus ferret, lignationis forent perpetuæ. quod annis ſuperioribus, longiore documento, cognitum eſt: cum inſtaurato, vetere puteo metallico, aquarum ſubterranearum, infeſti operis lacus, æterno igne (*f.*) per inſolitas ſyphonum ſubſtructiones, in cuniculos primum, in apricum denique, educerentur. Nimirum, annis pluribus, dies noctesque, perpetui, atque validiſſimi ignes, haud ſecus, quam

tionis perpetuæ.

Sulphureis ardet fornacibus Aetna,

aheno, cuius feruore machinam librari oportuit, concalefaciendo, ſine ceſſatione, ſubdebantur; vix tamen, lignorum iactura quædam, aduerſa eſt. Illud dolemus merito, ante molitionem illam intercidiſſe, ſuamque ſiluis quietem eſſe redditam; quam, fructus inde aliquis, in hos, qui ſumtus fecerant, *redundarit*. *Iſti* vero *illi* ſunt montes, qui ſeculis ſuperioribus, tantum dedere auri, quantum hodie, votis, etiam auariſſimis, concipere vix queas.

§. III.

Montes prouinciæ reliqui:

QVod reliquum, tota regione, montium eſt, metallis illud quidem, non commoditatibus aliis, caret. quos ideo, *vulgares* diximus. Princeps in his eſt:

Klyag: I.) Klyag, mons omnino editiſſimus, atque, per *Oſzlanenſem* oram, longo tractu, ad *Nitrienſes* vsque, procurrens. Paſſim, ad eam adſurgit altitudinem, quæ proſpectu eſt, quaquauorſum, maxime in meridiem, longe patentiſſimo. Enim vero, *Ujvarinum*, atque *Comaromium*, ſi cælum ſudum ſit, tamquam e ſpecula hinc deſpicias; tametſi, ad octo, pluraue milliaria, inde diſiungantur. Quo vero iucundior, e longinquo, *montis* obtutus eſt, eo difficiliora ſunt itinera, quæ vltro citroque, transmittit: nempe, *hic ſaxis*, cæco *alibi* cœno impedita ſunt omnia. Fuit olim, frequens latronum perfugium, in primis, cum Turcæ graſſarentur. Tunc enim, modo gentis maleficentiſſimæ, modo inſidiis noſtrorum, ſubſidebatur. Poſt hunc,

Hruſchow: II. Hryschowiensis montes nominari merentur; non tam, quod illos mole exæquent; quam, quod ſuperent opportunitatibus. Tametſi enim, humiliores ii ſunt; tamen valent paſcuis, & montano illo pratorum genere, quod, *Lazy*, vulgus dicit. *Caluitia* ita vocant, probatiſſimo gramine veſtita, quod immiſſam pecudem, benigne, non nutrit modo; ſed ſaginat etiam. Vni, ex huius verticibus, arx inſedit, *Hruſchow* dicta; quod nomen, num a montibus acceperit, an iisdem communicauerit, ambiguum eſt ſtatuere.

mons Ghymeſienſis: III.) Ghymesiensis, peculiari iugo adtollitur, & quia *Nitrienſibus* limitaneus eſt, iſthuc radices propagat: haud quidem *Hruſchouienſibus* com-

f.) Germanis *Feuer-Maſchine.* quam infra memorabimus; & ad *Schemnicium*, præcipua-

comparandas; attamen, neque ita humiles, quin tota circum regione, ſeſe oſtentent. Cælo liquido, montem, arcemque, ex *Poſonienſibus* vinetis, cum iucunditate, ſpectare poſſis, ad quatuordecim milliaria, in ortum ſolis, recedentem.

ceteri: IV. *Montes reſiduos*, fere, aut ex vicorum, quibus imminent, vicinitate; aut poſitus ratione, accolæ denominauerunt. Saltuoſi ſunt omnes, & non lignationis modo, ſed etiam pabuli, diuites. Itaque, paſſim ſtabulari pecus, oues potiſſimum, accepimus. Neque tamen, campeſtres poſitus, & illic deſideres, vbi confertiſſima montibus eſt regio. Plerisque locis, in planitiem ſubſident, amœnam, fertilemque, neque non late procurrentem; dum, noua iterum montium iuga, ineant. Dici nequit, quantum, montium hæc, diſtincta campis varietas, non iucunditatis modo habeat; ſed momenti etiam, ad agrum, fœcunditate grauidandum. Perennes, ſcilicet riui, hinc, atque illinc, demiſſi, varie regionem pererrant, humectantque terrenum. Magna, & nebularum vis eſt, quas *nimboſa montium* dorſa, cogunt, quæque poſtea, depreſſos campos, & tunc irrorant, cum alibi, ſiticuloſo cælo, marceſcunt gramina ac ſegetes.

montium varietas, & ad fœcundandam regionem, vis:

nemora planitiem inſidentia:

V. Sed, nec *planitiei*, ſua deſunt nemora, dumique, ea potiſſimum parte regionis, quæ e montibus quaſi eluctata, collibus, opportune interſertis, protuberat. Vix hac ora, repereris vicum, cui non ſiluulæ quidpiam admenſum ſit. Itaque, & illic nemoroſa eſt regio, vbi montes deſinunt: at, vbi in campos laxatur, lignationis ſit *inops*.

dumeta ad Granum.

VI. Haud ſilenda hic ſunt, *dumeta*, ad *Granum* amnem, duo, pluraue milliaria, protenſa, Hungaris, *Garam-Berkek*, dicta. quoties belli tempeſtas imminuit, ſingulare incolarum perfugium. Impeditos enim habent aditus: quippe, imperuiis paludibus, inſeſſos. quarum ignari, ſi tentare eas velint, difficultatibus ſe immergunt, ancipitis periculi. Magna hic, ſuperioribus *Turticis*, iuxta & ciuilibus bellis, hominum, pecorisque, ſeruata multitudo eſt. Pro iſto, quem deſcripſimus, regionis *habitu*, *venatus* & aucupium, parciora eſſe coeperant, quam poſſis reri, ſiue id, venationis licentiæ illi, adſcribendum, quam prohibuere (*g.*) regni decreta; ſiue cauſſis aliis. Iam, quod & aues, & feræ, fœtificant ſecurius, vtrumque genus, pulchre augeſcit.

§. IV.

Fluuii regionem intercurrentes:

AMœnam, ex ſe regionem, fluuii intercurrunt. quos iam meminiſſe iuuat. Præcipuus in his:

Granus:

I.) GRANVS eſt, qui apud GÖMÖRIENSES ortus, poſteaquam *Comitatum Zolienſem*, interluit, infra *Butſchenſes* pylas, in hunc noſtrum, illabitur. In ipſo eius aditu, *Crenniczienſi* riuo augetur, an fœdatur. Hucusque enim, limpidas vehebat aquas; quæ hic, ex metallici incurſu torrentis, liuidi, & limoſi, vitii quidpiam contrahunt. Mox, vbi

g.) Decreto Anni MDCCXXIX. Art. XXII. Vide, hoc ipſo Tomo, p. 10, §. VI. c.

qua tenent tuerſum:

vbi oppidum *S. Crucis*, meridionali latere, ſubluit, noua iterum, riui huiatis, acceſſione ditatus, grandior iam manat. Ponte hic inſtratus eſt, tota regione validiſſimo. Tunc, ad duo fere milliaria, per apertam, vberemque planitiem, frequentes vicos præterlapſus, acceptisque iterum; hinc, *Sklenenſi*, & *Eiſenbachenſi*, ſeu *Wihnenſi*; illinc, *Lotſentſi*, atque *Zdánenſi*, riuis, arcuato, ad arcem *Rewiſchtye*, alueo, inter prata agrosque medius, atque ponte iterum iunctus, amœna valle, *Zernowiczium* defertur, amniculo cognomine, & illhic locupletandus. Ponte, hic quoque, transmittitur, infra oppidum, qua eſt ripis, arcte coeuntibus, validis ſublicis, iniecto. Digreſſus inde, valli ſe inſinuat, præaltis vtrinque montibus, concluſæ, &, nunc huic lateri adliſus, nunc reliſus iterum, vehemens ſtreperusque, decurrit, gemino admodum loco, neque id, niſi cælum diutius ſiticuloſum fuerit, vadoſus. Eadem iſta amnis regione, canalem, magno labore, ſumtuque, nupero *Rákócziano* tumultu, ad montis pedem, medio fere milliari, duxerant, rei *metallicæ* præfecti, vt aquam, ad *Ujbanyenſes* officinas, deriuarent de fluuio, vbi

Fabriles operæ, tudibus (h.) contundere maſſas,
Feſtinant.

Sed, irritus conatus fuit, quod aquæ, per cataracten immiſſæ, præcipitium defuit, ad lapſum neceſſarium. Iam, rudus tantum, eius molitionis, ſupereſt. *Ujbanyenſem* agrum, eadem valle, præterluectus, *Cœnobium S. Benedicti*, ſubterlabitur, hauſtoque illic riuo, tandem, in planam apertamque regionem, exſpatiatur. Tunc vero demum, & diffundi latius, &, quia decliuibus ripis continetur, ad imbres etiam parciores, longe lateque, exundare incipit: magno, profecto, regionis, qua eſt humilior, detrimento, eodemque, in annos ſingulos, recurrente ſæpius. Neque tamen ſunt, qui; aut, obiectis aggeribus, amnem coercere; aut, repurgato, ab ingeſtis, arenarum puluinis, alueo, expeditiorem *velint* reddere. quod vtrumque, minore poſſet impenſa fieri, quam ſunt damna, quæ ex detrimentoſis eluuionibus fluuii, in adſitam regionem, ſueuerunt redundare; ſi id ſibi darent negotii, ad quos, hæ illiusmodi curæ, adtinent. Tranſitur, & hac ora, partim vadis, partim pontibus. Præcipuum eſt, quod *Maczy-Brod* vocant, ſed id quoque tunc admodum peruium, cum pro tempeſtatis ratione, exiles ſunt aquæ: nam, alias lintribus, vaſta arbore cauatis, transuehi oportet. Ad *Barſchum*, pons occurrit, vaſti quidem ſolidique operis; ſed quod occidentalis ripa decliuior eſt, ſi modice intumeſcat amnis, aditus inacceſſi, atque etiam exitiabilis, ob cæcas foſſas, quas accolæ, pratis defenſandis, egeſſere. *Barſcho*, a tergo relicto, lenius iam labitur; verum, quia *Meandris* ludit, ingen-

eluuionibus, campeſtri regione, damnoſus:

h.) Molas, ſeu officinas, *tuſtriat*, ignoto latinis vocabulo, vulgo dicunt; Germani *Puchwerck*. Melius, ex iſto VIRGILII loco, qui eſt in ÆTNA, verſu 561. *Tudes* dixerimus *metallicos*.

de aquis eius querela:

tes, in ripis, in quas semel incubuit, sinus eluit. quo fit, vt a fontium natura, desciscat penitus. Nam, cum illinc aquas accepit limpidas, salubresque; hac regione, etiam leuiore pluuia, limosus fit, & ad potandum molestus. Damus ideo, querelæ Tobiae Coberi, (*i.*) medici castrensis, locum: Granvs, inquit, *paullo infra Strigonium, ab Istro exceptus, ex limo, satis cænoso, parum salubre spirat, nedum, vt aquationi commodiori inseruiat.* Atqui, diutius ad *Granauam*, (*k.*) cum aduersum *Quados* militaret, Marcvs Antoninvs Imperator, sine exercitus noxa, subsistit; quin, coloniam fere, communitis, prope amnem, castris, posuit. Itaque, tunc noxæ trahunt quidpiam, amnis nostri aquæ, cum sunt, ex abraso limo, fœdæ. Alias, & bibuntur commode, & sunt vitii expertes. Exit autem *Granus*, in *Strigoniensem* regionem, supra vicum *Keménd*, ponte commodo, insignem. Annis superioribus, auro eluendo, operas adhibere cœperunt, *Schemnitzienses*, fructuosis omnino initiis, quæ an responderint postea erogationi, dicere nequeo. *Piscium*, vario genere abundat: maxime, qua ad ostia *Danubii* est propior: illinc enim, seminium, non raro accipit. Nimirum, intumescente, eluuionibus, amne, fit, vt errore ablati pisces *Danubiales*, in nostrum hunc, illabantur, genusque postea, opportunis gurgitibus, propagent. Iam,

Nitra, oram Comitatus perstringit:

II.) Nitra quoque, in amnibus *Barschiensium* ponenda est. Capita eius, apud *Nitrienses* dabimus, quæ non est opus hic recognoscere. Cursu isthic breuiore labitur, quam putaris; vix enim, ad milliare, oram *Comitatus* perstrinxit, cum alueo, ad solum patrium, denuo reclinato, regioni se nostræ, subducit.

Situa, domesticus amnis:

III.) Sitva, & vulgari nomine, *Zitawa*, domesticus amnis est. Pluribus ortus fontibus, varie corriuatur. Vbi vero, eodem alueo manare cœpit, iusti amnis modum adæquat, tunc potissimum, cum, a diffugiente, e montibus, niue, aut frequenti imbre, extumescit. Alias, si tempestas sit arida, vix, sui vestigium relinquit; vt torrentem dixeris potius, *quam fluuium.* Quod regionem percurrit, frumenti, atque tritici, in primis, feracem, *Zitawam* adpellauerunt *Slaui*, amnem *frumentarium*, eo vocabulo significantes. Nam, postquam pluribus riuis, e montium, qui ad orientem æstiuum secedunt, conuallibus, egressus est, diu, intra colles labitur, multa segete luxuriantes. Tandem, vno collectus alueo, planitiem subit amplissimam, neque non frumenti, pabulique vberem; donec, lento aquarum tractu, regionem peruagatus, singulari ostio, in *Danubium* exeat. *Sitva-Torok*, a confluenti nomen est, quasi, *fauces Sitvæ*, diceres. quas A. MDCVI. sedata perturbatione *Botskaiana*, pax, (*l.*) cum Turcis, isthic inita, nobilitauit.

nominis eius, cursusque ratio:

ostium, pace Turcica, nobilitatum.

§. V.

i.) Obseruationum Medicarum Castrensium, VII. p. 40.

k.) Belli historiam, vestigiumque castrorum, in *Strigoniensi Comitatu*, ad vicum *Bévye*, dabimus.

l.) Eius leges, vide, inter Regni Decreta, ad eundem annum.

§. V.

Fluuii, riuique tenuiores:

Fluuios tenuiores, qui montana regione, & frequentes sunt, & torrentum more, rapidi, ac streperi, vehuntur, designare nequimus, ob insignem copiam. Dabimus tamen aliquos. In his sunt:

Cremnitzii, ex metallis lixosus: aurum vehere creditur Tollio:

1.) *Cremnitziensis* riuus, ab eius vrbis machinis metallicis, quas perenne rotat, delapsus, *Grano*, quod diximus, supra *S. Crucis oppidum*, immergitur. Aquas, ex metallorum limo, turbidas vehit, & si Tollio (*m.*) credimus, auri feraces. *Memini*, inquit ille, *cum Altsolio, Schemnouitzium reuerterer, animaduersum mihi forte* riuum, *in* Granum *fluuium delabentem, e cuius colore cognoscere mihi videbar,* auriferum *eum esse. Iussi igitur famulum, vt inde mihi aquam peteret, quo propius eam, & adcuratius, contemplarer. Respondit ille, locorum horum omnium gnarissimus, eundem hunc riuum esse, qui* Cremnitzii, *eluendo auro, inseruiret. Hoc audito, plurimum in illa mea confirmatus sum opinione, latere, in his aquis, multum auri, quod singulari illinc arte, possit extrahi.* Vnde vero aurum illud riuo se misceat, paullo ante dixerat, *Tudes Cremnitzienses*, commemorans. *Dehinc*, inquit, *Minera aurifera, per tudes, aquarum beneficio, circumactis rotis, in subiecta fragmenta, delabentes, in tenuissimum puluerem comminutio, huiusque elotio, aurique separatio, spectata est. Hoc autem a me obseruatum, quod, aut ignoratum ipsis, aut neglectum: plurimum auri* Caesari *perire. Licet enim pluribus sibi succedentibus, ac subiectis capsis, puluerem illum auriferum, aquarum impetu ablatum, excipiant, & subsidentem, de tergo eluant, fieri tamen nequit, quin magna, immo forte maxima, auri pars, cuius leuitas, aquæ, aut innatat, aut inhæret, auferatur.* Flammeum *illud metallurgi adpellant, chimici vero* volatile: *non, quod in auras abeat; sed quod in* destillatione, *cum* spiritibus, *vna in* recipientem *adtollatur.* Hactenus ille, quod viderint metallorum consulti, an ita sint auri prodigi, vt partem eius maximam, quasi aliud agentes, dilabi patiantur: nos, illa haud siluisse, decuit.

S. Crucis:

2.) Sanctae Crucis amnis, priori, & vndosior, & eluuionibus nocentior est. Longiore is multo, quam *Cremnitziensis*, alueo decurrit. Ortus enim, in septentrionali ea montium regione, quæ est in *Nitrienses*, atque *Thuróczienses* Comitatus limitibus, præceps, in meridiem fertur, admissisque, hinc atque illinc, conuallium torrentibus, ita non raro increscit, vt valido fluuio suppar, late diffusus, stragem, in agris pratisque edat, longe damnosissimam. Exit in *Granum*, prope ad *S. Crucis* oppidum, posteaquam latus eius orientale, quadamtenus adluisset.

m.) Epistola Itineraria V. p. 177. & p. 171. *Transiensis*, inquit, *montibus*, Cremnitzium *veni: sed, ab iter, quamquam numquam ante visi, rini aurifera aquæ, per angustam vallem, magno impetu decurrenti, animum meum statim aduerterunt.* Iter, scilicet, e *S. Crucis* oppido, *Cremnitzium* ducens, adeoque eundem hunc amniculum, describit.

Sklenenſis: Wihnenſis:

3.) *Sklenenſis* aduerſa plaga, ſed profundius paullo, ac infra hunc,
4.) *Wihnenſis*, in *Granum* incurrunt. Vterque, *Schemnitzienſium* montibus metalliferis editus, atque *Thermas* cognomines, præteruectus, *Grano* miſcetur. Non ſunt, tam aquarum mole memorandi, quam inſigni eo beneficio, quod intra valles, verſandis machinis, præſtant; namque, pro cæli ingenio, nunc augeſcunt, nunc iterum eximaniuntur. Ille vicum *Sklenno*, Germanis *Glashütten*; hic officinas metallicas, *Windiſchleüthen*; poſtea, vicum, longo protenſum ordine, cui *Wihnye*, & a riuo *Eiſenbach*, apud Germanos, nomen eſt; ac denique *Szénásfalvam*, antequam in *Granum* decurrat, interlabitur.

Zernouiczenſis:

5.) *Zernoviczenſis*, amniculus, & copioſior eſt, & aquis perennior. Vario is riuorum concurſu, in *Welkopolenſium* montibus, enatus, dum plures vicos intercurriſſet, *Zernouiczio*, ab aquilone; ſed in occidentem decliui, illabitur, rigatoque oppido, per quod medius fertur, *Grano* ſe intimat. Quod altis e montibus deiicitur, & rapidus eſt, & ad exundandum, facilis, atque nobis ipſis, cælo, extra modum, pluuio, A. MDCCXXV. huc, ad *Thermas Vihnenſes*, proficiſcentibus, propemodum exitialis.

S. Benedicti riuus.

6.) *S. Benedicti* riuus, naturæ prorſus conſimilis eſt; ſed aquarum parcior, tractuque multo breuiore. Enim vero, e montibus, qui oppido, a ſeptentrione impendent, demiſſus, vix milliare abſoluit, cum ſub ipſo, *S. Benedicti* cœnobio, interluto prius oppido, in *Granum* illabitur.

§. VI.

Fontes ſalubres & noxii:

FONTES, & aquarum ſcaturigines, nihil adtinet conſectari; ſcatent his omnia, potiſſimum, edito illo, montanoque ſitu. Nam, qua in planitiem *Comitatus* porrigitur, fluuiatiles partim, partim puteales aquæ, bibuntur, quod depreſſa regio, fontibus, non æque frequens eſt. Sunt, & acidi fontes, *Bukovienſes* puta, & *Ebedeczenſes*. Quin, & noxios, ad potandum, ſtrumasque bibentibus ingenerantes, ſuis locis, memorabimus. *Thermæ*, quas habet *Comitatus*, merito in celeberrimis, tota *Hungaria*, ponuntur. *Sklenenſes* Slauis, *Glashüttner-Bad* Germanis, vocitatæ. Vtrumque nomen, vico debetur, quod ille, ab officinis vitriariis, quæ iam ceſſauerunt, olim acceperat. Plenam eorum hiſtoriam, alibi (*n.*) exhibuimus, quorſum lectores noſtros dimittimus. Nunc, peregrinantem TOLLIVM (*o.*) ſuffecerit audiuiſſe: *Tandem, Schemniczienſibus, triſti valedicto*, verba ſunt laudati auctoris, *Cremniczium iter inchoaui. Medio ferme itinere,* (*p.*) *therma memoratæ ſunt, &, vt ibi ſubſiſterem, effecerunt. Nomen huic*

Thermæ Sklenenſes & TOLLII, *de iis relatio*:

n.) Vide Prodromum Operis noſtri, Hung. Nouæ Lib III. Cap. V. p. 128.
o.) Loco citato, p. 169. ſeq.
p.) Atqui quadrantem eius itineris vix ſuperauerat bonus TOLLIVS, milliario enim vnico, trans editum montem, thermæ *Schemniczio* ſubmouentur.

huic loco a Thermis eſt Hungaricum Teplicz, (*q.*) *ab officinis vitriariis Germanicum eſt* Glashütten. *Fontes hic XXX. circiter aut XL. e terra paſſim ebulliunt, admirabili naturæ beneficio. Hos, ea cum voluptate ſpectaui, vt eorum exſultationem, procurſum, incruſtationem diuerſicolorum marginum, viridemque his adhærentem muſcum, & quæ id genus alia, tam adtente contemplatus ſum, vt cibi, potusque, obliuiſcerer, & a famulo, ad reficiendum corpus, reuocari, neceſſe haberem. Nec diu cunctatus, non in præparata, ex his, arte balnea, inſilui; ſordebat enim ars, in tanto naturæ miraculo; ſed uno eodemque tempore ac momento, ad ſiccum & humidum me balneum contuli. Aderat enim ſpecus ingens, in quo, per latentes meatus, adeo calentes exſpirabant halitus, vt copioſiſſimum, e toto corpore, ſudorem elicerent; ſuberatque his meatibus, profluens, e ſaxo, aqua calidiſſima, quæ cum ingredienti præſeruida videretur, mox, ab halitibus illis concalefacto, pro frigida erat. Locus autem, arte ruſtica, & leuicula, iniecto aſſerculo vno, & item altero, ita erat adaptatus, vt conſidentibus, humeros, & medium corpus, halitus adflarent, inferiora, aqua tegerentur.* Hactenus noſter. Iam, & ſudatorii ſpecus huius, & Thermarum facies, multo, quam erat TOLLII ætate, liberalior eſt. quæ ſingula, adtentiore diligentia, ſuo illo, ad quem prouocauimus, loco, expromſimus, docuimusque vberius, quo ſint poſitu, quo conſtent mineralium temperamento, quasque lauantibus præſtent vtilitates. Hic, & *Wihnenſes*, ſiue *Eiſenbachenſes*, memorandæ ſunt. quas eodem loco, fuſe non minus, quam curate, deſcripſimus. Sunt, & ad vicum *Nitra-ſzeg*, calidarum venæ, ſalubres, vti vulgo credunt, futuræ, ſi lacubus, arte factis, concludi poſſent. Sed quia, *Pöſtlenſium* (*r.*) ritu, frequenter mutant ſcaturigines, modo enim hac, modo aduerſa *Nitræ* amnis ripa, quin inter ipſas, decurrentis fluuii arenas, ſaliunt; perpetuis balneis idoneæ reddi nequeunt.

Wihnenſes:

Nitra-ſzegienſes.

§. VII.

Regionis vbertas:

VBerem, natura, regionem eſſe oportere, ex his, quæ diximus, non obſcure poſſis colligere. *Naturam* dico. qua voce, ſimul, cæli ſolique ingenium, connecto. quorum rationes, ſi amice conſpirarint, nihil *Comitatui* noſtro, ad fœcunditatem deeſſe poſſe, iure exiſtimaueris: habito tamen diſcrimine, inter *montanos* illos, *campeſtres*que poſitus. Certe enim, vbi in montes aſperatur regio, vti ſolo eſt ſalebroſo, & iciuno; ita cælum experitur iniquius. Ergo, fit, vt ſemina terræ commiſſa, ſegnius pubeſcant, ac raro matureſcant, ſine tempeſtatum iniuria: ſolito, montanorum ſituum, malo. Sed, hæc quidem ſoli cælique intemperies, eo admodum tractu dominatur, qui totus, intra montes, retruſus eſt. Nam, qua ii miteſcunt, ſeque in collinos ſitus, quomodocunque explicant, nihil non

tractu montano:

q.) Monendus eſt lector, Teplicz, Slauicum thermarum omnium, non Hungaricum, nomen eſſe: nam *Slauicum* loci vocabulum *Sklenno* eſt, vti Germanicum, a vitriariis officinis, deductum.
r.) De his, in Hiſt. Comitatus Nitrienſis, Parte Spec. Memb. IV. Sect. I. Num. IV. mentionem habebimus.

campestri: rusticanorum prouentuum, terra gignit; sola vite excepta, quæ suapte ingenio, aquilones refugit. At, vbi penitus cessare montes occupiunt, ager multo est, non fœcundior modo, sed fructuum etiam varietate instructior. Primo enim, qua collibus, leuiter esse cœpit

vini prouentus: decliuis, vitem, perbenigne alit, segetes contra, qua in campos diffunditur. Passim, & *Cereri, & Baccho*, hospitalis, ex æquo, regio est. Ac, vini quidem prouentus, ad *Granum*, qua colles, soli meridiano obiiciuntur, palmaris habetur. Est vero, laudatissimum vinum, quod in *Csejkû*, *Rilnik*, seu *Szôlôs*, *Kosmály*, *Sz. Benedik*, *Bszár*, *Kschtyenye*, *Usfalu*, *Szolmós*, *Podluzan*, & *Léva*, vicinoque tractu, gignitur.

frumenti: Rusticatio reliqua, re, cum primis frumentaria, conficitur. Prouenit nimirum, hic triticum, siligo illic, hordeum alibi, lætissimis incrementis, vt merito, montanarum vrbium horreum, Barschiensem Comitatum adpellari posse credamus. Hinc enim *Schemnitzio* panis, hinc officinis *Neosolienſium cereuisiariis*, quæ ibi, & multæ sunt, & lucrosæ, hordeum sufficitur. Mirari subibat, cum vidissemus, immaturo

est regio nostra, montanarum horreum: fructu, *Neosolienſium*, opimiores quosque, &, quibus est, ex hordeacei potus coctura, quæstus aliquis, ad mercatum id genus frumenti, isthuc accurrisse, & peragratis vicis, qui eius semente antecellunt, statuisse frumento pretium, segete, necdum demessa. Variant autem agrorum rationes, seminio non solum, sed huius etiam præstantia. Triticum collini *Zitua* tractus, siliginem *Oszlanenſis*; hordeum *Kozárôczenſis*, vicinusque huic ager, probissimum ferunt.

probissimum frumentum, vbi prouenit.

§. VIII.

Metalla *prouincia, qua, & vbi eruantur:* ISta, quæ memorauimus, sub dio gignuntur: præclara illa omnia, & ad vitam degendam, vnice necessaria. In terræ visceribus, aurum, argentum, & nihil non ignobilioris metalli, latet. Famam profecto auri *Hungarici*, & qui ex eo conflantur, numorum *Cremniczienſium*, hic vnus *Comitatus in primis* sustinet. Olim, cum nondum exinanitæ fuissent venæ, tantorum fuerunt reditum *Cremniczienſes*, non minus, quam *Ujbanyenſes* fodinæ, vt plus detritum operarum vestibus, quam in rationes publicas relatum fuisse auri, hodieque, ciues metallici, referant. Atque, ex incolarum traditione hac, Beccherus hausisse credo, cum alicubi idem, quod nunc diximus, meminit. Id vero, in gratiam Tollii, monendum erat, admirantis, Beccheri relationem. *Mirari hic subit*, inquit ille, (*s.*) *vnde* Beccherus *acceperit, cum alicubi memorat, fossores plus in vestibus auri auferre, quam ad Cæsaris redeat ærarium; cum adeo tenues, pauperesque hic auri venæ sint, vt ad sustentandam loci famam magis, quam ob lucrum fodinæ* Caesareae, *continuentur.* Nempe, vetera illa tempora, Saturniorum æmula, Beccherus intelligebat; certe intellexisse debuit. quæ, cum suæ ætatis pauperie, male confudit Tollius. Quod nos, idoneis

aurum Cremniczienſe, & Ujbanyenſe:

diues olim sine prouentus:

s.) Ibidem p. 180.

idoneis auctoribus, accepimus, istiusmodi est: ex friabili, diuiteque metalli vena, aurum tunc erui consueuisse: quod, quia puluerulentum erat, ac volucre, vestibus operarorum hirsutis, plane hæresceebat, debebatque inde bacillis ante excuti, quam exirent e cuniculis. Sed, cum ne sic quidem, auri intertrimenta caueri possent, id, quod post excussas vestes, mansit residui, operis, mercedis loco, permittebatur. Qui mos, quia ab auidioribus, in fraudem postea fuit versus, pedetentim exoleuit. Iam, ea sunt pauperie, vtriusque loci metalla, vt ægre admodum, id quod impendi necesse est, ex iis redeat: plane, ac si altius thesauros suos, *Plutus* demersisset, quam eos habebat olim repositos.

pauperies hodierna.

§. IX.

Aeris ingenium: REgionis hanc naturam, aeris ingenium sequitur, salubre illud, & vitæ producendæ, idoneum; haud tamen sine exstanti discrimine. Nam, qua *metallifer est tractus, vitii illic* quidpiam, ex halitibus minerarum, aer contrahit, qui postea penitus inspiratus, lentore sanguinem inficit. Itaque, raros iis locis videas, quibus facies rubore suffundatur: pallent plerique omnes, ac propemodum, colore sunt aureo: quippe, auri, ad inediam vsque, sequaces. Sed id fere in vulgo tantum, & operis metallicis, obseruaris: quibus vita omnis in puteis, aut cuniculis, saltem id genus officinis: deteritur, quæ non possunt non, robustissimos quosque, eneruare, suique reddere dissimillimos. Nam, qui vitam agunt, ab istis molestiis, vacuam, hcic quoque, bono liberalique sunt obtutu, neque tamen sine omni noxa. Tametsi enim aeris, quæ diximus, vitia, non æque imbibunt, ob curam corporis, quam adhibent, exquisitiorem; tamen, ab alio contagionis genere, quantacunque id diligentia, studioque, auerruncatum velint, immunes non persistunt. Aquarum illud est maleficium, quæ non hauſtæ tantum, sed incoctæ cibis, nec aduertentibus, strumas cient, tantæ nonnunquam magnitudinis, *quæ molem* capitis, aut æquet, aut superet, atque, si cute laxiore pendeat, in tergum retorta, spurium quasi caput quoddam, mentiatur. Neque id satis est ad deformitatem: pectus his, aliis dorsum, in gibbum protuberat; vt difficile sit, non isthic, omnibus compitis, videre (*t.*)

eius, tractu metallico, vitia:

Strumosum, atque vtero pariter, gibboque tumentem.

Aliter se habent, regionem colentes, metallis vacuam. His enim, cum statura celsior, compactiorque, tum vitacitas, nisi intemperantia, aut errore quocunque alio, se perdant, perennior multo est. Vidimus istis locis, senes decrepitos, eosque multis, grauibusque calamitatibus, ab incunte ætate, subactos, abnepotes tenellos ductasse manu, docuisseque, prima, labantibus pedibus, vestigia figere, atque hilare quid, facetumque occinere; tamquam, qui nuper prætextam posuissent.

salubritas alibi eximia;

t.) Iuvenalis, Sat. X. versu 309.

sent. Neque id, in exemplis ponendum est inusitatis; frequentia sunt, & vicis propemodum singulis, obuia. Multa hi nobis, de *Strigonii* prima expugnatione, barbaricâ, de occupato, a *Botskajo* Ujvarino, ex parentum, qui ista spectauere, traditione, narrauerunt; prorsus his consentanea, quæ in litteras historici retulerunt. Et mirum sane foret, ista regione, quam toties euerruit hostis, pessundedit seditio, qualemcunque ætatulam, homines attingere potuisse; nisi eximia illa, ad fouendam valetudinem, aeris placiditas, natiuaque, & simplex victus ratio, isthuc consensissent. Non sum equidem nescius, aliis quoque regionibus, eandem salubritatis laudem, communem esse; sed hæc tamen monenda fuerunt, vt criminationes eorum retunderentur, qui oram *Grano* irriguam, tamquam insalubrem, totisque exercitibus noxiam, pridem accusauerunt. Non est profecto ita, sed neque esse potest. Quia enim, aquilonaris regio, ex qua *Granus*, & amnes reliqui, delabuntur, edita est, & *Carpathi* radicibus, niuosis illis, horrescens, perflatu ventorum *inde immissorum*, & *tunc* recreari eam oportet, cum alibi, *etheſias* desideraueris. Id autem, quantum, ad propellendum aeris contagium, commodandamque salubritatem, momenti habeat, nemo, nisi omnium rerum ignarus, condocendus est.

aduersus accusatores defensus.

§. X.

Res pecuaria in montibus vilior:

QVod superest, in opportunitatibus prouinciolæ, re id fere pecuaria constat. quæ, qualis sit, non est, vt multis explicemus. Intra montes, pecus cornigerum, ex cæli, & regionis ingenio, minutum, & ignobile educatur. cuius quidem rei causſæ, ex se patent, & nos, ni fallor, pertractauimus, alibi. Certe, vt campestri genere, gracilius sit, exiliusque, consectandorum pascuorum ratio, videtur requirere, quæ hic montana sunt, & situ passim ita suspensa, vt a grandibus illis, & obesis armentis, vix adiri possent. Spectauimus aliquando, *adtonitis* similes, per præruptos petrarum articulos, modico virentes gramine, boues, vaccasue, caprarum instar, reptauisse, ac propemodum metuebamus, ne casu quo, ex iis præcipitiis, ad lapsum pronis, in subeuntes nos, deruerent. Amicior ouibus, eadem ista regionis est natura: nuspiam enim melius proficiunt, quam in montanis pabulis. Itaque, frequentia, alendæ pecudi vtilissimæ, æstiua stabula, incolæ posuere, in montibus; more haud absimili, qualem apud *Zolienses* (*u.*) descripsimus. Inde, & casei, & lanæ, qualiscunque rustico prouentus: neque is tamen ad lucrum faciendum; sed ad sustentandam, amiciendamque familiam. Nescio vero, qui fiat, caseum, qui isthic cogitur, *Zolienſi*, atque *Liptouienſi*, gustu & pretio, inferiorem esse. Sunt, qui aiant, demtum lactis florem, cupidiuscule ad conficiendum butyrum, transferri, caseumque ideo macrum fieri ieiunumque. Iidem isti montani, nemorosique positus,

felicius oues proficiunt:

u.) Tomo Operis II. p. 398.

situs, qui aut quercubus vestiuntur, aut fago, porcorum simul greges, alunt, saginantque: non tam mercatibus, quam rei familiari, idoneos. Iam, quod ad campestrem regionem, adtinet, lætiora illic pecudibus sunt pabula, quæ idcirco, etiam proficiunt exquisitius. Verum, hic quoque angustior est regio, quam quæ numerosiora illa armenta, posset sustentare. Multum se lucri fecisse, existimat colonus, si iumenta submittere possit, ad agricolandum necessaria; hoc est: boboues equosue, aratris, & quadrigis, idoneos. Raro, neque id, nisi lautioribus e plebe, supereſt, quod venundent; tenuiores certe, tum demum in nundinas, vernaculum pecus, depellunt, cum id, vt faciant, res angusta domi, & alendi militis necessitas, cogit. De his hactenus.

porcorum sagina.

MEMBRVM POLITICVM.
DE
Incolis & Magistratibus Comitatus Barschiensis.

SYNOPSIS.

Antiqui regionis incolæ: Quadi: Hunni: Auares: Hungari: Slaui: Germani. §. I.

Hodiernorum incolarum ingenium, ex Tollio *describitur.* §. II.

Gentis, eodem teste, duritiei laudabilis: agreste per a genus: vis sudoris sympathetica. §. III.

Allii esus, Hungaris *familiaris, defensus:* Horatii *conuicium: allium apud* Aegyptios, *inter numina relatum: fastiditum a* Græcis: *nautis tamen familiare: & obsessoribus vrbium: venenis contrait:* Coberi, *de allii, apud* Hungaros, *vsu, relatio: quomodo, aduersus nauseam Hungaricam, adhibeatur: agrestium, in peregrinis, pane, allio, & capis, accipiendis, hospitalitas.* §. IV.

Occupationes incolarum, Cremnitzium *adcolentium:* Schemnitzio *propiorum: qui longius, ab vrbibus degunt, quomodo proficiant: militiam olim, qui fuerint sequuti.* §. V.

Dominia *prouinciolæ:* Saskôiense: Revischtyense: Cremnitziense: S. Crucis: Lévense: Benedictense: Kis-Topolcsanense: Marothense: Verebélyense: Sallaiense. §. VI.

Familiæ Comitatus Illustres. §. VII.

Familiæ nobiles: auctoris desideria. §. VIII.

Prouinciæ Magistratus: hodiernus Supremus Comes. §. IX.

Comitiola, vbi celebrari sueuerint: insignia Comitatus: tabularium. §. X.

§. I.

Antiqui regionis incolæ, Quadi:



VADOS, ferum indomitumque genus, ad *Granuam* vsque; id enim amni fuit nomen; fines olim suos prorogasse, alibi docuimus. Eos, multi ex imperatoribus Romanis, post occupatas *Pannonias*, partim armis tentauerunt, partim, quæsitis vndecunque artibus: MARCO ANTONINO autem, nemo felicius, facere officium sub potestatem misit, coegit. Postea, ATTILA, *Quados*, inque belli societatem pertraxit. Eo fatis functo, cum *Hunnorum*, nupera admodum respublica, conuelleretur, *Slaui* regionem, vel ciectis, vel in eandem gentem adscitis *Quadis*, occupauerunt: varie quidem, ab *Abaribus* lacessiti; sed ab *Hungaris* demum, per *Arnulphum* excitis, sub iugum acti. Hæc sunt priscorum incolarum, apud *Barschienses*, vestigia. quæ nunc, indice digito commonstrauisse, sufficerit. Atque ab ea quidem ætate, ad nostra hæc tempora, *Hungari*, rerum ibi perpetuo potiebantur; *Slauis* simul, sed æqua parendi lege, regionem colentibus. Ceteroquin, addiscas hinc, vnde mixti, cum *Hungaris*, *Slaui*, ortum traxerint. Vtrisque, *Germani*, pauciores tamen numero, & intra vicos aliquot repositi, accessere: verum, qua ætate, aut quibus arbitris, dictu admodum est difficile. Nos, quid de eorum migrationibus sentiamus, in *Nitrienſi*, (*a.*) iuxta & *Thuroczienſi* (*b.*) Comitatu, expromsimus.

Hunni:

Abares: Hungari:

Slaui: Germani.

§. II.

Hodiernorum incolarum ingenium, ex TOLLIO *describitur.*

INgenium, lingua atque mores, idem hic, apud nationum singulas, obtinent, qui vicinorum fuere. Sed iuuat tamen, quæ alibi, siue coniectantes, siue adseuerantes etiam, in medium protulimus, laudati sæpius TOLLII, testimonio comprobare. „ Quadruplex, inquit ille, „ dum *Cremnitzienſe* hospitium describit, (*c.*) incolarum, in montanis „ (*d.*) hisce vrbibus, *adde, tota regiuncula Barschienſi*, natio est. Vulgus „ fere omne, *Slauonicæ* originis est, vestitu, & lingua gentili, a ce„ teris discretum. Ciues plerique ditiores, *Hungari*; & hi quidem, *Hun-*

a.) Tomo hocce Operis IV. Hist. Comitat. Nitriens. Parte Generali, Memb. II. Politico, §. I.

b.) Tomo Operis II. p. 306. §. III.

c.) Epistola Itineraria V. p. 172. vbi emendandum est sphalma, dum legitur: *Quadruplex incolarum in montanis hisce vrbibus, natio est.* Atqui *triplex* tantum! quot & ipse recensuit, *Slauorum, Hungarorum* & *Germanorum*, quæ gens, inde a priscis illis temporibus, regionem, vrbesque coluit. nisi *Saxones*, a *Germania*, minutius quis discriminet.

d.) Ne sit errori locus, monendus est lector, *septem montanas ciuitates*, per tres limitaneos *Comitatus*, sparsas esse. Duas *Barschienſis* habet, puta: *Cremnitzium*, & *Ujbányam*, siue *Königsbergam*; *Hontenſis* tres: *Schemnitzium*, *Dilnam*, & *Bakabányam*, *seu Lukantzum*; *Zolienſis* denique duas: *Neosolium*, atque *Libethan*. Hic, de *Barschienſi*, non minus, quam reliqua montanarum regione, loquitur TOLLIVS.

Hungarica, & *Germanica* vtuntur lingua; *Saxonum* veterum reliquiæ, qui post expeditionem GEISAE II. (Andreæ II.) in Palestinam, ab eodem inuitati rege, in his oris, resederunt. At, qui nobiles, & ruri, ac prætoriis plerique suis, agitant, veri *Hungari* sunt, vt & pauciſſimi ex plebe. Reliqui, iique vt plurimum, Cæsaris in fodinis, peculium, remque monetariam curantes, *Germani* sunt, eorumque numerus perexiguus est. *Slauos*, & *Hungaros*, honestiores mares, tunica tantum, quæ his breuior, *Slauis* longior est, distinguit. Vulgus autem *Slauorum*, & exteriore albo pallio, & nigro pileo, rudem in modum adspectuque ingratiorem eminente, cognoscitur. *Muliebre*, secus, tum vestitu, tum capitis ornamento, differt; quod item *virginibus* aliud, atque *maritatis*. *Hungaricarum* ex lana est; *Slauarum* plerumque ex lino: licet ditiores ex his, *Hungaros* fere imitentur, omni colorum genere tinctis, laneis vestibus superbiant. Pedes, nigris plerumque, sæpe & rubeis, flauisue ocreis, induuntur; at *cinctus*, tantum non virilis est: caput albo velo, dependentibus in tergum laciniis, operitur. *Virgines*, comam, nullo velamento, sed circulo, tres ferme digitos lato, e raso fero nigricante, aut etiam alterius texti & coloris, margaritis vilioribus, aut si tenuiores fuerint, coralliis exornato, incingunt; cui, & floreas corollas innectunt, lætissimo adspectu. atque, ita quidem plerasque, mihi hic occurrebant. Vtraque, circuli huius, non totum caput ambientis, extremitas, vittis sericis, in triangulum constrictis, coniungitur, mox per colla humerosque, ac tergum, dispersis, pudoremque virgineum, rubedine testantibus. Capilli vero, transuersum a dextra, sinistrorsum, trans illum circulum directi, suis in se orbibus, reuoluuntur. Pectus his *virginibus* plerisque, nullis tæniis constrictum: *maritatis* autem leuiter dependentibus mammis, donec zona sustententur. Cum in publicum prodeunt, corpus vtrisque, velo quadrato, ad instar pallii, ab humeris ad genua descendente, *incingitur*. Hic gentis *habitus*, *cultus*que est: *mores* candidi, simplices, animi elatiores, & in aduenas olim, ac hospites, proniores. Hactenus TOLLIVS, cuius hypotyposis ista, viuis, quod aiunt, coloribus expressa, eo minus a nobis debuit negligi, quo gratiore animo prosequendum putauimus, boni illius *peregrinatoris*, de ciuibus nostris, *Hungari*, *Slaui*, an *Germani* sint, iudicium, & obseruationem.

§. III.

Gentis, eodem esse, duritiei laudabilis:

HIs addenda, quæ de plebe Hungarica, *Neosolii*, in aduersaria retulit, atque eadem illa epistola, (*e.*) ad KNIPHAVSENIVM suum, perscripsit. *Mores*, inquit, *& victus, vestitusque ciuium, rusticæque plebis, iidem, qui iam antea, a me sunt commemorati: nisi quod in hac mihi turba, frequentior matrum, famularumque occurſus*

e.) Loco citato, p. 184. 185.

ſus ſuit, liberos infantes, ad ſiniſtrum pectoris latus, in velo geſtantium, quod deſub altero brachio poſt tergum, ſiniſtrum humerum tranſiens, incluſum infantem, pectorali reuinctum, ſuſtentat. Sed & in his tenellulis, durum gentis morem admirabar, cum paſſim omnes, & in his, etiam nunc a matre rubentes, nudo & aperto capite, cuique cæli intemperiei, viderem expoſitos. Ita eſt, hodieque, eo ritu, circumgeſtantur infantes, multo magis, ad conſolidandum corpuſculum idoneo; quam ſi purpurearum faſciolarum contextu, molliter reuincirentur. Immo, ſi quid operis, ſiue domi, ſiue ruri, faciunt matres, humi tenellos, ſine ligamine, ſine cuſtode, deponunt, qui trimeſtre nondum egreſſi, pede altero, ſub clunes reclinato, altero, genutenus erecto, & veſtigia moliente, manibus præfulti, circumrepunt, inque talos ante ſe erigunt, quam id ſperaris: cetera, in ſolidum, compactumque corpus, adoleſcentes. Poſtea, nouum, quod in vulgo obſeruauit, peræ genus,

agreſtis peræ, genus:

deſcribit noſter. *Nouum & illic, & alibi deinceps alias, ignoratumque* CYNICO DIOGENI, *peræ genus obſeruaui. Panem namque, de plebe homines, qui æſtate pleramque, ſine tunica agunt, & quidquid aliud obſeruandum videbatur, intra induſium recondunt. Memini, mihi, vt gens hæc perhumana, & benigna eſt, panem requirenti, oblatum aliquando, qui hinc, poſt pedeſtre vnius alteriusue milliaris iter, feruente quam maxime ſole, ex hoc penu depromeretur. Slauum*, promum condum hunc, fuiſſe oportuit, qui æſtate, ſuccincta lumbotenus induſia gerunt, atque, ſi vel ruri agendum, vel peregre proficiſcendum ſit, pane, caſeo, allio, cæpisque, opplent. *Hungaris* ſolemnius eſt, religatas agreſtis lacernæ, *Cſuba* veſti nomen eſt, manicas, pro capſis habere, quibus panem, allium, cæpas, lardumque, itineraturi, reponant. Quæ his ſubdit, non ſunt indigna relatu, eo quod ſudoris, quem panis ita

vis ſudoris ſympathetica.

geſtatus, imbibit, vim, quæ *ſympathetica* dicitur, memincrunt. *Sane, credo ego, hac de cauſſa fidiſſimos dominis, in his oris, eſſe canes: quos in pueritia aliquando mea, illis fruſta, ſub axillis, ſudore noſtro humentia, mittendo, optime allici poſſe, didici. Neque alia, ſine dubio, eſt ratio, cur* Tartari, *tantopere equos ſuos diligant; nam & hi, carnibus, inter equitandum, ſub ſella, ſudore equino emollitis, veſci ſolent. Ineſt enim ſudori, magna, e corpore exhalantium ſpirituum, vis, quæ, cum ſudore, in panem, carnesque, atque deinde corporis humani refectionem, tranſiens, conuenientia naturæ, amorem conciliat. Noui ego, aliquot huius generis artes, e magia naturali depromtas, quæ amorem, etiam ignotiſſimis, & alieniſſimis, generent.* reliqua Sed, quod artes huiusmodi, nihil valeant, ſua, TOLLIVM, fata docere poterant, ad quæ digitum intendit, eius editor, HENRICVS CHRISTIANVS HENNINIVS, dum, *At ego*, inquit, (*f.*) *vnicam tantum noui:* vt ameris, amabilis eſto: *mirorque, & ſimul iuditium hic deſidero* TOLLII. *Cur ergo non dedit talia philtra, inuidis oſoribus ſuis, vt eos, vel inuitos, in ſui amorem cogeret?* Nimirum, fit toto die, vt plus prudentiſſimi quique, aliis ſapiant, quam

f.) Adnotatione LII. ad Epiſtolam hanc V. p. 213.

quam ſibi, & cum alios, egregiam docent fortunam effingere, negligant ſuam. Pergit vero TOLLIVS: *vt ad propoſitum redeam*, Hungaris, *ſatis meapte in vniuerſum fauens, huius, aut illius amore ſingulari, nolui implicari, benigneque hominibus gratias dixi, quamuis nullo dolo malo, ac ſimplicter iſtas delicias offerrent; non tam faſtidioſus alias, in admittendis, ſumendisque, quæ adponebantur, eduliis*, allio conditis: *ab cuius tamen vſu, tam* HORATII *illa Epod. III. v. 3, quæ* cicutis allium nocentius, *vituperat, poterant deterrere; quam & ingratus, & grauis odor, cui ferendo non ſum, vtpote, delicatioris ſtomachi*, & nucibus moſchatis, & caryophillis, *magis, quam* allio, *adſuefacti.* Hæc ille.

§. IV.

Allii eſus, Hungaris familiaris, defenſus:

AD *allii* mentionem, quam faſtidioſius ingeſſit TOLLIVS, haud ab re fuerit, id, quod ſentimus, & in gente noſtra aduertimus, iſthic exponere. Ac primo quidem, non ignoramus, conuicia, quæ *Venuſinus* ille vates, homo, vti videre eſt, non agreſtis ſtomachi, *allio* improperauit. Sic vero, ne quid diſſimulemus, eius habet cantilena:

Horatii conuicium:

Parentis olim ſi quis impia manu
Senile guttur fregerit:
Edat cicutis allium nocentius.
O dura meſſorum ilia!
Quid hoc veneni ſeuit in præcordiis?
Num viperinus hic cruor
Incoctus herbis me fefellit? an malas
Canidia tractauit dapes?

Poſtea, æſtum, quem ex allii eſu, intimis viſceribus conceperat, deſcribens, ioco hoc, quidquid eſt vituperii, coronat:

At, ſi quid vnquam tale (allium) *concupiueris*
Iocoſe Mæcenas! *precor:*
Manum puella ſuauio opponat tuo,
Extrema & in ſponda cubet.

Iſta, in MÆCENATIS prandium, an cœnam? poeta cecinit, idque, pro more ſuo, liberius. At enim, vnius, iſtud conuicium eſt, hominis. Aliter gentes integræ, de *allio* ſenſere. Certe *Aegyptiis*, inter numina referebatur *Allium*, *cæparque inter Deos in iureiurando habet Aegyptus*, inquit PLINIVS, (*g.*) vbi, laudes quoque, eximiæ huius radicis, legas. Quid? quod *Graci* ipſi, quibus lege cautum erat, ne, qui *allio* veſcerentur, Matris Deum ſacrarium, auderent ingredi; nautis tamen, inter optima obſonia, allium, commeatus loco, ingeſſerint; *Athenienſes*

allium apud Aegyptios inter numina relatum: faſtiditum a Græcis:

potis-

g.) Lib. XIX. Cap. XVII.

nautis tamen familiare: potiſſimum, Græcorum, & doctiſſimi, & elegantiſſimi. Hinc prouerbium: *allium in retibus:* quod, tamquam penu quodam repoſitum, in nauibus adſeruaretur. Eum morem, & Romani, ſuum fecerunt poſtea, quod ex PLAVTO in *Penulo*, addiſcas:

Tu autem plenior
Allii, vlpicique, quam ſint Romani remiges.

& obſeſſoribus vrbium; Sed præter nautas, in obſidionibus vrbium, veteres *allium* mandebant: credo, vt eſſent, aduerſus caſtrenſes morbos, tutiores. Ἀσθμᾳ οἱ σκόροδα παρέχειν: id eſt: *Perdo allia in obſidione*: vti eſt apud SVIDAM, & ex eo, in ERASMI Chiliadibus. Quin, & venenis, præſumtum *allium*, contraire, auctores meminerunt. Huc illud AEMILII MACRI pertinet:

venenis contrait:

Hec ideo miſcere cibis, meſſoribus eſt mos,
Vt ſi forte ſopor ſeſſos depreſſerit artus,
Anguibus a nocuis, tuti quieſcere poſſint.

Quod & PLINIVS (*b.*) perhibet: *Allio, magna vis*, inquit, *magna vtilitates, contra aquarum, & locorum mutationes. Serpentes abigit, & ſcorpiones, odore.* Eccur ergo faſtidiamus *allium?* Prudenter vtrumque, ab *Hungaris* noſtris aduerſum eſt, teſte COBERO. (*i.*) *Aquarum, promiſcue omnium, noxam*, ſcribit ille, *fœtores, cruditates, limum, ſaburras denique*, RECEPTISSIMO ALLII VSV, *Pannones corrigere ſolent; ita quidem, vt omnibus ab hac ſola antidoto, aduerſus quoduis venenum, tutiſſima alexipharmaca, mutuari poſſe, certo ſibi perſuadeant.* ALLIVM *igitur, huic genti, non minus in deliciis, non minus familiare, non minus quotidianum, quam panis ipſe: quin, multos reperias, qui hoc tutius, quam illo, carendum cenſent.* Caſtrenſem hic conuictum Hungarorum, deſcribit COBERVS; in quo allii vſus fuit omnino frequentiſſimus: vt & cibus eſſet, & medicina. Fit ea hodieque, aduerſus *nauſeam Hungaricam, Csömör* ei patrium nomen eſt, non vulgo tantum; ſed etiam apud delicatiores. Accto ſcilicet intritum; fricandis artubus, ſucceſſu ad prodigium vſque felici, cum cura adhibetur. Qui enim, eum in modum, ſemel atque iterum, ſunt delibuti, proſtratas, toto corpore, vires, recipiunt denuo, &, e torpore, quem morbus ille, ſuo more, induxerat, ad ſe redeuntes, cum cibi adpetentiam recuperant denuo, tum ad opus faciendum, vegeti redeunt atque hilares. Eſu tamen *allii*, vulgus vt plurimum oblectatur; nam, qui ſunt delicatiore ſtomacho, non minus id, quam TOLLIVS ipſe, faſtidiunt. Comeditur autem, ſæpius fere crudum, quam incoctum, potiſſimum, vbi, vel ientacula, vel merendæ, ab agreſtibus operis, ſumuntur. Meminimus, cum itinerantes, hoſpitia ruſticana ſubiiſſemus, *panem, allium,* atque *capas*, ad primum ingreſſum, adpoſitas nobis fuiſſe. qui idem mos

Coberi, de allii, apud Hungaros vſu, relatio:

quomodo aduerſus nauſeam Hungaricam adhibeatur:

agreſtium, in peregri-

b.) Lib. XX. Cap. VI.
i.) Obſeruat. Medicarum Caſtrenſium VII. p. 36. Adde, LVDOVICI NONNII Diæteticon, Lib. I. Cap. XXV. p. 78.

mos adhuc paſſim, & apud *Barſchienſes* obtinet; vt aduenas in aedibus ſuis, oblato ſtatim pane, allioque, conſalutent. Et ruſticitatis omnino foret, has cupedias, ſaltem extremis labris non deguſtauiſſe. Ceterum, qui genti noſtræ, allii, cæparumque eſum, mordacius exprobrant, faſtidioſiſſimi, ſcilicet, homines; his ego, STILPONIS memoriam, ATHENAEO (*k.*) præeunte, refricuerim. Meminit ille: STILPONEM *Philoſophum, conſiſum ſua temperantia, cum allium commediſſet, in templo* MATRIS DEVM, *obdormiiſſe; Deam in ſomnio illi dixiſſe: Philoſophus es*, o STILPON! *& ſacras tamen (l.) leges violas? viſum ſibi fuiſſe, hac reſpondere in ſomnis:* PRAEBE MIHI, QVOD EDAM, ET ALLIO NON VESCAR. tametſi, his precibus, *Hungari* non indigeamus, ob naturæ, qua eſt in patriam noſtram, profuſam benignitatem.

nis, panes, allio, & capis accipiendis, hoſpitalitas.

§. V.

Occupationes incolarum, Cremnitzium *adcolentium:*

SEd, in viam, ex diuerticulo iſto, redeamus, plebis, quæ regionem incolit, occupationes luſtraturi. Ac, vici quidem, *Cremnitzio* collimitanei, poſt agreſtes operas, duras eas, neque ob ſituum iniquitatem, colono, ex æquo reſpondentes, hoc potiſſimum agunt, vt ex vrbano commercio, referant lucelli quidpiam. Itaque, præter ruſticanas merces, frumenti, ſcilicet, varium genus, legumina, & annonam quamuis aliam, res item, metallicis operis neceſſarias, in vrbem inuehunt. Nam, ſunt omnino, ruſticorum plerique, carbonarii, aut materiarii. Illi, ſtatis diebus, carbones, ad liquanda metalla, vel quadrigis inuehunt, vel iumentis onerariis: iſti, trabes ſublicas, &, quod reliquum eſt materiæ, ſuſtentandis puteis, atque cuniculis, idoneum. Vtrorumque, eo fructuoſior eſt occupatio, quo ſunt vrbi viciniores. Sed, nec feminis, a quæſticulo faciendo, vlla eſt ceſſatio. Panem hæ cibarium, album illæ, aliæ ſpirulas, grati ſaporis, coquunt, & ad fora *Cremnitzienſia*, quin *Neoſolienſia* etiam, deferunt. Atque hi quidem, *Germani* ſunt, indefeſſi laborioſique homines. Qui ex eadem gente, propius ad *Schemnitzium* degunt, iisdem fere mercibus, vrbem frequentant: *Hochwieſenſes* in primis, & his vicíniores ad vrbem, *Zernowiczenſes* oppidani. Panificio hi valent potiſſimum, tametſi careant agro frumentario, qui perpetuis piſtrinarum operis ſufficeret. Proinde, coemto vndecunque tritico, opus habent, quod mariti iumentis comportant, moluntque; matronæ, in panes excoquunt. Tota ſcilicet ea curatio, ad matres familias pertinet, qua illæ, mira aſſiduitate, defunguntur. Enim vero, ad ſingula hebdomadaria *Schemnitzienſium* fora, permultum panis, vel ipſæ, equites inferunt, vel per viros, plenis caniſtris, ſubmittunt. Panis, qui

Schemnitzio propiorum:

k.) Dipnoſ. Lib. X. Fallantur, nimirum, *Germanorum* illi, qui *Hungariam*, a tergo, ſua lingua, HVNGER-LAND dictam, iactant, haud ſine conuicio.
l.) Ea ſunt, quarum paullo ante meminimus, quibusque ſacrarium *Matris Deum* ſubire, vetabantur, allio paſti.

qui iſthic fit, non tam candore commendatur, quam ſaporis, qua eſt, præſtantia. Occupationes hæ fere ſunt eorum, qui vrbes accolunt: qui longius inde abſunt, &, vel agro valent, vel pabulis: iisdem rebus, vt proficiant, impenſe curant. Ergo, quidquid foeni, aut auenæ habent, huc venum deuehunt: eo felices, quod merces has agreſtes, numquam non, ære commutent, numerato eo, & quaſi calente adhuc, ex monetalibus formulis. Sunt quoque, qui aurigatione, *Neoſolio*, *Piſonium*, *Viennamue*, ſuſcepta, rem ſuam auctitent. Reliqui, genus vitæ ſequuntur, ruſticum prorſus, & cum rem agrariam, tum pecuariam quoque, pro natura locorum, impenſius curant. Cum *Turcæ*, in vicinia, rerum potiebantur, multi incolarum, militiæ nomina dabant, atque in his, *Lèvenſes* maxime, *Kiſs-Topoleſanenſes*, & *Verebélyenſes*. Quorum poſtea non pauci, hoſtibus reiectis, perpetuam illam, prædandi in hoſtico, adſuetudinem, in rapinas domeſticas conuerterunt. Nunc, quæ eſt temporum tranquillitas, gladiis, in vomeres procuſis pulchre & hi ruſticantur. Scilicet:

qui longius ab vrbibus degunt, quo ſæpius proficiant:

militiam olim, qui fuerint ſequuti.

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri.

§. VI.

IAm, quibus dominationibus, vulgo *Dominia* vocant, definita ſit regio, videamus. Plura horum ſunt, iſthic in compendio memoranda, dum adcuratius infra, fuſiusque, deſcribantur. Sunt vero:

Dominia prouincia-la:

Sas-Kö-ienſe: I.) Sas-Kőiense, metallicæ *Cæſareo-Regiæ Cameræ*, accenſum, & vicis, præter arcem cognominem, circiter XIII. deſcriptum. *Lippaiorum* hæredium fuiſſe olim, idoneis auctoribus, didicimus; ſed, quod illi, cum *Caſſenſi*, quæ apud *Trenſchinenſes* eſt, ditione, adnuente rege, permutarint.

Reviſch-tyen.e: II.) Revischtyense, iisdem *Cameræ metallicæ* iuribus adſcriptum. Ad *Doczyos* aliquando pertinuit. quibus ſine hærede, prorſus emortuis, fiſco regio acceſſit. Habet vicos XII. & oppidum *Zarnócz*.

Cremni-cienſe: III.) Cremniczense, facile, antiquiſſimis adnumerandum, quod tunc vrbi adtributum eſt, cum de eius incremento, in primis ſolliciti fuere, optimi illi reges, qui *montanas ciuitates*, conſtituerunt. Sunt ei vici ſeptem.

S. Crucis: IV.) S. Crvcis, paret id *Archiepiſcopatui Strigonienſi*, cenſetque in ſua ditione, præter oppidum, a quo nomen communicauit, vicos fortean XV. ſeptentrionali *Grani* latere, varie ſparſos.

Lévenſe: V.) Lévense, inſigne omnino, atque opimis vicis inſeſſum; ſed quorum non pauci, adhuc in pignore ſunt. Paret principi Pavllo Antonio Eszterházy.

Benedi-ctenſe: VI.) S. Benedicti, eſt id in ditione *Venerabilis Capituli Strigonienſis*, atque, præter oppidum, nominis eiusdem, vicis circiter XX. definitur.

VII.)

Kis-Topolcſanenſe: VII.) Kis-Topolcsanense, ab oppido ſic dictum, vicis XI. conſtans. Eſt nunc in poteſtate Comitis *Caroli Zichy de Váſonykő*.

Maro-thenſe: VIII.) Marótense, quod, cum cognomine oppido, ac vicis fortean ſeptem, iure hæreditario, genti *Puluskianæ de Aranyos Maróth*, benigniſſimi regis indultu, noſtra ætate, adſcriptum eſt.

Verebé-lyenſe: IX.) Verebélyense, priſca, *Archiepiſcopatus Strigonienſis*, hæreditas, oppido cenſa, atque vicis hoc Comitatu, *tribus*, & *medio*.

Sallaienſe: X.) Sallaiense, abſoluitur id hac prouincia, oppido, & vicis quatuor. Eſt *Archiepiſcopi Strigonienſis*.

§. VII.

Familiæ Comitatus

FVere hæc, Comitatus *Barſchienſis Dominia*. Quod ab his, regionis eſt reliquum, illuſtres partim, partim nobiles familiæ, ſparſim poſſident. In illis numerantur, vt earum nomina, ex *alphabethi* ordine, promamus.

Illuſtres:

1.) Eszterházy *de* Frakno, ea nimirum gens, cuius ab auo, Pavllo Eszterházy, ſummo viro, & *Regni Hungariae Palatino*, inuſitata Leopoldi M. benignitas, axioma S. R. I. Principis, in primogenitos, perpetuo propagandum traduce, adtribuit. Hodie, Pavllvs Antonivs, quem nunc laudauimus, rerum potitur.

2.) Esterházyi, Comites de Galantha.

3.) Forgács, de *Gýmes*, gens omnino vetuſtiſſima, atque iſto Comitatu, iam tum, ante annum MCCXC. cognita.

4.) Pálffy, ab *Erdőd*, laudata alibi familia. In eius nunc poteſtate ſunt, *Ozslány* oppidum, atque prædia *Cſuda*, & *Lekwy*.

5.) Zichy, *de Vásonakő*, *Szent Miklós*, & in *Oroſzvár*; ad quos, poſt nupera *Balaſſianæ*, filiæ *Adami Zichy*, fata, *Kis-Topoleſanenſis* dominatio, poſtliminio rediit.

6.) Majthény, *de Keſſelő-kő*: gens *Nitrienſi Comitatui*, vnde prodiit, ſuo loco, adſcripta. Eſt *liberorum Baronum* prærogatiua inſignis, atque plurium, noſtra hac regione, vicorum hæres.

7.) His adde illuſtres familias: *Comitem* Carolvm Hvbertvm Ovdaille, anni MDCCXV. Comitiis, inter Hungaros relatum: *Barones* item *Révay*; *Amade*, de *Varkony*; *Boſſány*, de *Nagy-Boſſány*: ve nobilium, priſca, recentiaque nomina, ſileamus; tum in mentionem ventura, cum vicorum poſſeſſores ſingulares, deſignabimus.

§. VIII.

Prouincia Magiſtratus:

PRima hæc prouincia, *cis-Danubianarum* eſt, quæ adhuc, magiſtratibus temporariis, regitur: hoc eſt, Svpremos Comites habet, *ambulatoria*, quod noſtri vocant, *dignitatis*. Nempe, ſi is, qui rege indulgente, regiunculæ præfuit, fato fungitur; non id axioma genti eidem, ex qua magiſtratus ille fuit lectus, proprium re-

linquitur; sed ei a REGE confertur denuo, qui, & probatæ in principem fit fidei, & rebus, cum cura administrandis, idoneus. Longa retro auorum serie, plures fuere *Georgii*, qui ea dignitate emicuerunt. Puta: GEORGIVS LIPPAY, item GEORGIVS SZELEPSÉNY, vterque Archiepiscopus Strigoniensis; GEORGIVS, *Comes Erdödy de Monyorókerék*, senior; atque hodie, itidem *Comes Georgius Erdödy de Monyorókerék*, ærarii regii præfectus, & S. Reg. Hung. Coronæ custos. qui rebus *Comitatus*, summa cum adprobatione prouincialium, hodieque moderatur. *Feliciter!* Comitiola, seu *Congregationes*, si quæ in prouincia cogi necesse sit, antea plerumque *Kis-Topolcsáni*, rarius *Ujhánya*, aut *Léva*, nunc creberrime, in *Aranyos-Maróth*, vbi domus ei fini excitata est, aguntur. Nihil heic, quod non dictum sit alibi, monendum habemus: adeo omnia, iisdem legibus, atque institutis, & fiunt, & a magistratibus administrantur. INSIGNIA Comitatus, tres ædes sacras referunt, quas arcuato alueo, & quasi meandris luderet, fluuius interluit. regione scuti superiore, duas, easque simplices cruces, referente. Si in re dubia, bariolari liceret, dicerem, totidem cœnobia, quæ *Comitatus* habeat, significari. At enim, quænam illa? coniectatu difficilius est. Forte, vnum quidem, S. BENEDICTI fuerit. reliqua, non ausim designare: licet (*k.*) sint, qui *vetus & nouum Bars*, esse velint. Fluuius interlabens, *Granus* est, longo tramite, per regionem decurrens. *Tabularium* denique, quod & *Archiuum* dicunt, in arce *Hruschow*, hucusque, omni cura, seruabatur; iam Maróthum deportatum accepimus Atque, hæc quidem, generatim, de *Comitatu Barschiensi*, dicta sunto.

hodiernus Supremus Comes:

comitiola, vbi celebrari soleant:

insignia Comitatus:

tabularium.

PARS SPECIALIS
DE
Processibus Comitatus Barschiensis.

PROOEMIVM.

QVæ hucusque diximus, ad generalem, incluti Comitatus, historiam pertinent: nunc deinceps, ea demus, oportet, quibus singula sigillatim, in luce ponantur. Sequemur heic quoque morem nostrum, atque, ex huius præscripto, regionis, qualis ab immemorabili tempore obtinuit, partitio-

k) Auctor Chorographiæ Hungariæ, p. 133.

titionem expromemus. Diſpeſcitur autem *Comitatus* vniuerſus, in *Proceſſus*, vti adpellant, quatuor: *Oſzlanyenſem*, *Lévenſem*, *Kis-Topoltſchanenſem*, & *Verebélyenſem*. De his, ordine iam dicendum erit.

MEMBRVM I.
DE
Proceſſu Oſzlanenſi.

LAte is quidem porrigitur, totam eam regionem complexus, quam ibi *Granus* interlabitur; hic *Cremnitzienſium* ora definit; alibi montes, *Oſzlánum*, & *Kis-Topoltſchánum*, intercurrentes, deſcribunt. Bifariam eum diuiſere: vt pars ſuperior *Granenſis Diſtrictus*; inferior, *Oſzlanenſis* ſpeciatim dicatur. Noſtra nunc, quin & lectorum intereſt, vt vrbes, oppida, arces, vicosque, tractus vtriusque, pro eo, ac res poſcit, deſcribamus.

SECTIO I.
DE
Liberis, Regiis, Montanisque Vrbibus
Proceſſus *Oſzlanenſis.*

DVæ ſunt, prouinciolæ huius, *Liberæ Regiæque Vrbes*; ac hæ quidem, inde, retruſiſſima ætate, in *Montanis*, ſeu metallicis, iure quodam ſuo, relatæ: CREMNITZIVM puta, & REGIOMONTVM Hungariæ. Vtramque deſignabimus.

I. HISTORIA VRBIS CREMNITZIENSIS.

SYNOPSIS.

CREMNITZIVM, *Vrbium montanarum, metropolis: huius origines indagantur: de etymo nominis, coniectura: an a* Granniis, *populis* Scanziæ, *ſit vrbis denominatio.* §. I.

Vrbis exordia, ad Colomannum *relata: eius ſententiæ rationes:* CAROLI I. *in vrbem propenſio: reliquorum regum in* Saxones, *liberalitas:*

litas : Cameræ Cremnitzienſis *veteſtas.* §. II.

Lvdovici I. *benignitas :* Sigismvndi *ſollicitudo : reges eum ſequuti, quomodo erga vrbem, & metalla, fuerint adfecti.* §. III.

Cremnitzii *ſitus : Vrbis, ex* Tollio, *deſcriptio : eius portæ : atque mœnia.* §. IV.

Aedificia vrbis, ſacra, profanaque : ædes Adſumtionis *B. V. M. & PP.* Franciſcanorum : *reliquæ vrbis domus, & harum priuilegia : quando ea cœperint, & a quibus regibus fuerint confirmata :* Hungarorum, & Slauorum, *irritæ querelæ.* §. V.

Domus Archiepiſcopi Piſetaria : *eius rei origo :* Piſetariorum *officium, ex* Caroli I. *decreto : metallorum cultus diminutus, cur ?* Piſetarii *reiecti, iterumque reſtituti :* Piſetariorum *munus,* Ferdinandi I. *temporibus.* §. VI.

Camera Cæſareo-Regia : *eius ædificium : officina monetaria, a* Tollio *deſcripta : noua, ſignandæ monetæ, ratio : formæ numorum* Tökölii, *a* Tollio, *hic obſeruatæ.* §. VII.

Rákóczii, *in re monetaria, noſtra ætate, maleficium.* §. VIII.

Origo Cameræ Cremnitzienſis, *ex auctoris ſententia.* §. IX.

Eiusdem habitus hodiernus : Comitis Cameræ *officium :* Quæſtoris, & Comentarienſis, *accepti & expenſi munia.* §. X.

Reliqui operarum præfecti : explorator monetalis : procurator Cameræ : montium & ſiluarum magiſter : ſculptor ferramentorum : fodinarum procurator : ſupremus Cemmentarius : *ſcriba metallicus : promus condus : tribunus monetariorum, ſeu libripens.* §. XI.

Cauſſa, cur hæc adnotarit auctor : conſultationes metallicæ : earundem ratio : vtilitas : iudicium montanum. §. XII.

Metallifodinæ Cremnitzienſes : *duplex earum regio :* poſterioris putei : Rudolphi : S. Annæ : Kribanus : *vitriolum huius fodinæ a* Tollio *laudatum :* Matthiæ : Leopoldi : *Diuinæ benedictionis : Grundſchacht :* Anterioris putei : *opacæ ſtellæ :* Sacræ Triadis : *numerus aurariarum Cæſaris : officina fuſoria : vitrioli albi coctura : quomodo fiat, ex* Tollio *docetur.* §. XIII.

Vrbis, & priuatorum auraria : ſolertia Cremnitzienſium *in iis colendis, laudatur : vrbani cuniculi tres : priuatorum fodinæ :* Rothiorum, *ſumtus eorum annui :* Schindlerianæ *ſocietatis :* Laurentii Bukowa. §. XIV.

Vrbis

Vrbis incolæ Germani : *eorum, ac plebis in primis, occupationes, ingenium, mores, & lingua : primorum linguæ indoles : eorum iuſta defenſio : vrbanæ iuuentutis elegantia : læti mores.* §. XV.

Cremnitzienſium *familiæ, & harum, quæ hodie floreant : earum, in eruendis metallis, adſiduitas.* §. XVI.

Magiſtratus vrbani : eius eligendi ritus : pompa ſenatorum funebris : ſenatus exterior, & eius occupatio : iudicium ſeptem montanarum vrbium : duplici, vrbs, iurisdictioni, *obſtringitur.* §. XVII.

Arx, vrbi coædificata : eius mœnia : templum S. Catharinæ *dedicatum : turris : familiarum inibi, emortuales cryptæ : turris humilior.* §. XVIII.

Suburbiorum amplitudo, & vici : Xenodochium, *cum æde ſacra* D. Eliſabethæ : *tribuni, ſuburbanis dati.* §. XIX.

Riuus Cremnitzienſis : *eius capita : ductus, operoſe facti : quid præſtet vtilitatis : limo fœdatus, in* Granum *illabitur.* §. XX.

Ager vrbis, aſper eſt, & ſterilis : montium adſitorum nomina, & poſitus : laus pomariorum : horti Rothiani : *aeris excuſatio : vnde ſtrumoſi, & gibboſi ?* §. XXI.

Vrbis fata : infeſtatur ab Huſſitis : *eſt in ditione* Giskræ. §. XXII.

Intercipitur a Botskaii *emiſſariis : quæ inde acceperit detrimenta : a* Bethlenio : & Georgio Rákóczio, *occupatur :* Tökölii *ſeditione, quid paſſum ſit* Cremnitzium : *nuperæ* Rákóczianorum *iniuriæ.* §. XXIII.

Fit malorum officina : character hominum eius temporis : redit vrbs A. MDCCVIII. ad Cæſarem. §. XXIV.

Vrbis opes, a regibus acceptæ, quibus vicis abſoluantur : eorum coloni : vrbani reditus vnde ? expenſarum ratio : inſignia. §. XXV.

§. I.

CREMNITZIVM, montanarum vrbium, metropolis eſt. Celebre eius, toto terrarum orbe, nomen, is forte ignorauerit, cui aurei, qui hic conflantur, numi, viſi ſunt numquam. At, nominis ratio, in obſcuro poſita eſt, quam, vt eruderemus, noſtra nos admonet, in vrbem, propenſio. Et primo quidem, palam eſt, *Quadis*, quorum iſtis locis, cum *Iazygibus Metanaſtis*, genere *Sarmatico*, fuit collimitium, depulſis; *Slauos*, tota regione inualuiſſe : relictis paſſim, qui ex *Quadis*, natione *Germanica*, vicos habitarent. Iſto habitu, regionem, ad *Hungarorum* vsque exordia, perdurauiſſe, intra has ſolitudines præcipue, ipſi Caroli o M. inacceſſas, ex eorum temporum hiſtoria, fas eſt exiſtimare. Demum,

Cremnitzium *vrbium montanarum metropolis eſt.*

eius origines indagantur :

Hungaris rerum potitis, & in ciuitates pagosque, coalescentibus, cessantibusque grassari in vicinos, vti pacatior, sic & humani cultus patientior, regio esse cœpit: donec, agnito CHRISTO, regnum constituerent, rerum domini; &, cum legibus, tum veri DEI cultu, duros immitesque animos, perdomarent. Tunc vero, firmata iam republica, exteras gentes, suis arcessitas e sedibus, intra fines suos induxere, prisci reges; vt, & conuictu suo, gentem asperam, emollirent, & artium ignaram, condocerent, domi rurique, opus facere. Atque, in his quidem gentibus peregrinis, quas ita reges Hungari exciuere, *Saxones* fuerunt, *metallici* potissimum. Eorum coloniæ, in hos montes delatæ, dum scrutandis venis, cum fructu, operam nauant, montanas, hinc atque hinc, casulas posuere, vbi, & ipsi commode agerent, &, quod exorsi fuerant, indagandorum metallorum opus, sine vicinorum noxa, & incursionibus, tuto promouerent. Hæc istiusmodi tuguriola. *Krámcze*, accolæ *Slaui*, dicebant; siue, quod suis, quas colebant, ædiculis, factæ fuerint cultius; siue, quod mercium quidpiam, a *Saxonibus*, venum (*a.*) inibi fuerit expositum. Tandem, casis illis, ad iustarum ædium modum, inualescentibus, cum vrbiculæ speciem, noua hæc colonia, sensim induceret, *Kramnitza* Slauis dici cœpit; quasi, quaedam elegantiorum ædium, congries; ex quo, temporis lapsu, *Kremnitza*, factum est. Coniectationes illæ sunt; sed profecto, vltra veri speciem, probabiles. Nam, hodieque *Slaui*, cum apud *Cremnitzienses*, tum apud vicinos *Neosolienses*, ædiculas hortenses, vernis æstiuisque secessibus factas, *Krámecz*, (*b.*) & plurali numero, *Krámcze* vocant. Prima autem vrbium exordia, plerumque a casulis cœpisse, non sinit nos historia dubitare. Ex *Slauico* demum isthoc nomine, *Hungaricum*, KÖRMÖCZ, iuxta & *Germanicum*, KREMNITZ fuisse enatum, auguror. Nam, vt credam non nemini, KÖRMÖCZ, e viri proprio nomine *Körmös*, (quasi *vnguibus valentem* diceres) ortum esse, difficiliter animum induco: in primis, quod audet, nescio quem *Cornelium*, sine historiæ, sine diplomatum fide, vastæ huius solitudinis, dominum facere. LAZIVS, a *Granniis*, populis *Scanziæ*, vrbis hoc vocabulum deriuat. Profecto, ex more suo, audaciter nimium. Vnde enim docebit, *Grannios*, JORNANDI, (*c.*) per medias *Sarmatias*, in *Scythiam* profectos, isthic vquam consedisse? Et, si doceret etiam; quæ esse potest vocum cognatio, vt ex *Granniis*, fieri potuerit *Kremnitz*?

de etymo nominis, coniectura:

an a Grannis, *populis* Scanziæ, *sit vrbis denominatio.*

§. II.

Vrbis exordia, ad Colomanni *relata:*

SEd, si maxime expedita esset nominis ratio, quæ tamen, manet adhuc, coniecturis obnoxia; tamen, difficile fuerit, primos vrbis ortus,

a.) Vtramque notionem, Slauicum *Krámecz* obtinet: nam, & casulam significat, ad voluptuosum secessum factam; & tabernam institoriam exiliorem.

b.) Quid? quod carbonariorum tabernæ, occidentali montis *Nagy Hegy*, dorso, qua id *Neosolium* prospicit, inædificatæ, *Krámtze* adhuc vocentur.

c.) De Rebus Geticis Cap. III.

ortus, definire. Nos, id, quod veri fuerit simillimum, tantisper sequemur, dum monumentis diplomatum, dictis fidem potuerimus præstruere. Atque, hic quidem, prorsus adsentimur eorum sententiæ, qui prima vrbis incunabula, ad ætatem, prouidentiamque COLOMANNI, referunt. Vt adeo suspicemur, exeunte seculo XI. saltem ineunte iam, hoc est, circa annum MC. prima vrbis fundamenta (*d.*) iaci cœpisse. Ita, vt sentiamus, pluribus argumentis inducimur; quorum, præter perpetuam doctorum, ista vrbe, traditionem, illud fere princeps est; quod, quæ sequuti reges, conditæ iam vrbi, priuilegia impertiuerunt, ea, de vrbe loquantur, non tamquam nupera; sed quæ origines suas, fere, ipsi regno coæuas habuerit. Nescio, an vera sint, quæ mihi in aurem, amicorum aliquis; supersse in vrbis tabulario, diplomatis COLOMANNI, exstantia quædam fragmenta. Id si esset, nihil opus foret de vrbis natalibus porro dubitare. De GEYZA II. certum est, *Saxones*, cum, in Transiluaniam exciuisse, saltem excitos iam, donasse priuilegiis. Sed an intra istam etiam *Carpathi* lustra? nescio: nisi prorsus credamus, inde a COLOMANNI ætate, *Saxones*, isthic habitauisse; sicuti iam coniecimus. Quod, si, vti par est, credimus, iniurii, in reliquos reges fuerimus, nisi persuadeamus nobis, omnem eos operam, ornandis (*e.*) alendisque, intra fines suos, *Saxonibus*, impendisse: maxime, cum viderent, gentem solertem esse, & in faciendo officio, præter morem *Hungarorum*, religiosam. Postea CAROLVS ROBERTVS, in primis fauit *Cremnitzio*. Et supersunt omnino in scriniis vrbis tabulæ, quas ille ciuibus A. MCCCXXVIII. egregiis refertas iuribus, concessit. Quibus vero incrementis, eodem regnante, vrbs fuerit locupletata, ex decreto, quod A. MCCCXLII. *Vissegrádi* editum est, cognoscas. Eius initium ita habet: *Nos* CAROLVS *DEi gratia Rex Hungariæ, memoriæ commendantes tenore præsentium, significamus, quibus expedit, vniuersis. Quod Nos, Prælatorum & Baronum nostrorum voto vnanimi, & de consilio eorundem, consideratis fidelibus & industriosis virtutibus* Magistri Ipoliti Castellani de Arva, *fidelis nostri* Comitatum Cameræ nostræ de Kremnycz, *cum omnibus Comitibus, districtibus, villis, oppidis, qui, & quæ*, ab antiquo ad eandem Cameram nostram, *dignoscuntur pertinuisse, scilicet cum Comitatibus Nitriensi, Neogradiensi, Barschiensi, Posoniensi, Hontensi, Trencsinensi, de Zólyom, de Pest, & de Comárom, ex*

eius sententiæ rationes:

Caroli I. *in vrbem propensio:*

d.) Nimius est BOMBARDI, in Topographia Regni Hungariæ p. 111. *Montanarum*, inquit, *ciuitatum vetustissima* Cremnitzium, *e cuius locupletissimis fodinis, a nongentis amplius annis, aurum, aliaque pretiosa metalla, eruuntur.* Hoc vero si esset, in ætatem CAROLI M. vrbis, saltem fodinarum *Cremnitziensium*, ortus essent referendi. Quod si certum, atque exploratum, fuisset, ratione indubia, imbabus id vinis amplecteremur. Sed, tunc ego, vastas, inaccessasque solitudines, isthic fuisse existimo. reliqua, in SCHEMNICZII originibus, professa opera, expromemus.

e.) Vide ANDREAE II. priuilegium, *Saxonibus Transiluanis*, datum, apud LAVRENTIVM TOPELTINVM, Originum Transilu. Cap. III. p. 16. *seqq.* Consimilia vero, optimum regem, nostris quoque *Saxonibus*, impertiuisse, non sinit nos, profusa eius, in subditos, benignitas, dubitare. Adi iterum descriptionem *Schemnicii.*

ex alia parte Danubii, ſcilicet a Poſonienſi & Bácſienſi, partibus ſituatis, eidem Magiſtro Ippolito, pro octingentis Marcis, partim in florenis, ſeu aureis denariis, Cameræ noſtræ eiusdem cuſis, & cudendis, partim vero cum integris Cameræ noſtræ monetis, annorum præteriti, tertii & quarti, & præſentis, per totum regnum vniformiter diſcurrendis, ad modum anni præteriti, tam per ipſum, quam per alios regni noſtri Camerarios ampliandis, nobis a terminis infra ſcriptis perſoluendis, anno Domini MCCCXLII. a data præſentium, per anni curriculum, ſimul cum decimis Archiepiſcopalibus, dedimus iterato & locauimus ad exercendum, procurandum & tenendum, iſto modo. reliqua. Placuit, integrum hunc prologum adſcribere, quod plura ſunt, quorum nos commonet. Et primo quidem, iam tum CAROLI temporibus, *antiquam* adpellari, tum *Cameram de Kremnycz*, tum *Comitis, Cameræ* eiusdem, dignitatem. Proinde, non eſt primus regum habendus CAROLVS, qui, aut *Cameram* eam fundarit, aut vrbem, iuribus donarit peculiaribus. Tum neque id, ſine obſeruatione, dimittendum eſt, quod *iurisdictio*, quam vocant, *Cremnitzienſis Cameræ*, tam late patuerit, vt totam, cis Danubium, Hungariam complecteretur, Comitatibus XII. conſtantem. Vt taceamus, auri argentique ſignandi officinam, iam ætate illa, *Cremnitzio* quodam modo fuiſſe propriam. (*f.*)

Cameræ Cremnitzienſis vetuſtas.

§. III.

Ludouici I. *benignitas:*

CAROLO, fatis functo, LVDOVICVS I. regum Hungariæ, *inſigne decus, Cremnitzienſes*, & multis, & exſtantibus, ſuæ, in eos beneuolentiæ, ſignificationibus proſequutus eſt. Quemadmodum enim, de augendo regno, vnice ſollicitus fuit; ita, cum primis dedit operam, ne *Montanæ Vrbes*, detrimentum caperent. quod intelligeret, ingenti, non ornamento tantum, ſed etiam commodo, *Hungariæ*, ſuisque theſauris, *metallicas* has *Saxonum* colonias eſſe. Itaque, & peculiaribus priuilegiis, vrbem donauit; & publico decreto, (*g.*) quod vnicum exſtat, eadem illa, *Cameræ Cremitzienſi* confirmauit,

f.) Numum CAROLI I. eadem hac tempeſtate, *Cremnitzii*, an *Budæ* procuſum, nos ipſi poſſidemus, mole ea, quae eſt vulgaris hodie monetæ, *ſeptem crucigerorum*, argenti tamen probiſſimi. Eius facies anterior, ſedentem in ſolio regem, dextra ſceptrum, ſiniſtra pomum aureum, cruce inſigne, gerentem, refert, cum ΜΟΝΕΤΑ: *Moneta argentea noua Karuli Regis.* Auerſa, inſignia habet Hungariæ, cum gentilitiis CAROLI, ita innexa, vt reclinati ſcuti pars dextra, fluuiorum Hungariæ tramites illos, ſiniſtra, quinque lilia, Gallicis æqualia, oſtentet; Galeam denique ſtrutionis caput, roſtro, ſoleam prenſans, cum gemino elephanti brachio, vtrinque e corona prominente, exornat, cum inſcriptione: *Dominus diligit iudicium regis.* Monendus vero hic eſt lector, & *Budæ*, & *Quinqueecclesiis*, atque *Viſſegrádi*, monetariam olim fuiſſe officinam, quod ex diplomate *Sculteticæ Koſſenſi*, A. MCCCCXXX. a filio quondam ONVFRII *de* BAJNÓCZ, Comitis Tricesimarum, & *Cuſtodis Monetæ Quinqueccleſienſis*, dato, didicimus. id, videſis in Hiſtoria Comit. Nitrienſis, Parte Spec. Membro II. Sect. III. num. 89. Idem, & ex eo, quod iam citauimus, Decreto CAROLI, p. 48. linea a fine 12. colligas, ſi loco *Peckienſi* legeres *Pécsienſi*.

g.) Legeſis: eiusdem Decreti Articulum, IV. & V.

uit, quæ pater ſuus, rata habuerat. Iniere poſtea SIGISMVNDI tempora, fortunæ variantis exemplar. Rex, certe, ſine ceſſatione, & tunc *Cremnitzienſibus* metallicis, bene voluit, cum erant res ſuæ, hinc ciuili ſeditione, illinc *Huſſitarum* incurſibus, labefactatæ. Loquuntur id, cum diplomata, *Saxonibus* indulta, tum decreta etiam, magno *ſtatuum* conſenſu, edita. Huc referimus, eos *decretorum* publicorum *articulos*, qui *de re monetaria* (*b.*) *rite conſtituenda, minerarum indagatione, & id faciendi libertate, de auro argentoque, e regno, haud efferendo*, conditi ſunt. Iſtiusmodi autem ſanctionum, plurimas, in iis, quæ ſunt a SIGISMVNDO latæ, poſſis legere. Nunquam enim rei metallicæ, monetariæque velificabantur, boni illi reges; quin ſimul, vrbium, vbi ea fiebat, commoda, procurarent. Profecto, qui poſt SIGISMVNDVM ad clauum ſedebant, in præcipuis ſemper curis, *Cremnitzienſium* ſalutem, metallorumque reditus, habuerunt. Colligi id, ex decretis ALBERTI, MATTHIAE I. WLADISLAI II. & LVDOVICI II. poteſt; atque luculentius multo, ex iis priuilegiis, quibus iidem illi reges, vrbem, ſemel iterumque, locupletauerunt.

Sigismundi *ſollicitudo:*

reges, eius ſequuti, quomodo vrga vrbem, & metalla, fuerint adfecti.

§. IV.

HVcusque, de vrbis exordiis, atque incrementis, quibus per plura ſecula, adoleuit; iam deinde, eius ſitum, molem, ciues, opportunitates, & quæ fata tulerit, fas erit deſcribere. Ad vrbis poſitum, quod adtinet, montibus is circumquaque concluſus, anguſti adeo eſt proſpectus, vt non ante, aduentantium obtutui ſubiiciatur, quam prorſus imminere ei cœperint. Sola meridionalis plaga, ea valle, per quam amnis, ſuburbia interluens, in *Granum* elabitur, rimam quaſi quandam, habet. Vrbem ipſam, breuiter, pro habitus ratione, TOLLIVS deſcripſit: CREMNITZIVM, inquit, *exiguum oppidulum eſt, XXXII. domos continens, quæ in orbem ſtructa, ſe inuicem, pauciſſimis exceptis, media intercedente perampla area, rerum venalium diſtractioni deſtinata, reſpiciunt. Adſurgit hæc area, leni cliuo; cui hinc templum, inde, vbi is paulo altior, arx leuiter munita, impoſita eſt. Atque hinc natum illud vulgare dictum:* CREMNITZII, *ſingulis ædes, templum ante fores habere; quod ex omnibus fere in illud ſit proſpectus.* Plane ita ſe habet vrbs hodieque, pomœriis concluſa, multo arctioribus, quam pro famæ, qua eſt, celebritate. Sed arx tamen, longe, quam TOLLIO videbatur, munitior eſt. Nam, & gemino muro circumcluditur, craſſo eo, & ritu veteri facto; & turribus duabus inſidetur, quadrato validoque opere, exædificatis. quarum illi, quæ firmior eſt, fiſtulæ bellicæ, tamquam, facto ad id ſuggeſtui, impoſitæ ſunt. Infra, fornices incunt, & hypocauſta, quæ, partim a tubicinum magiſtro, partim, a machinarum curatore, habitantur. cuius muneris, id quoque eſſe accepimus, vt alendis pauonibus, quos vetuſto more, circa

Cremnitzii *ſitus:*

vrbis, ex TOLLIO *deſcriptio:*

b.) Operam perderemus, ſi eos ſingulos huc vellemus transſcribere: multi ſunt enim,

arcem, ſuſtentant *Cremnitzienſes*, cum cura adtendat. Porta, quæ arcem, cum vrbe committit, robuſtæ ſubſtructionis eſt, ponte verſatili, & repagulis aliis, obſirmata. Vrbs ipſa, porta aditur gemina; *ſuperiore* altera, altera *inferiore*. Hæc, ad meridiem, illa ad ſeptentrionem, ſpectat. In orientem portula exit, quadrigis imperuia; ſed frequens tamen, quia ſuburbii partem adit, copioſam, lateque habitatam. Ingens huic, & in quadrum educta turris incubat, quam, *cantor*, & *chori eccleſiaſtici* moderator, incolit. Reliqua intercapedo, mœnibus connectitur, ritu, atque opere recentiori, factis. His propugnacula ſunt interſerta, quæ a metallicorum, & opificum tribubus, nomina acceperunt. quibus, ſi belli imminebat tempeſtas, tamquam ſtatio perpetua, adſignabantur: bono id quidem conſilio; ſed, quod nuſquam minus, quam in defenſando *Cremnitzio*, valuerit. Quis enim, vrbiculam ſumſerit defenſandam? tot impendentibus vndiquaque montibus, circumdatam, quot ea vix mœniorum habet areolas. Quidquid eius ſit: multum, hoc, qualecunque vrbis ſepimentum, barbaricis illis temporibus, valuiſſe, non eſt dubitandum; cum rapto viuere, in vectigalibus cenſebatur, ab his etiam, qui ſe rerum dominos, profitebantur.

eius porta:

atque murus.

§. V.

Aedificia vrbis, ſacra, perſonaque:

VRbis interiora, ædibus ſunt inædificata, priuatis publicisque. In his, principem locum obtinent, ſacræ illæ, quarum altera, de qua nunc diximus, meridionali fori latere poſita, atque *Aſſumtæ ad cælos B. V. Mariæ*, dedicata eſt; altera, in eo ædium ordine, qui occidenti obuertitur, cum cœnobio PP. *Franciſcanorum*, inſedit. Ac, prioris quidem initia, ad annum MDLVII. eruditi Tyrnauienſes referunt, atque S. *Iohanni Baptiſtæ* adſcribunt. Vtrumque, haud ſine errore. Molis profecto ſubſtructio, habitum refert, multis modis vetuſtiorem, quam, quæ ad eam ætatem poſſit referri. Quid? quod manu exarati libri, qui ſunt in bibliotheca *parochiæ*, iam tum ſeculo XIV. & XV. ad hunc modum ſignati legantur: *Hic liber eſt Eccleſiæ B. Mariæ Virginis de Cremnicia. (i.)* vnde ſimul adparet, cui ædes ipſa ſit dedicata: nempe, non *S. Iohanni Baptiſtæ*, ſed *B. V.* MARIAE. *Capella* certe *Iohannea*, extra vrbis pomœria, ad mille paſſus, vltra *Perg* vicum, reſedit, liberalitate quondam *D. Ertzl*, exædificata. Poſitione eſt eleuatiori ac læta, cum vicino fonte, admirandæ, vti fertur, efficacitatis. Scatet is, medio prato, eſtque laxe intectus, atque parietibus coaſſatis, circumdatus. Huc, die S. IOHANNI BAPTISTAE feſto, religioſa proceſſione, *Cremnitienſes*, & vicinorum pagorum incolæ, cocunt, remque ſacram faciunt. Iam, quod ad *Franciſcanorum* ædem ſacram adtinet, hanc, GEORGIVS LIPPAY, *Archiepiſcopus Strigonienſis*, ſuperiore ſeculo, a fundamentis eduxit, atque *D. Franciſco Seraphico*, *ſtigma-*

Aedes Adſumtionis B. V. M. & PP. Franciſcanorum:

Capella S. Iohannis Baptiſtæ:

PP. Franciſcanorum:

i.) Annis ſuperioribus, duæ turres, templo huic ſunt coædificatæ. quæ, cum ædi ipſi, tum vrbi, eximio ſunt ornamento.

ſtigmatizato, conſecrauit. Reliquus ædium numerus, vltra tricenarium non adſurgit: quem, ita diſpertitum accepimus, vt præter *Curiam, (k.) Parochi, Scholæ*que ædes, XXVII. (*l.*) iuris hucusque fuerint vrbici. Ad *Circulares* domos, vulgo, *Ring-Häuſer*, quod adtinet peculiaribus eæ priuilegiis, a priſcis regibus, ſunt donatæ. quæ huc redeunt fere: *Domum circularem, nemini*, Slauus *ſit* Hungarusue, *præter* Germanum, *eumque ingenuum, emere, habitareque, fas eſto; hi ſoli, vinum, cellariis deponere, & ſub hedera vendere, ius habento; id beneficii, regi, & in commune, perpetua, in colendis metallis, adſiduitate, penſanto; denique, qui his iuribus fruuntur*, ciues circulares, *honoris cauſſa, adpellantor.* Aiunt, peculiaria hæc iura, iam tum cœpiſſe, cum primum *Saxonum* coloniæ, illuc fuerunt deductæ. quæ poſtea, MATTHIAS *Coruinus*, non vna acceſſione, locupletauit; MAXIMILIANVS autem prorſus confirmauit. Itaque, multum ſua intereſſe putant, qui intra vrbem degunt, ne hæc prærogatiua conuellatur. *Hungaros* profecto, & *Slauos*, rei, vnde orta ſit, ignaros, ſæpe indignabundos queri audiuimus; *nimiam hanc, exteræ gentis, dignationem, cum iniuria populorum eſſe coniunctam.* quod non eſt ita. Præterquam enim, quod ea priuilegia, cum onere eruendorum metallorum, coniuncta ſunt; vix crediderim, tantum, & operæ, & ſumtuum, ſeu *Slauos*, ſeu *Hungaros*, in curandis fodinis, collocaturos, quantum alienigenæ illi, tot retro ſeculis, inſumſerunt. Vt mirari ſubeat animum, publicis etiam comitiis, controuerſiam, magna contentione motam, & inuidioſius agitatam fuiſſe aliquandiu; *tributis pendendis adigendos vrbuarios:* (ciuium metallicorum id nomen eſt) *quippe, ex auri argentique prouentu, quaſi aliud agendo, diteſcentes.* Nam, vt taceamus, ſuum REGI, auri argentique tributum, ex legum præſcripto, dependi; fit, vt boni iſti ciues, & tunc, quando cum intercimento opum ſuarum, venas ſcrutantur, in commune conſulant. Quidquid enim metalli eruunt, non id reponunt in theſauris; ſed neceſſe habent, in eas res perpetuo impendere, ſine quibus, tantæ operæ, ſuſtentari promoueriique, haud poſſent. Has vero, non ipſi educant domi; ſed vicina circumfuſaque regio: vt proinde, tamquam ad commune patriumque emporium, ruſticas merces, in montanas ciuitates inuehant, rerum circumquaque domini, cumque auro, argentoue, recens ſignato, quæſtuoſius illinc permutent. Quid? quod eruderatum, inſano, cum ſumtu, tum labore, aurum & argentum, in monetam procudatur, quæ nusquam antea exſtitit, toto mox regno ſpargendam. Hoc ergo fuiſſe putamus, quod diuos reges induxit, vt *Germanos* metal-

reliqua vrbis domus, & harum priuilegia:

quando ea cœperint, & a quibus regibus fuerint confirmata:

Hungarorum, & Slauorum, *irrita querela.*

k.) Vetus prætorium, nuper, ciuico notario, pro circulari domo venditum a magiſtratu, accepimus; domo *Caſparii Magyar*, quam is, dum annis tredecim, continenter prætorem ageret, commode inſtruxerat, iuſto pretio redemta, & in nouum prætorium inaugurata.

l.) Iam numerus ille decreuit, ædibus *Schmideggianis*, quas, ætate noſtra, ex duabus aliis, *Thomae, Lib. Baro*, coædificauerat, a *Camera* redemtis metallica, vt *officinæ*, ex iis fieret, *ſecretoris*; Germani *Scheid-Gaden* vocant; *Schemnitzie* illuc translata.

licos, his, quæ diximus, priuilegiis, donarent, prouiderentque, ne solertissimum genus, nationibus aliis permixtum, interciderent. Sed hæc obiter.

§. VI.

Domus Archiepiscopi Piscaria:

EST, & *Archiepiscopo*, domus sua *circularis;* sed iuribus, quorum nunc mentio nobis fuit, destituta. *Piscaria* domus, vulgo dicitur, quod *Piscarius* olim Archiepiscopi, ibidem habitarit. Quid vero id rei sit, gratiam forte lectoris inierimus, si, ex *publico* Hungariæ *iure*, dederimus explicatum. Nimirum, post vsum monetæ, apud *Hungaros*, inualescentem, multum adulteratæ pecuniæ, vel inuectum in regnum, vel per *falsarios*, quemadmodum vocat ius *Hungaricum*, clam procusum est. Id, vt a suis auerruncarent malum, reges, atque potissimum CAROLVS I. singulari decreto, quod supra meminimus, rei monetariæ, & quod inde redundabat, *lucro Cameræ Regiæ*, consultum iuerunt. Proinde, signandæ quidem monetæ ius, *Comiti Cameræ*, tunc *Ippolito, Castellano de Arva*, permisit; ne vero quid fraudis, siue, in feriundo auro argentoue, siue, in *cambiendo* eodem, subreperet, duos arbitros constituit, qui id, summo studio, curaque, præsentes cauerent. Hi vero fuere: *homines*, quemadmodum illic dicuntur, *Archiepiscopi*, & *Magistri Tauernicorum*. Quid eorum fuerit officii, optime, ex *decreti* verbis, addiscas: *Ipse* Comes Camerarum *nostrarum, in ciuitatibus nostris, vbi monetæ nostræ fabricantur, debet habere duo scrinia; in quorum vno ferramenta formalia, sub sigillis* hominum, Domini Archiepiscopi, & Magistri Tauernicorum, *conseruentur; in altero vero virgulæ, pro monetis fusæ, absque monetis nouis, sub sigillis tribus, eorundem trium hominum, videlicet*, Domini Archiepiscopi, & Magistri Tauernicorum, *aperiantur; nec possint aliquo ipsorum absente, aperiri, vel opera monetarum exerceri: ita, quod si idem* Comes Camerarum *nostrarum, ipsis duobus testibus absentibus, vel aliquo ipsorum absente, fractis lancibus, & sigillis, monetas faceret fabricari, per ipsum* Magistrum Tauernicorum, *tanquam falsarius, puniatur: dummodo hoc iidem homines*, Domini Archiepiscopi, & Magistri Tauernicorum, *fateantur. Specialiter, dum funditur argentum, omnes personaliter adesse debeant, & singulis septimanis, ipsos nouos denarios nostros, ipsi homines*, Domini Archiepiscopi, & Magistri Tauernicorum, *in (m.) combustione, quadraginta eorundem nouorum denariorum, debeant examinare: & sic iidem noui denarii, cambio exponentur.* Quæ præterea eorundem hominum *Archiepiscopi*, & *Magistri Tauernicorum*, partes fuerint, eodem CAROLI decreto, perscriptum est. Ob hunc vero, & reliquos, *Archiepiscopalis*, & *Tauernicalis*, hominum labores, præmium vtrique

eius rei origo:

Piscatorium officium, ex Caroli I. decreto:

m.) Germani, *Die Probe*, dicunt. Itaque, sensus fuerit; vt iidem illi homines, in hebdomadas singulas, *quadraginta* nouos *denarios*, experiundi causa, an probum sit argentum, igni liquefacerent. quas operas, tunc forte, *Egetés*, id est, combustionem, adpellauerunt.

vtrique constitutum fuit, quod iam *Piseti* (*n.*) nomine venit: *De quibuslibet Marcis*, inquit decretum, *pro lucro Cameræ, in quibuslibet Comitatibus dicatis, & exactis, vnum grossum, seu vnum pondus*, homini Domini Archiepiscopi; *alium vero grossum, seu pondus, homini Magistri Tauernicorum, dare & soluere tenebitur, Comes Camerarum prædictarum.* En, *Piseti Archiepiscopalis* insignem confirmationem! Postea, LVDOVICI II. ætate, duo illi homines, *Archiepiscopi* alter, alter *Magistri Tauernicorum*, diuisim, monetæ cœperunt adtendere; iste quidem *Budæ;* ille *Cremnitzii* (*o.*) Eandem legem redintegratam a FERDINANDO I. legimus: maxime, A. MDLIII. vbi disertis verbis, *Piscarii* istud munus, ad priuilegia Ecclesiæ Strigoniensis, referri videas. *Aduertat*, inquit, (*p.*) *iuxta consuetudinem veterem, Dominus Reuerendissimus Strigoniensis, & eius* Piscarius, *ne quis error, aut fraus, in cusione huiusmodi, & ferramentis, iuxta veterem consuetudinem, & Ecclesiæ suæ priuilegia, (q.) committatur.* Vniuersa autem, muneris, quod *Piscario* iniungebatur, procuratio, planissime, decreto anni MDLVII. (*r.*) perscripta est, quod sic habet: *Est autem in primis summe necessarium, vt per Regiam Maiestatem mandetur serio domino* Strigoniensi, *vt iuxta decretum & constitutiones diuorum quondam Hungariæ regum, in cusione auri & argenti, officio suo superintendat & satisfaciat: itidemque sua Maiestas mandare dignetur officialibus suis in* Camera Cremnitziensi, *& aliis Cameris, vt ipsum Dominum Strigoniensem, eiusque* Piscarium, *ad exercendum officium suum, ad quod est regno iuratus, semper admittant. Idemque* Piscarius, *interesse semper, dum aurum & argentum in Cameram Regiam præsentatur, vt sciat, veluti contrascriba quidam, quantus numerus auri & argenti, singulis hebdomadibus præsentetur ad Cameram; quantum etiam confletur, ex quo* piseti *ipsius prouentus, pro suo officio* Piscarii, *reddi debeant: quo eo magis præcaueatur, auri & argenti non cusi (s.) exportatio: exceptis tamen propriis necessitatibus Regiæ Maiestatis, & Serenissimorum liberorum. Eo quod exportatio huiusmodi, in damnum regni,*

Piscatorium ex Ferdinandi I. temporibus.

n.) PISETI vocabulum, incertæ originis, adfirmant esse. Ego, ex Hungarico FIZER, id est, *soluit*, deriuarim: eo quod pondus illud, Hungaris *Nehezik*, dabatur homini Archiepiscopali, a quibuslibet Marcis, salarii loco: quod Hungari *Fizetés* adpellant; vnde vltima syllaba detruncata, *Fizes*, seu *Fiset*, & cum noua terminatione, *Piseum* factum fuisse, reor. Hæc ex ingenio: reuera autem, vox est Gallica, quod alibi docebimus.

o.) Artic. XIX. A. MDXXI. Ne autem prouentus, ex cusione monetarum, &c. faciat sua Maiestas regia, fidelem *Domini Magistri Tauernicorum* hominem, *Budæ*, cuforibus ipsarum monetarum semper adiistere: *Cremnitziæque Piscatorium Archiepiscopi Strigoniensis*, de veteri consuetudine, & more alias solito, pariter admittere: qui cusioni illarum superintendere, & prouentibus quoque suæ Maiestatis exinde fiendis, fideliter euigilare teneatur, ne fraus & dissipatio in eis committatur.

p.) Articulus eius anni XXII. Legat, qui volet, veterem querelam, anonymi, *Piseti*, & *Viburarum* causa, ad calcem *Decadum* BONFINII, adtextam.

q.) Multa eorum sunt, & antiqua. Inde enim, ab EMERICO rege, cuius initia, in annum MCXCVII. inciderunt; vix vllus regum fuit, vsque ad seculi XVII. exordia, qui non adfirmarit *Archiepiscopo Strigoniensi*, Piseti iura, quod, in *Archiepiscopali Tabularii* indice, cuius mihi copia est, obseruaui.

r.) Artic. XV.

s.) Confer Anni MDLIII. Articulum LXXIII.

Regiæ Maieſtatis, & prouentuum dominii Strigonienſis vergit, non mediocre. Atque hæc quidem, priſco illo iure, & *Strigonienſis Archiepiſcopi*, prærogatiua fuit, & *Piſetarii* ſui officium. Hodie, *Parochum Cremnitzienſem*, PISETARII munere plerumque fungi, & cum prouentibus Archiepiſcopi aliis, tum *Piſetis* etiam, ne quid intertrimenti accidat, ſollicite adtendere, relatum accepimus.

§. VII.

Camera *Cæſareo-Regia*:

HVcusque, domus *Piſetariæ* mentio, nos detinuit. Nunc, Aerarium, ſiue *Cameram Cæſareo-Regiam*, vt memoremus, rei dignitas videtur poſcere. Domus eſt, verſus portam ſuperiorem, in eorum ſecedens,

eius ædificium:

ædificio amplo, (*t.*) quodque indito nomini, haud male reſpondeat. Frons ædium, orientem ſimul, atque meridiem, obtuetur, geminaque adſurgit contignatione; quarum inferior, fornicibus ſubſtructa eſt, ad metallicos vſus deſtinatis; ſuperior, in conclauia abit, habitatu peropportuna. quæ ideo, a *Quæſtore, Perceptorem* vocant, incolitur. Quod intra prætorium ſpatii ſuperat, in aream procurrit amplam. Hanc, monetaria officina, a ſiniſtris claudit, pluribus definita hypocauſtis, in quibus operæ fiunt, fundendo partim, partim ſignando argento, deſtinatæ. Vidit domum, non ſine obſeruatione,

officina monetaria, a TOLLIO *deſcripta:*

TOLLIVS: *Proximus*, inquit, *huic dies, conſiderandæ officinæ monetariæ, tributus eſt: vbi laminarum argentearum, in longas veluti tænias, ducendi, & harum deinde, per rotulas, leui opera, in rotunditatem abſcindendi, tum nouo inuento, per rotulas item, impreſſione facta, ſignandi facilitatem, & miratus, & ipſe meis manibus, expertus ſum.*

nouæ ſignandæ monetæ ratio:

Nouum adpellat, ſignandæ monetæ inuentum, quod hodie obſoleſcere incipit. Machina iam vtuntur, quæ impulſu mota temperatiore, immiſſam metalli lamellam, ſcitiſſime ſignat; quin, & numi ambitum, leuiſſima opera, litteris inſignit, CAESARIS noſtri conſtantiam loquentibus: lemma eſt nimirum: CONSTANTER CONTINET OREEM, ex eius ſymbolo petitum, quod eſt: CONSTANTIA ET FORTITVDINE. Primus, qui hanc ſignandi auri argentique rationem, in vrbem intulit, *Baro de Thauonath* fuit, luſtris pluribus, axiomate *Comitis Cameræ*, noſtra ætate, perfunctus: artifice & ſculptore, omnium ſcitiſſimo, *Daniele Warou*, vſus, qui anno demum MDCCXXIX. vita functus eſt. Atque, elaboratum ſane, in arte pulcherrima, poſtea eo ſucceſſu fuit, vt iam *Cremnitzienſis* moneta, ſiue aureum (*u.*) ſpectes, ſiue argenteam, non tantum, metalli

t.) Præter *Camerale* iſtud prætorium, plures domos, in vrbano fundo poſitas, *Camera* habet, quarum illa ſunt nomina: *Verwalt-Haus*, ibiero *cereuiſia educibo*, vt vocant, præcipua; *Ober & Unter-Zinnarth*, olim forte, *Ziehe-Werck*, quod officina hic ſit, in qua, impellente machinas aqua, fuſæ ex argento virgæ, in laminas, monetæ idoneas, diducuntur; *Handelſtall*; *Dambäuſel*. Item, *Malleus Cæſarem*, ſiue *Der Kayſerliche Hammer*, ferramentis metallicis fabricandis, factus; *Taberna Carbonaria*, ſeu *Kohl Kram*; *Saccorum adicula*, alias *Patienten-Häusl*.

u.) Auro ſignando diuerſa, ab argentaria illa, officina monetaria, deſtinata eſt, vt expeditius fieri poſſint omnia.

talli præſtantia; ſed venuſtate etiam, omnes, totius *Europæ* numos, multis modis antecellat. Neque opus hic verbis eſt, vbi rerum adſunt teſtimonia, apud gentes etiam barbaras obuia. Quo enim non penetrarit numus *Cremnitzienſis?* Cuduntur autem hodie præter venuſtos *aureos*, ſpectatiſſimæ formæ, ſolidi *Vallenſes, Rhenenſes*, & *dimidii*. Sed TOLLIVS,

forma numorum TÖKÖLII, *a* TOLLIO, *hic obſeruata.*

quid in officina monetaria, monſtri viderit, pergit dicere. *Oſtenſa hic mihi, rebellium Hungarorum ducis, principis* EMERICI TÖKÖLII, *inſignia; vti & aurei numiſmatis, ſiue Ducati Hungarici, cudendi forma. Numiſmatis quidem, quantum memini, ab altero latere, hæc erat inſcriptio:* LVDOVICVS XIV. GALL. ET NAV. REX; *Ab altero vero:* PATRONVS HVNGARIAE. 1678. *Inſignia autem, hac inſcriptione ambiebantur:* EMERICVS TÖKÖLY PRINCEPS, ET PARTIVM HVNGARIAE DOMINVS. *Cuſi ne ſint, ad iſtam formam, numi, quamquam in eos diligenter inquirebam, vt, vel vnum ſaltem, mihi in memoriam compararem, reſciſcere a Cæſarianis, non potui.* (*v.*) Scilicet, iſtis ſibi lemmatibus, hominum infeliciſſimus, blandiebatur. Nihilo æquior, & is numus eſt, quem iisdem annis, atque in hac officina, TÖKÖLIVS, procudendum curauit, & cuius nos ipſi, plumbeum ſimulacrum, in facinoris memoriam, adſeruamus. Eius pars altera, TÖKÖLII faciem, cum ementito *ducis* titulo; altera, equum refert, intra duas pilas, tamquam in equeſtri gymnaſio, reuulſis loris, domitoreque excuſſo, ac pedibus conculcato, hinnientem frementemque, cum ferociæ iſto ſymbolo: SIC VIRTVS NESCIA FRENI. Prorſus, ac ſi infrenis eſſet, atque diſciplinæ impatiens, virtus, natura ſua, diuiniſſima. Nempe, cum aliud, neſcio quid, voluit, rebellionis indolem, cuius erat molitor, ſui oblitus, expreſſit miſer.

§. VIII.

Rákóczii, *in re monetaria, noſtra ætate, maleficium.*

LOngum foret, infelices iſtiusmodi umbras, ſtilo delineare. Non poſſumus autem, quin, noſtræ ætatis calamitatem, quam, & *vidimus*, & ſenſimus, apud ſeram poſteritatem, queramur. Peruaſerat, vniuerſam Hungariam RÁKÓCZIVS, ſeque ducem concitatæ multitudinis, ac pene regem, faſtoſe gerebat: cum *ius* ſimul *cudendæ* monetæ, auſu omnino ſacrilego, principi legitimo eripuit, eoque poſtea, ita abuſus eſt, vt dubium fecerit, bellone iniquiſſimo, an ſua illa re monetaria, *Hungariam*, magis adflixerit. Aes primo cyprium, in *polturas* A. MDCCIV. conflari cœptum; pulcherrimo obtentu, vt in promptu numi eſſent, quibus in metallicas operas, ſumtus idonei fierent. Mox, vbi lucripetæ auidiſſimi, *Berſenius* in primis, aduertiſſent, quantum hoc artificio, ad theſauros furtim auctitandos, proficere poſſent, æreæ huius monetæ, neque modum, neque finem eſſe voluere. Nam, præter minutum, quod diximus, numi genus, maiores alii, *quinque*, atque *decem groſſorum*, indito pretio, tanto numero

v.) Neque mihi viſus vnquam numus eſt; tametſi, haud incurioſo, rerum iſtiusmodi: vt credam, varietate fortunæ, qua vtebatur TÖKÖLY, numum eum, a luce publica, fuiſſe prohibitum; ſaltem, cum auctore ſuo, abiiſſe ſub umbram.

mero procudebantur, vt biennii, trienniue ſpatio, argentum omne aurumque, vulgo euanuerit. Ne autem, turpiſſimo ſceleri, æquitatis deeſſet prætextus, lemma numis impreſſere, inſanius ne, an iniquius, neſcio: PRO LIBERTATE, (*x.*) inquiunt: ſcilicet, vt plebem auro argentoque emungerent, aurea tempora, cum æneis, maleficentiſſime permutarunt, egregii patriæ liberatores, obliti ENNIANI illius:

Aurea libertas, toto non venditur auro.

Accedebat facinori, publicum latrocinium. Plebem, nimirum, ruſticam & qui, ſeu opificiis, ſeu mercatu, rem faciebant, ſeueriſſimis ſenatus conſultis, adigebant, merces ſuas, auro argentoque, aut certe, multo ſudore partas, viliſſimo illo ære, vti venderent; quod, qui facere detrectabant, carceribus partim, partim mercium damnis, mulctabantur. Quibus rebus, factum paſſim fuit, vt ad ſeditionem (*y.*) res vergeret: cum interim aurum, argentumque, primores, (*z.*) auariſſime (*a.*) interciperent. Nam, id quoque ſignabatur, ſed profecto, non minore maleficio: quippe, & nomine, & imagine, optimi principis, tamquam nullus eſſet, exſulare a formis monetariis, iuſſis. Tacemus, memoriales *Rákóczii* numos, (*b.*) quos in *Cremnitzienſi* hac officina, fundi curauit, egregio, ſi diis placet, inſtituto; vt armorum, quæ in regem, immo patrem, corripuerat, memoriam, poſteritati commendaret. Sed nos de re monetaria, vberius alibi (*c.*) fuſiusque dicemus.

§. IX.

x.) Communi demum conuitio, LIBERTASCHII dicti, neque vnquam, niſi addita imprecatione, a populo, numerati, memoratiue.

y.) Talis fuit *Sobemnitzienſium* tumultuatio *metallicorum*, aduerſus temporarium *Cameræ præfectum*, IOHANNEM GODOFREDVM, L. B. ab HELLENBACH, inauſpicato concitata. Vide, Hiſt. SCHEMNICH, §. XXIII. Tomo hoc IV.

z.) Vix erat quiſquam, aliquo, apud *Rákóczium*, loco habitus, qui non ea ſe maleficio contaminarit: cum contra, ipſe dux ſeditionis, quod ab hoc rapinæ genere ſe abſtinuit, pauperrimus e regno abierit.

a.) BERTSENIA, Harpyiarum rapaciſſima, in eam artem, *oculos Argi, manus Briarei, Sphingarum vngues*, penitus nouerat adhibere. Hinc, modo *Bojnitzii*, modo *Neoſolii*, tamquam in ſpecula, excubabat, vt rei monetariæ inſidiaretur, atque, ſignatum aurum argentumue, latrocinantis inſtar, ſuum faceret.

b.) Tres nobis ſuppetunt, *exordia*, *incrementa*, atque *progreſſus*, diriſſimæ, quam fecerat, ſeditionis, oſtentantes. *Primus*, LIBERTATEM captiuam, dextra catenas, ſiniſtra auiculam, iamiam euolaturam, gerit, quam, hinc *leges*, *iuſtitia* illinc, virgineo indutæ habitu, compedibus exſoluunt: cum inſcriptione: DIMIDIVM FACTI, QVI BENE COEPIT, HABET: atque ſubtus: OPERE LIB. INCHOATO. A. MDCCIII. XIV. IVNII.

Alter, in conuentum *Szécſénienſem* fuſus; tres virgines *Veſtales*, coronis redimitas, & ad aram ſacrificantes, aſſidoque igni, ſarmenta adgerentes, refert: cum inſcriptione: CONCVRRVNT, VT ALANT: & inferne: CONCORDIA RELIGIONVM ANIMATA LIBERTATE. *A. MDCCV. in Conu. Széc.*

Denique *Tertius*, HERCVLEM monſtrat, claua hydram profligantem, cum inſcriptione: TENDIT PER ARDVA VIRTVS. Facie auerſa, in numis, quos dedimus, ſingulis, vultus RAKÓCII viſitur, haud inſcite, a *Waroquio*, exſculptus, atque titulis circum inſcriptus, quos ille, inuito ſuperum numine, ſibi rapuerat.

De his ergo numis, accipiendus eſt WAGNERVS, *Hiſtoriæ* LEOPOLDI M. Lib. VIII. p. 743. quando, *numos argenteos atque aureos*, libertatis, *& ſua, imagine procudi* curauiſſe *Rákóczium*, memorat. Reliqua certe, quæ tunc conflabantur, moneta, nuſquam eius imaginem retulit, ſicuti recordamur adhuc.

c.) In Hiſtoria METALLORVM HVNGARIÆ, ſi, volente DEO, Geographico huic operi, ſuperuixerimus.

§. IX.

Origo Cameræ Cremnitzienſis, ex auctoris ſententia.

CEterum, *Regiæ*, apud Cremnitzienſes, *Cameræ*, quæ metallicis reliquis dedit originem, non eosdem, ab omnibus, natales adſcribi video. Sunt, qui eosdem, vltra CAROLI I. ætatem reponant, auctoritate eius decreti, quod ſupra memorauimus, inducti. Neque eſt, cur ei opinioni contraeamus, ob veterrimum *Piſeti* ius. CAROLO *regnante, & priorioribus, fuerunt complures* Cameræ *in Hungaricis terris; nempe, Budenſis, Quinqueeccleſienſis, Sirmienſis, Cibinienſis, Cremnicienſis:* ſcribit TIMON, ad annum CAROLI emortualem. Ergo, ita ſentio: non longo poſt interuallo, quærenda eſſe *Camerarum montanarum* exordia, quam, immiſſi huc *Saxones*, metalla cœperunt ſcrutari. Quod equidem, ita factum exiſtimarim. Illectam, ſpe lucri, gentem peregrinam, *diutius*, quod eius priuilegia loquuntur, benigne, atque liberaliter, habitam fuiſſe remur. vt, & operas, & ſumtus, in metalla, *Hungaris*, ob ruditatem, qua tunc erant, inacceſſa, eo promtius impenderent. Mox, vbi reditibus, quos ex venis accipiebant, ditatos aduerſum eſt, *Vrburas* (*d.*) ab eis REGES exegere; hoc eſt: *decimam*, cuiuscunque metalli, quam eliquarunt, *partem*. Quæ tributi rationes, oppido æquæ, longa annorum ſerie, durauerunt; dum, ad fraudem prolapſi *Saxones*, *vrburas* illas, e viliori metallo, quam quod erutum eſt, regibus dependerent. Ergo, vt dolum auerruncarent, additi ſunt, qui *Vrburis* ſollicitius adtenderent, neque in regum rationes, niſi probum decoctumque metallum, referrent. Hac prouincia, qui fungebantur, regio, vti decuit, iuſſu, niti oportuit. Verum, in tanta auri fame, cum facile, *Argum* falli contigiſſet, quidquid metalli erutum, fuſumque eſt, in regis poſtea rationibus, cenſeri oportuit. Cum enim hucusque, aurum, argentumque vendere, quibus libebat, *Saxones* potuerint; tunc primum, vicinorum exemplo, in *Cameram* id regiam deferri, poſteaque, ſignato, ſeu auro, ſeu argento, permutari oportuit: *vrburis*, quas ſuo arbitratu pendebant antea, eadem *Cameralium* opera, detractis. Ex his initiis, (*e*) *Cameras metallicas* increuiſſe, vt exiſtimemus, eodem loco, quem ſupra adduximus, cum *Piſetorum* originem indagaremus, ſumus perſuaſi. Adde, inſigne illud CAROLI I. decretum, atque regum, qui eum exceperunt, leges

d.) VRBVRA, cenſus eſt regius, ex mineris, quas priuati colunt, pendi ſolitus. Primitus, non aliud ſignificaſſe, quam VR-BORA, id eſt, *Vinum Domini*, ſeu *Dominale*; (Germani, *Wein*, ſeu *Trink-Geld*, dicerent) opinatur, IOHANNES SZEGEDI, S. I. in Rubricis Iuris Hung. p. 51, (*a*) forte, quod Domino eius fundi, vbi eruebantur mineræ, ad agnoſcendam *iurisdictionem*, dabatur. Hinc demum, ciues, metallis operantes, honorario vocabulo, VRBVRARII ſunt dicti. Placet SZEGEDII hæc coniectatio; cum promiſcue, redituum tabulas, & in aliis hæreditis, *Vrburaria*, vocent Hungari. Sed, de *Vrburarum* metallicarum iuribus, videſis, LVDOVICI I. Decr. A. MCCCLI. Artic. XIII. MAXIMILIANI Decr. VI. Art. XIX. &, quæ huic citantur, reliqua.

e.) Alterius enim generis *Cameras*, & quo prouentus regum alii congerebantur, iam tum S. STEPHANI ætate, inſtructas fuiſſe, Tomo Operis I. in Hiſt. Vrbis Piſon. Cap. V. Art. V. §. 1. p. 438. docuimus, quæ, ſi volet, recolat, lector.

creberrimas. Qui his certiora dederint, gratiam apud nos, inibunt, haud vulgarem.

§. X.

Eiusdem habitus hodierni:

IAm, quomodo se hodie, *Cremnitzienſis Camera* habeat, & quibus administretur officiis, lector docendus est. Totam eam, in REGIS esse potestate, ex his, quæ iam adtulimus, condiscas. Itaque, procuratio simul, ab eius arbitrio pendet hodieque. quam *Camera Viennenſis Aulica*, proco, atque id ex publica vtilitate est, perpetuo moderatur. Ab hac, sed CAESARE conscio, & prorsus annuente, *Comes Cameræ*; summum totius rei metallicæ præfectum, iure dixeris; eligitur. qui, pro re nata, in vna montanarum vrbium, resideat, necesse est. Ad eum pertinet, non modo prouidere, ne quid detrimenti fodinæ, cuiuscunque generis, capiant; sed curare etiam, vt incrementis quotidianis, augeantur; operæ omnes, ea, qua par est, dexteritate, fiant; neque committatur quidquam, quod, siue Cæsaris reditibus, siue vtilitati horum, qui in metalla sumtus faciunt, fraudi esse possit. Proinde, perpetuum quasi obseruatorem dixeris, puteorum, cuniculorum, venarum, &, quod, seu liquandis, seu examinandis, seu signandis metallis, officinarum conditum est. Eius nutu, & auctoritate, summa imaque, maxima & minima, administrari oportet. Certe, quidquid plures munerum seorsim obeunt, id omne, in *Comitem Cameræ* recidit: vt adeo, honoris illud vocabulum, si partibus suis, rite velit defungi, tantum oneris habeat, quantum vix crediderint, nisi, qui id penitus cognitum habent. Subsunt ei, magistratus reliqui, atque in his, duo præcipue: quorum alterum, *Quæſtorem*, alterum *Commentarienſem*, accepti & expensi, latine (*f.*) dixeris. Coniuncta horum sunt munia, & istis fere partibus absoluuntur; vt ille quidem, reditus accipiat, sumtusque, quos fieri necesse est, moderetur; hic, vtrorumque rationes, in tabulas referat. quas, annis singulis, quam accuratissime subductas, dispunctasque, seorsim vterque, *Aulicæ Cameræ*, submittant, oportet. Quidquid præterea, a reliquis operarum præfectis, in rationes relatum est, iidem isti duum viri, recognoscunt, possuntque ideo, *procuratores a rationibus* dici. Suus, priori illi, *Vicarius* (*g.*) est, vtrique autem, adstricti, iureiurando, scribæ singuli. qui, quod est necessum, in litteras, fide optima, referant. Sin vero, quod euenit frequentius, secreti quidpiam, siue *Viennam*, ad *Cameram Aulicam*, siue ad absentem *Comitem Cameræ*, perscribi debeat, *Commentarienſis* ea est prouincia; vt idcirco, *Secretarius Cameræ* simul adpelletur.

Comitis Cameræ officium:

Quæſtoris & Commentarienſis, accepti & expenſi, munia.

§. XI.

f.) Vulgo, ille *Perceptor*, hic *Regiſtrator* dicitur. Germanis: *Einnehmer*, & *Buchhalter*.

g.) Germani: *Amts-Verwalter* vocant. Olim, & ipsi *Cameræ Comites*, vicarios suos, *Cremnitzii*, & *Neosolii*, habuere, quos *Sub-Comites*, etiam *Supremos Administratores*; Germani: *Unter-Cammer-Graffen*, *Ober-Verwalter*, *Mitte-Verwalter*, *Unter-Verwalter*, adpellabant, qua dignitate, ROTHII *de Rothenfels*, aliquando emicuere.

§. XI.

Reliquiperarum præfecti: Exploratormonetalis.

RElIqui operarum præfecti, istis fere officiis, distinguuntur:

1.) *Explorator*, seu *Docimaſtes Monetalis*, siue, auri & argenti, tum puri putique, tum eius, quod pro monetæ, in quam conflandum est, portione, arte, vix alibi terrarum cognita, permiscetur. Quocirca, monetæ quoque, operisque iis præest, quæ metallum signandum, fundunt, inque laminas procudunt. Germanis *Wardein* dicitur. Huic, *scribæ*, & *explorator antagoniſtes* additus est. *Contra-scribam* barbare, Germanice, *Gegen-Schreiber*, item *Gegen-Probierer*, vocant. qui idem, scribæ munere, in fusoria quoque officina, defungitur.

Montium & ſiluarum magiſter:

2.) *Montium, & ſiluarum Magiſter.* Eius est, fodinas frequenter perlustrare, cuniculos subire, descendere in puteos, siluas cæduas, ab iniuria tueri, aquæ ductus, sartos habere, ac, si quid litium (*h.*) metallicis, vti euenit toto die, intercesserit, id, ex legum metallicarum præscripto, diiudicare. Ad eundem hunc *Montium Magistrum* adtinet, campum metallicum his designare, qui mineras scrutari, nouis operarum experimentis, cupiunt. Germani *Schürffen* vocant, quando, depactis ligneis humi signis, noua eiusmodi regio, definitur: quæ demum iura, quotannis, instaurari oportet, si rata atque intemerata habere cupiunt *Vrburarii*. quod *Friſten* dicunt Germani. Sed neque fodinam, seu deserere, seu vendere, integrum cuiquam est, nisi conscio *Montium Magistro*, & adprobante singula. His muneris sui partibus, ex æquo obeundis, saltuarios, lignatores, hydragogos, seu liberatores aquarum, sibi habet obnoxios. Certe, siluas cædere, ciuis sit vrbicus, aut *Cameræ* rationibus obstrictus, nemini licet, nisi, qui ab isto magistratu, prætore item vrbis, tesseram acceperit. Quapropter, adulto more, *Senator*, simul est ciuicus, idemque ordine, nunc *tertius*, nunc *quintus*. Germanis *Berg- und Wald-Meiſter* dicitur.

Procurator Cameræ:

3.) *Procurator Cameræ*, vel, vt cum vulgo loquamur, *Prouiſor*. Hunc *Zeugſchaffer* Germani nominant, vocabulo, a muneris, quæ iniuncta sibi sunt, partibus arcessito. Nimirum, quidquid argenti viui, seu *Mercurii*, æris cyprii, chalybis, ferramentorum, reliquum metallicorum, pulueris pyrii, currulis supellectilis, & quadrigarum, requirunt operæ, domus item *Cameræ*, & *monetaria*, eius id procuratione, continetur. Præterea, ædium, quas *Camerales* vocitant, curam gerere, incendia, & damna cauere, adparitores, atque satellites, in officio continere, eisdem, & ministeriis aliis, salaria dependere, vigilias, ex more, dislocare; quin & fœnisecii, quod in prato, *Rennwies*, fieri sueuit, rationem habere, inter eiusdem muneris partes, refertur. Iam, & consultationum, quas in commune institui moris est, aduersaria,

h.) Lites intelligimus, *pure metallicas*. Nam, causæ *ciuiles*, & *criminales*, ad vrbicos magistratus pertinent: more ciuitatum reliquarum.

saria, *Protocollum* dicunt, ab eodem hoc procuratore, omni adtentione, conscribuntur, curanturque ea singula, quorum expeditio, ad *Secretarium* adtinet.

Sculptor ferramentorum:

4.) *Sculptor ferramentorum*, quæ sunt, auro argentoque signando, necessaria. Hæc ille, formis, quam scitissime incidit, &, si intra operas, vitii quiddam capiant, instaurat. Idem, & numismatum memorialium, si opus sit, sculpendorum, fundendorumque, ius habet; certe, vniuersim, officinæ monetariæ, præest, ac, ne perperam signentur numi, prouide cauet, cum duobus aliis, quos in eadem procuratione, collegas habet. Vocatur Germanice, *Ober-Eisen-Sencker*; collegæ sui, vulgariter: *Eisen-Sencker*. Vni *Danieli Warou*, quem supra laudauimus, id dignationis, ob eximiam culpendarum formularum artem, adtributum est, vt, *Kayserlicher Cammer-Medaillieur*, seu *Memorialium Cæsarianorum numorum fusor aulicus*, diceretur. Ei profecto, artificiosa illa, qua iam, cum exterarum gentium adprobatione, vtimur, cudendorum numuum ratio, in acceptis ferenda est.

Fodinarum Procurator:

5.) *Fodinarum Procurator*, Germanis *Berg-Schaffer*. Impensius hic, quidquid in fodinis, subterraneorum est operum, procurat. Proinde, frequentius, cuniculorum, puteorum, & meatuum quorumuis, substructiones, ne temere dehiscant, recognoscat, metallicos debite dislocet, eorumque operi, per ἐγκόλπους, *Huth-Leuthe* vocant, sollicitissime adtendat, necesse est. Ad eius curam, & *Metallici Tudes*, (*i.*) *Lauatoriæ* item *officinæ*, pertinent.

Supremus Cementarius:

6.) *Supremus Cementarius*, ac latinius forte, *Fusorum præfectus*, eo, quod Germanice *Ober-Cimentierer*, dicitur. Data ei prouincia est, (*k.*) vt fusoriis operis, quæ aurum argentumue, defecant, scrupulosius adtentat, quodque, conflandum in monetam est, *in* vasa fusoria, immittat, ære contemperet, atque colliquatum, in laminas diffundat. Antehac, aurum, argento maritatum, *Schemniczium* dimittebatur ad secernendum; nunc, quia officina ea, *Cremnitzium* delata est, domi, operæ eæ sudant. Fiebat hoc, in singulas fere hebdomadas. In eum finem, *currus*, quem *argentarium* vocant, vltro citroque commeabat, sex, & si quieta erant tempora, duorum equitum argentariorum, quos tribunus ductitat, præsidio comitatus. Hodie, curru eodem, deuehitur *Schemniczium*, moneta recens cusa, dissoluendis illic operis, necessaria: reuehiturque inde, quidquid hebdomadario prouentu, auri, argentique, coactum est, isthic postea, defecandum, signandumque

Scriba metallicus:

7.) *Scriba Metallicus*, cui *Berg-Schreiber* Germanicum nomen est, muneris autem ista ratio; vt, metallicorum, qui operas locauere, nomina, cum penso, quod testibus ἐγκόλποις, confecere, singulis antea, nunc

i.) Germanis sunt *Buchwerck*.

k.) Partes has muneris, *Supremo auri Coemptori*, quem Germani, *Ober-Gold-Einlöser* dicunt, adtribuunt. Redimit is, designato pretio, *Aurum*, & *Argentum*, ab *Vrburariis*, veterrima lege, ad *Cameram* delatum. Nomen huic officinæ est: *Die Kayserliche und Gold-Kunst-Handlung-Cremnicz.*

nunc duabus hebdomadibus, in tabellam referat, rationes expensarum subducat, ac tandem, præsentibus duum viris, *Quæstore* videlicet, & *Commentariensi accepti & expensi*, quin fodinarum etiam procuratore, suam cuique mercedem, ex æquo, & pro operis ratione, vt ne querelis locus sit, dependat.

Promus Condus:

8.) *Promus Condus*. Germani *Zeug-Schreiber* vocant. TOLLIVS (*l.*) non inepte, *Necessariorum præbitorem*, nominauit. Curæ huius commissi sunt, equi, anterioribus fodinis Cæsareis, necessarii, vna cum eorum pabulatione, ac rectoribus. Ergo, quidquid huc pertinere existimat, mature id, & quam potest, pretio æquissimo, comparat, vt præsto sit, vbi id vsus postulauerit. Emtorum rationes, probe dispunctas, *duum viri*, quos nunc nominauimus, scrutantur, æsque impendendum, *Promo* huic *Condo*, numerant. Idem, si *montanum Iudicium* habeatur, *Notarii* munere, veteri instituto, defungitur. (*m.*)

Tribunus Monetariorum, siue Libripens.

9.) *Tribunus Monetariorum*, siue *Libripens*. Ad hunc pertinet, pensi habere, vti moneta omnis, iusti sit ponderis. Igitur, si quid erratum fuerit, eius est, id, quod ponderi decesserit, cum suis operis, compensare. Quod simul, fabris ferrariis, & quorum opera, ad rem monetariam, requiritur, præest, Germanis *Schmied-Meister* vocatur.

§. XII.

Causa, cur hæc adnotarit auctor.

NOn piguit, ista, de rei metallicæ præfectis, adnotauisse, vt palam constet, quanta adcuratione, cum vniuersa res, tum singulorum munia, obeantur. Nempe, iurata fide, elaborandum cuique est, ne partibus suis desit. Quia enim, discreta hæc, quæ recensuimus, officia, ita cohærent inuicem, vt vnius vitium, atque aberratio, non possit non, propemodum in reliquas omnes, tamquam virus quoddam, magno plerumque damno, propagari; consociatis curis, studioque, opus est, ne quid, rantæ, & molis, & sumtuum, systema, detrimenti accipiat. Recens, sed profecto, numquam satis dilaudandum, *Comitis Cameræ*, JOSEPHI ANDREAE WENCZEL, *Liberi Baronis de Sternbach*, ante hoc lustrum, fato præmaturo functi, institutum est, isthuc faciens; vt metallici magistratus, & *Vrburariorum* primores, in hebdomadas singulas, in *Camera*, ad consultandum coeant. *Metallicum* quasi *senatum* quendam dixeris, cui *Quæstor*, seu *Perceptor* præsidet. Hic vero demum, quidquid, ad procuranda metallorum incrementa, auerruncanda contra detrimenta, vtile, aut certe necessarium, plurium sententia, visum fuerit, decernitur, quodque decretum est, ad *Comitem Cameræ*, defertur. qui, vocatis, sub examen, sententiis, quod e re arbitratur futurum, ratum habet; aut,

consultationes metallicæ:

earumdem ratio:

l.) Epistola Itineraria V. p. 183.

m.) Moniti sumus, PROMI CONDI munus hoc, cum PROCVRATORIS FODINARVM, cuius quinto loco meminimus, vt parceretur impensæ, coadunatum esse hodie.

aut, ſi id non liqueat, iterum iterumque, cum dubitationis rationibus, ad eundem illum *ſenatum*, remittit; immo, non raro, ipſe, cum eo, deliberato conſultat. Ingens inſtituti vtilitas eſt. Præterquam enim, quod, ſi erroris quidpiam, vti fit ex facili, ſiue in operis, ſiue apud harum præfectos, obrepſit, id ante in viam reuocari poſſit, quam ſe malum prorſus inſinuet, atque diffundat; ſingulis, qui, & rerum vſu pollent, & ſunt in commune vtiles, integrum eſt, id, quod partim ſuo, partim aliorum damno, didicere, aut obſeruauere alias, libere, & ſine obtrectationis metu, expromere. quæ omnia, quantum valeant, ad ſuſtentandas non ſolum; ſed locupletandas etiam, metalli fodinas, monere non eſt opus. Atque, hæ illiusmodi conſultationes, non ſunt cum *Iudicio Montano*, confundendæ. Totum hoc eo comparatum eſt, vt lites, ſi quæ inter metallicos, aut *vrburarios*, coortæ ſunt, ex legum metallicarum (*n.*) ſententia, definiantur, ſopiantur. Nam, & hoc ad metallorum incrementa, acceſſionesque redituum, pertinet; vt ſine querela, & hi, qui ſumtus faciunt, & qui locant operas, mutuo agant. Nullum, ei *iudicio*, quod ſciamus, præſtitutum eſt tempus; ſed, quemadmodum ſunt res, ſæpius, rariusue, habetur. Conſtat id, ex quinque *iuratis*, quos vocant, *adſeſſoribus*: quorum tres, e Cameræ magiſtratibus, duo, ex ſenatu vrbano, leguntur. Prætor, in iudicio hoc, *Montium & ſiluarum Magiſter* eſt, qui ideo, *Iudex Montanus*, Germanis, *Der Berg-Richter*, adpellatur.

vtilitas:

Iudicium Montanum.

§. XIII.

Metalli fodinæ *Cremnicienſes*: *duplex earum regio:*

VIdimus *Cameræ* magiſtratus. Nunc, quibus præſint metallis, in compendio, eam ob cauſſam dicendum eſt, quod fuſam eius rei tractationem, alii, idoneoque magis loco, adſeruamus. Vniuerſim, fodinarum regio, in *Poſteriorem*, & *Anteriorem*; Germanis, *Hinter, und Vorder-Zech*, diuiditur. Atque illa quidem, quam *poſteriorem* diximus, ab operis, *Cæſareo-regiis*, vnice colitur, nemine, in ſocietatem, admiſſo. Septem iſthic ſunt fodinæ, non nominibus tantum, & puteorum profundo; ſed potiſſimum, qualitate minerarum, diſcretæ inuicem. Iuuat ſingulas indicauiſſe.

poſterioris, putei:

Rudolphi: 1.) RVDOLPHI puteus, a CAESARE, eius nominis *ſecundo*, denominatus. Deprimitur is, ad orgyias CVIII. qua demum regione, cuniculus eſt, in apricum vsque pertuſus, per quem aquæ emanant. Operæ iſthuc, machinis hydraulicis, immittuntur, educunturque iterum, vna cum mineris; eximio profecto, & temporis, & ſumtuum, compendio. quod idem, in omnibus, poſterioris huius regionis, fodinis, obſeruauimus.

S. Annæ: 2.) S. ANNAE puteus, ita credo adpellatus, quod cum, diuæ patrocinio commendauerunt, primi cauatores. Eius profundum, CXXX. orgyiis

n.) Germani ius illud, *Berg-Ordnung* vocant.

orgyiis definitur; minera vero, ex eo eſt genere, quod Germani, *Gold-Gänge* vocitant, ob venæ auriferæ ſoliditatem.

Kribanus: 3.) KRIBANVS, ferax vitrioli puteus. Fallor, an iſtud eſt vitriolum illud, quod deſcripſit TOLLIVS, (*o.*) atque, negligentius ea ætate habitum, miratus eſt. *Quemadmodum* Schemnicizii, *ita & hic, diuerſi coloris* Vitrioli, *ab omni parte prorumpentis, lateraque obſidentis, copia conſpecta eſt: eratque in primis notabile, albicans eius genus, quod adeo accurate* Alumen *ſciſſile, ſiue* Amianton, *referebat, vt, primo me ipſum intuitu falleret. Erat, & aliud* rubrum, *in cruſtas duratum, tum etiam in* ſtirias *efformatum. Huius* vtriusque, *tum, & variis inter ſe permiſtis coloribus, adſpectu iucundiſſimi,* auriferique, *interque ipſas* auri venas, *excreſcentis, mediocrem ſufficientemque, meis conſiliis, copiam, inde retuli. Mirari deinde ſatis nequiui, cum hic abunde, magna* vitrioli *præſtantiſſimi copia peti, eruique poſſit, cur ad* Aquas Fortes *conficiendas,* albo, *alterius fodinæ* vitriolo, *de quo mox, vti malint, quam hoc; vnde certior, maioris, e contento* auro, *lucri ſpes eſt. Quamuis enim, in* Aquæ Fortis *confectione*, vitrioli *corpus, in* caput mortuum, *vt Chimici vocant, deſidat, vnde, ſi quid in eo latet* auri, *illud eruendum ſit;* volatile *tamen* aurum, *quod ei plurimum ineſt, vna cum* ſpiritibus, *in* recipientem *eleuatur, dumque ſeparatur, ab* argento, aurum, *huic adhæret, eiusque pondus atque quantitatem, auget. Ac tale quidem illud fuiſſe* vitriolum *exiſtimo, vnde illi* Monetario, *apud* BECCHERVM, *in* Phyſica *ſubterranea, viginti (p.) aut amplius, millium imperialium, lucrum, ex inopinato, obtigit. Non ego auro, nec diuitiis inhio, eaque de*

vitriolum, *huius ſoditiæ a* Tollio *laudatum:*

o.) Epiſtola Itineraria V. p. 175.

p.) Ex memoria hæc TOLLIVS, ideoque, non ſine errore. BECCHERVS certe, Phyſicæ ſubterraneæ Lib. I. Sect. III. cap. III. p. 142. decem millium Ducatorum lucri feciſſe meminit. Pulchra eſt hiſtoriola, quocirca, iſthuc adſcribenda, vt habeant, quo ſolentur auariſſimæ ſpes ſuas, cupidiſſimi illi aurifices: *Ciuitas eſt*, inquit, *in qua, neſcio, ob quas cauſſas,* Monetæ Præfectus, *debitis, variis & multis, inuolutus, aliquot millia florenorum debebat, ita, vt plane ad inopiam redigeretur, & vix non incarceraretur. His ergo in neceſſitatibus conſtitutus, anxie* DEVM *rogauit, dignaretur eum modo extraordinario iuuare, cum de ordinariis, nulla ſpes ſupereſſet. Ecce, contigit, quod neceſſum haberet, magnam* Aquæ fortis *copiam parare qua in monetæ vſu-ſe. In hunc ergo finem, emebat* Vitriolum, *quod pridie, in nauli, ex* Hungaria *aduexerat. Nam vrbs, de qua loquimur, ad fluuium Istrum* Vitriolum, *mi/cuit more ſolito, cum* Nitro, *& deſtillant inde* Aquam fortem, *prout in communi modo. Incepit in* Aqua forti, Lunam *ſolaare, & pars octaua, vt nigra paluda deſidit. Suſpicatus ille* Aquam furtem *non ſufficienter eſſe præcipitatam, & purificatam, denuo cum nouæ* Aqua forti, & Argento *probauit; ſed idem accidit. Probauerat cum alia* Aqua forti, *non cum hoc* Vitriolo *facta, & tota* Marca, *vix mediam* drachmam auri *tenuit. Fide, nouæ curæ inuolutus, timebat, ne tota* Aqua fortis *eſſet perdita, & nullius momenti. Nigrum namque pulueremfaces eſſe ſuſpicabatur; nam tantum fortuna ſibi non ſperabat. Tandem, vt mos eſt, decimata* Aqua forti, & edulcorata, *ac candefacta calce*, aurum purum *eſſe inuenit.* DEO *ergo gratias egit, & tacens, nihil fecit, niſi eo modo* Argentum, *cum* Aqua forti *ſoluere, & faſſus eſt primario monco, ſe ex præfatis decem centenariis* vitrioli, (tantum enim emerat) *& parata inde* Aqua forti, 10000 Ducatos *lucratum eſſe: quibus, non modo omnia debita perſoluit; ſed & ad priſtinum vigorem rediit. Finita autem* Aqua forti, *& deficiente* Vitriolo, *nunquam amplius facere potuit, niſi ipſe in* Hungariam, *eam gratia profiſceretur, vt percontaretur, quamnam ſibi ea Vitrioli faceret.* Hactenus BECCHERVS.

de cauſſa Cremnitzii *diutius hærere nolui, vt experirer: ſufficit, animum hæc aduertiſſe, quæ poſt* Cæſaris Miniſtris, *vna cum aliis multis, indicaui, vt, quid inde commodi proueniret, absque vllo ſuo incommodo, tentarent.* Hæc ille, de *Vitrioli* iſto genere. Quid vero ſua, quæ Cæſaris Miniſtris ſuggeſſit, conſilia profecerint, dicere non habeo. Ceteroquin, putei altitudo, orgyiarum hodie eſt LXXV.

Matthiæ: 4.) MATTHIAE *Archiducis* puteus, cum is, pro fratre RVDOLPHO, res Hungaricas adminiſtraret, ſic dictus, prioribus profundior multo: quippe, qui ad CLV. orgyias depreſſus ſit.

Leopoldi: 5.) LEOPOLDI puteus, memoriæ Cæſaris, regisque optimi, cuius nomen refert, dedicatus. Mixtæ hic ſunt, auri argentique venæ, quas, conflato demum metallo, ſeparari oportet. Habet deſcenſum orgyiarum CLXV. eſtque profundiſſimus omnium.

Diuinæ Benedictionis: 6.) *Diuinæ Benedictionis* puteus, ſi lubet Germanicum nomen, *Gottes-Seegen-Schacht*, latine reddere. Eſt profundo orgyiarum LXXXV.

Grund-Schacht: 7.) *Grund-Schacht*, latinum nomen non ſuccurrit, niſi *puteum fundi*, dicere quis voluerit. Demergitur, ad orgyias XCVIII.

Atque iſtæ ſunt, *Poſterioris regionis*, Aurariæ CAESAREO-REGIAE. quarum mineræ, octo tudibus triturantur, eluunturque poſtea, tribus lauatoriis alueis.

Anteriorà putei, Opacæ ſtellæ: Sed *Anterior regio*, duos admodum puteos habet, quos nominauiſſe, pretium fuerit operæ. Horum alter, *Finſter-Stern*, ſeu *opacæ ſtellæ* puteus dicitur, ignota nobis denominationis ratione. Exili eſt altitudine, neque enim vltra L. orgyias demergitur. Quia hydraulo caret, equorum miniſterio, mineræ, in apricum protrahuntur. Alter, *Sacræ Triadi:* *Sacræ Triadi* adſcribitur, *Heilig-Dreyfaltigkeit-Schacht*, XVIII. orgyias circiter profundus. Tantum vtrobique mineræ eruitur, cui ſex *tudes*, lauatoriæ autem menſæ, duæ, ad triturandum, eluendumque, ſufficiant. Proinde, (*q.*) vniuerſim, nouem CAESARI ſunt *Auraria*, *numerus Aurariarum Cæſaris:* quarum venæ, partim crudæ, partim trituratæ, liquantur fornacibus, propemodum perpetuis, in peculiari officina, arti huic fuſoriæ deſtinata, poſitis. Quin, & *Schemniczienſium*, aduectæ iſthuc mineræ, auro atque argento grauidæ, eadem illa fuſura, colliquantur. Tres hic ſunt operarum præfecti, *Commentarienſis* alter, vulgo *Hütten-Schreiber*; alter *Procurator*, ſiue *Hütten-Schaffer*; tertius, *Hütten-Probierer*, ſeu *Docimaſtes officinæ*. quorum tamen alter, prioris rationibus obnoxius eſt. His, *Carbonum præbitor*, Germanis *Kohlen-Meſſer*, ſubeſt. qui rem curat carbonariam, & fornacibus, atque operis ſingulis, ne quid, ſeu prodige fiat, ſeu iuſto parcius, ſollicite carbones admetitur. Iſtis operis, vaſtis profecto, ſumtuumque immanium, *coctura Vitrioli*,

q.) In Manuſcripto PARSCHITZIANO, hæc fodinarum nomina reperio: Alt-Ferdinand-Schacht; Neu-Ferdinand-Schacht; Keyſer Rudolph-Schacht; Anna-Schacht, &c. quæ nomina, cum hodiernis conciliene, qui habent cognita.

Vitrioli, olim potuiſſes adnumerare. Ea, quemadmodum inſtituata fuerit, nemo nos, TOLLIO, (*r.*) docuerit melius: *Horas*, inquit, *pomeridianas*, Albi Vitrioli *præparationi impendi, quod in proximo Aurifodinis monte*, (Berg Germanicum nomen eſt) *reperitur. Minera eius, ſeu vena potius, inops eſt, excoquitur in cacabis, ſeu vaſis plumbeis, diebus admodum quatuordecim, in lixiuium, quod in lacus ligneos effuſum, ſuapte indureſcit. Inde, in fornacem coniicitur, in qua, vndique, & deſuper congeſtis ignibus, in liquorem eliquatur, qui deinde emiſſus, priusquam in lapideam duritiem rurſus indureſcat, in palmi magnitudinem, aquantia fruſta, diuiditur. Hoc ita præparatum*, Calcinnatum Vitriolum *adpellant, eſtque exterior eius facies* albicans, *interioribus in* griſeum colorem, *compactis. Ex hoc Vitriolo* calcinnato, *rurſus in minores particulas contuſo, & diffracto*, Schemnitzienſes, *addito* ſale petræ, aquas *ſuas* fortes, *exſtillant, quo deliteſcens in* argento *ſuo*, aurum *eruant.* Hæc ille. Olim quatuor cacabis plumbeis, *ſex pedes* longis, *duos* atque *medium* latis, *vrnarum* vero *duodecim* capacibus, coctura hæc inſtituebatur; totidemque fornaces erant, quibus elixatum ac dureſcens *vitriolum*, eliquabatur. *Cacobos* autem, plumbeos eſſe oportet, quod ferreos æneosque, ante lixiuium illud corrodat, quam operæ poſſunt conſummari. Has, ſuo ſumtu, *Camera Schemnitzienſis*, tunc curabat. Qui, eximie ſibi, in arte *chimica*, videntur ſapere, *coctura* huius *ſedimentum*, penitus fundo cacabi hæreſcens, multæ vtilitatis eſſe perhibent; rei, ſcilicet, experimentum, ad *Græcas calendas*, daturi. Alioquin, hoc illud eſt *Vitriolum*, cui *natiuum* aliud, multis modis præferendum, TOLLIVS, ſupra a nobis citatus, ſeuere ſerioque cenſuit. *Vitrioli albi coctura, quemadmodo fiat, ex* Tollio *docetur.*

§. XIV.

PRæter CAESARIS has *Aurarias*, ſuæ, non *vrbi* modo, ſed ciuibus etiam ſunt fecturæ. Ita enim priuilegia, quorum argumentum ſupra dedimus, volunt, vt *hi*, qui iure ciuitatis potiuntur, atque *ciues* ſalutantur *circulares*, *vrburarii* ſint omnes: hoc eſt, metallorum ſcrutatores aſſidui; quique, non fortunis, non labori, curisque parcant, vt rem metallicam, in dies reddant ampliorem, iuxta & lucroſiorem. Proinde, cum id ad ſe pertinere, conſcii ſibi ſint, operam nauant vrbis magiſtratus, vt, & ſuis partibus ſatisfaciant, &, in commune ſint vtiles. Id vero, & tunc eos feciſſe, domeſtici annales meminerunt, cum factos ſumtus, non modo non redderent metalla; ſed magna etiam, vixque toleranda fierent intertrimenta. quod monuiſſe hic decuit, ne ſit porro locus obtrectationi illi; ſegnius, quam par ſit, in opus incumbere *Cremnitzienſes*. Sed, ad fodinas eorum veniamus. Tres harum ſunt, cuniculis totidem conſtantes. *Primæ*, ex re ipſa inditum nomen: *Gemeiner Stadt-Handel*, quaſi, *Communes Vrbis operas*, diceres. Sunt huic, non *auri* tantum, ſed *argenti* etiam *Vrbis, & priuatorum, Auraria:* *ſolertia Cremnitzienſium, in iis colendis, laudatur:* *Vrbani cuniculi tres:*

r.) Loco citato ſæpius, p. 178. Hodie *coctura* ea, ceſſauit.

etiam venæ, trituratione, lotioneque ante ſubigendæ, quam in metallum poſſint eliquari. *Alteri, ab Adſumtione B. V. M. in calos,* vocabulum hæſit, *Mariæ Himmelfahrts-Stollen* (*s.*) vulgo dicunt. priori, mineræ, quam præbet, præſtantia, non æque copia, ſuppar. Denique, *tertiæ*, a *S. Iohanne Baptiſta*, cognomen eſt: Germanis, *St. Iohann Euangeliſten Stollen*, quæ annis ſuperioribus, ingentem, diuitis reditus, ſpem fecerat. Quidquid hinc operæ promunt, in *metallicos tudes*, deferri oportet: quorum, *primo* illi, duo; vnus *alteri; tertio* denique vnus, nuper exædificatus, trituram facit; tribus poſtea alueis lauatoriis, quod ibi eſt contuſum, curate eluendum. Tametſi vero, vrbis hæc metalla iure dicuntur; tamen, non ſunt plane nulli, qui, in colendorum eorum ſocietatem, admittuntur. Maxime, hac temporum iniquitate, qua, præter vrgendi operis ſumtus, ſoluendorum tributorum neceſſitas, ciuibus incumbit. Poſt publicos iſtos cuniculos, habenda quoque eorum mentio eſt, quos, aut ciuium ſinguli, aut coadunatis ſumtibus, plures mutuo cauant. In præcipuis *Auraria Rothiana*, quam, nobiliſſima *Rothiorum de Rothenfels* familia, ſagaciter, longa retro annorum ſerie, procurat, numeranda eſt. *Hülff-Gottes-Schacht* ei nomen, quod latine *puteum* ſignificat, ab *auxilio diuino*, nuncupatum. Profundum eius, L. orgyiarum eſt, vnde minera auri, equeſtribus machinis egeritur. Alioquin, in tres abit cuniculos. quorum venas, tribus conteri *tudibus*, accepimus. Quum reditus eſſent vberiores, quatuor, eius generis officinæ, habebant, quod ſine ceſſatione, triturarent; ſed, quarta iam, poſtquam non eſſet, quod diſſunderet, negligi cœpit, abiitque in vaſtitatem. quod, & lignatoriæ officinæ, accidit: lauatoriis contra, quarum tres ſunt adhuc, perpetuis operis feruentibus. Sumtus annui, qui iſthic fiunt, parciſſime ſupputati, nouem florenorum millia, facile exæquant. Vt mirum ſit, quid HENRICO CHRISTIANO HENNINIO, (*t.*) TOLLIANO editori, in mentem venerit, cum inquit: *Camera, vt vocant, Cremnitzienſis, quotannis imputat expenſis,* plures vltra octo mille florenos Germanicos, *qui excedunt, acceptos ex aurefodinis, quæ valde ſunt pauperes: & tamen eadem Camera adhuc, ob monetam, in ſingulas* Marcas, *ſiue* ſelibras, *accipit lucro,* ſemunciam, *quæ monetariis ſumtibus deputatur.* Nempe, ſi vnicus, priuati viri, puteus, *nouem millium florenorum,* impenſas depoſcit, vniuerſos profecto, quos in quatuordecim alios fieri oportet, ſumtus, eodem iſto putcorum numero, multiplicari neceſſe eſt. Sed, eſt iſta, peregrino homini, condonanda aberratio. Superat & alia, vrburariorum *fodina cunicularis*, quam, *Neu Gottes Seegen Handlung,* vocarunt, vt a vetere illa, cuius in CAESARIANIS, mentio nobis fuit, diſcriminarent. *nouam*, adpellatio, *bene-*

priuatorum fodinæ:

Rothiorum:

ſumtus eorum annui:

s.) Conducti ſumtus, in eadem hac fodiſuam, *Eccleſiæ parochiali*, portionem eſſe. quam, ita procurant magiſtratus, & operarum ſocii, vt, ſine impenſa *eccleſiæ*, qualescunque reditus, percipiat eius fiſcus. quod non erat ſi lepidum.

t.) In notis, ad Epiſtolam *Itinerariam* V. p. 212. num. 50.

benedictionem diuinam, ſignificat. Principatum, in ea excolenda, *Schindleriana* familia obtinet, *vrburariis* pluribus, qui, & ſumtus vna faciant, & lucrum participent, conſociatis. Tude indiget vnico; an vero *officinam* habeat *lauatoriam*, ignoro. Denique, non eſt laude fraudandus, *Laurentius Bukowa*, qui ſuo ipſius, & arbitratu, & impenſis, fodinam, haud ſine fructu, percolit, tantum *mineræ auri* ſuppeditantem, quantum duæ molæ, ad triturandum, requirant. Vt iam molitiones alias, quas *Hoffnungs-Gebäu*, Germani, latine, *operas, in ſpem futuri reditus, ſuſceptas*, adpellamus, taceam. *Feliciter!*

Schindlerianæ *ſocietatis:*

Laurentii Bukowa.

§. XV.

VIſis, *Cremnitzienſibus* aurariis, toto orbe Europæo, facile celeberrimis, in vrbem redeamus iterum, incolas eius, & magiſtratus, luſtraturi. Diximus ſupra, dum exordia eius eruderaremus, *Germanorum* eſſe coloniam. quam illa prærogatiuam, tuetur hodieque; ſed profecto, quam vellet, ægrius. Seculum enim, & vltra eſt, cum *Slaui*, publicis legibus, (*u.*) ad ius ciuitatis capeſſendum admiſſi, ita hic quoque numero inualuerunt, vt, licet *Germanis* haud ſint comparandi, tamen increſcant quotidie. Quidquid eius ſit, peculiaria adhuc *Germanis* ſunt iura, quæ, ne quid capiant detrimenti, ſollicite cauent. Neque id, vt aliter fiat, priſcorum indultus regum, permittunt. Itaque, ſuo ſe hic modulo, *Slaui* metiuntur: meliore profecto exemplo, quam id apud *Neoſolienſes* meminiſſe debuimus. Ceterum, ſuum *Germanis* eſt ingenium. Vulgus infimum, operis vacat metallicis. Vidimus aliquando, decennes pueros, factitaſſe quidpiam, ea, & adcuratione, & adſiduitate, qualem in robuſtiſſimis quandoque, fruſtra requiſiueris. Neque in plebe hac, fieri poteſt aliter: quippe quæ, agreſti cultu deſtituta, eam occupationum ſequi debet rationem, quæ, cum obuia eſt, tum tolerandæ vitæ, quomodocunque idonea. Mirabamur aliquando, qui fieret, vt homines, auro veſtigendo, triturando, eluendo, liquando, ſignandoque, dediti, tam ſint egeni, & ab iis rebus deſtituti, quæ ſunt, ad commode viuendum, neceſſariæ. Sed, demſit admirationem, illud Poetæ:

Non ſibi, ſed domino, venatur vertagus acer.

Vibis istola, Germani:

eorum, ac plebis in primis, occupationes, ingenium, mores, & lingua:

Quid enim, ex mercenariis operis, referant miſeri, quam, quod in dies ſingulos, ægre ſufficiat. Hæ virorum fere ſunt propria. *Feminæ*, ritu *Saxonico*, tæniis plicandis, diſtinentur: cui operi, pueros quoque imbecilliores, & qui haud ſunt idonei ad metalla, indignius adplicant. Ciuium reliqui, opifices fere ſunt, culti omnino, & artis, quam didicere, cum cura ſtudioſi. Sunt, qui morum eis inficetam ſimplicitatem, linguæ adhæc *Germanicæ* corruptelam, mordacius exprobrent. Ac, de lingua certum omnino eſt, inſuauem eam eſſe,

u.) Dolimus eas, in vrbis NEOSOLIENSIS deſcriptione, Tomo Operis II. p. 442.

& a *Saxonica* dialecto, prorſus degenerem. Audias enim, non vulgus modo promiſcuum, ſed elegantiores quosque, inconcinnum quid ſonare, dictioncmque ita modulari, vt non vernacule, ſed peregrino quodam idiomate, fermocinari inuicem, crederes: hos potiſſimum, quibus, ſtrumæ guttur obſident, atque adimunt loquendi gratiam. Nam, & hoc, in ciuium malis cenſueris, quod viri, iuxta & feminæ, ſtrumis deformentur, non raro, enormibus. quod nos, aquarum metallicarum vitio, non iniuria tribuimus. Haud vero deſunt, qui Germanica, *Saxonum* æmulatione, ſcitiſſime, & ſcribant, & loquantur. Sed hi ferc ſunt, quibus, aut natales honeſtiores, aut educatio liberalior, aut denique, pronior, ad perdiſcendam ſermonis elegantiam, occaſio obtigit. Ad indolem autem incolarum, quod adtinet, diuerſim eam, in vulgo, & in primoribus, comparatam, ex conuictu frequentiore, obſeruauimus. Nam, optimates quidem, vti ſunt animo erectiore, ita, ad omnem, cum decoris, tum humanitatis cultum, factos vidimus: vt in celebritate ſumma, haud vero, intra hæc metalla, natos enutritosque, exiſtimares. Ingenio autem, doctrina, rerumque vſu, & quod hinc conſequitur, conſilio valentes, ipſi nouimus hodieque. Huc, (ne viuorum modeſtiam ſollicitemus) *Schmideggios* fratres, noſtra hac ætate emortuos, merito ſuo, referimus. Thomam, *Liberum Baronem*, & dum viueret, *Supremum Comitatus Zolienſis Comitem*; Ieremiam, virum inſigniter doctum, elegantemque; Iohannem (*v.*) non minus litteris, quam ſingulari quadam conuictus ſuauitae, inſignem; Matthiam ad omne decus factum; atque Eliam, virum conſularem, & rei metallicæ in primis gnarum. Itaque, non ſunt ferendi, qui ſtuporis notam, *Cremnitzienſibus* impingunt: homines, nimirum, ſcitiſſimi, & qui ſe ſolos, propitiam habuiſſe *Mineruam*, ſomnient. Quos ſane, retunderemus acriore defenſione, niſi eſſent adhuc ſuperſtites, qui inſanam illam criminandi libidinem, nobis tacentibus, conuellerent. *Alioquin*, *diffiteri* nolu-

primorum lingua, & indoles:

horum inſita defenſio:

v.) Iohannis filius, Ieremias, varia, ab ineunte iuuentute, fortuna vſus, ideoque, patrii ſoli peritiſſus, poſt ſalutatas primum *Academias Saxonicas*, ad *Hollandos* abiit, datoque illic, nauali militiae, nomine, ad *Indos*, MDCCXVI. nauigauit. Sed, cum nauis præfectus, litteratum eſſe iuuenem, rebusque gerendis idoneum, non vno, inter nauigandum, comperiſſet documento, decurionem, e gregario, primis nauigationis mendis, facit. Tunc, excenſione, ad promontorium *Bonæ Spei*, facta, hominem illic, caſtri præfecto, de meliori commendat. Triennium hic extraxit, variis muneribus, atque victimo, littoris præfecti, *Strand-Capitain*, vulgo dicunt, cum laude defunctus. Tandem, re ita ferente, in *Nouam Batauiam*, cum olaſſe *Hollandorum*, abiit, biennio illic moratus. Inde redux iterum, ad *Caput Bonæ Spei* ſubſtitit, vixitque *illic*, publicis demum muneribus adhibitus, magna præfectorum adprobatione, annis tribus. Tandem, reuiſendæ patriæ deſiderio inflammatus, ad *Hollandos*, ſuoſque rediit, dumque ad *Indos* iterum proficiſci volens, & apud *Hamburgenſes*, nauale iter comparans, morte intercipitur. Nos, hæc, adtexenda iſthic putauimus, vt documento ſint ad poſteros, ne Cremnitzio quidem, ſuum defuiſſe Vlyssem. Vir alioquin fuit, multæ abſtinentiæ, moris caſtigati, atque in primis, obſeruans numinis. quæ ſingula, iam rum inſigniter prodidit, cum, in ſchulis, & conuictu noſtro, adhuc adoleſcens, enutriretur.

nolumus, multos in plebe dari, ac forte plures, quam optes, in quibus hebetudo quædam, & inconcinni mores, notari poſſint: quod tamen non fuit, his, qui meliore loco ſunt nati, adfricandum. Pulchre Tollivs (*x.*) vrbanæ iuuentutis elegantiam deſcripſit: *Aduentanti, non ingratum ſtatim ſpectaculum oblatum, iuuentutis vrbanæ, ſub ſignis, præter diuerſorium meum, ad probandam ſingulorum in armis induſtriam, per ſuburbium procedentis. Præcedebant* antecurſores ſeptem, *ſuum* centurio *ſequebatur, & hoſce, ſuus quemque, ne quid deeſſet dignitati, pediſſequus: quemadmodum* vexillifero *ſuus erat, extremas vexilli latinias adtollens. Erat hæc, vti dixi,* vrbana centuria, *non nimis frequens. Ceterum, ſi omnis e ſuburbiis, militaris ætas coeat,* millenarium *excedere mihi numerum adfirmatum. Dies erat Dominicus, & hinc ſplendidior oppidanorum cultus. Sunt alias Hungari, quod ad veſtitum, plus ſatis magnifici.* En, elegantiam *Cremnitzienſium*, peritiamque tractandorum armorum! qua tunc indigebant omnino ciues: quippe, a *Tökölianis*, nuper expilati. Poſtea, lætos incolarum mores, facete meminit: *Eadem veſpera*, inquit, *liberos, lætosque gentis mores, aduerti; conuentumque vtriusque ſexus, frequentiſſimum, in oppoſitas diuerſorio ædes, ad cantum, ceſſatum ducere curas, choreisque ſemet oblectare, properantium. Nec ſumtuoſa illis hæc voluptas eſt. Vbi enim tibicini, pauxillum pecuniolæ ab his, qui primi cum puella, in orcheſtram prodeunt, collatum, vix quidquam vltra impenditur, fontana plerumque, concitatam motu corporis, ſitim, leuante: & ſicubi vinum, aut cereuiſia adpetitur, virgines habentur ſine damno; vnde ſtatim, ad tibiæ, vel fidium cantum, frequens earum eſt concurſus.* En, iterum, excitatæ indolis documentum, ab homine peregrino obſeruatum! quod, ſi re, actioneque honeſtiore fuiſſet editum, næ ego, pollicem, docto itineratori, premerem. Iam, triſtiores ſunt ciuium, iuxta & metallicorum mores, ob temporis, qua ſunt, *difficultatem.*

vrbanæ iuuentutis elegantia:

latii mores.

§. XVI.

Familiæ, quæ apud *Cremnitzienſes* florent, pauciores ſunt hodie, quam olim fuiſſe, annales vrbici, meminerunt. Nempe, deficientibus, qui primi vrbem condiderunt, noui ſubinde coloni, ab optimis *regibus*, iſthuc, e *Saxonum* metallis, deducebantur, vt eſſent, qui, & opus ſolerter vrgerent, & in eruendis venis, cum fructu verſarentur. His artibus, oppido arduis, & quibus, non minus ad pauperiem, quam diuitias, procliue eſt iter; hi quidem opibus inualuerunt; ad puluiſculum illi ſunt reddacti: conſueto, metallicorum malo, vt niſi fortunam prorſus, non munificam modo habeant, ſed & conſtantem, maximos illic theſauros, ſine luxu & prodigalitate, facile deterant, vnde eos ante comparauerant. Quemadmodum enim, cæli tempeſtates, nunc placide ſunt, & ad fœcundandum ſolum pro-

Cremnitzienſium familiæ, & harum fata:

x.) Loco toties citato, p. 171.

næ, nunc aſperæ iterum, atque depaſcentes omnia; ita *Pluti* ſe habent munera ſubterranea, vt, nunc turgeſcentibus, nunc exinanitis iterum venis, promantur. Itaque, difficile eſt, ex fodinarum reditibus, diu eſſe opulentum; niſi tunc manum retraxeris ab opere, cum ſunt venæ ditiſſimæ, atque loculi probe locupletati. quod tamen, quam ſit graue factu, in tanta diuitiarum auiditate, haud ignorant, qui ſibi ipſis norunt adtendere. Scilicet, ſpes gerimus inſatiabiles, quas, dum ſequimur incauti, prenſamus quidem abſentia, ſed amittimus, quæ ſunt in poteſtate. At enim, ad familias veniamus. Sunt in his, vt ordinem alphabeti teneamus: *Freyseiſen; Lemoni; Maſchgo; Möſz; Örtl; Peverelli; Roſnaueri; Roth de Rothenfels; Schindler; de Schmidegg; Schröter de Wohlgemuthsheimb;* denique *Weiſz*. Nobiles eæ omnes ſunt, ac pleræque conſulares etiam, ſiue, muneribus publicis, ſæpe iterumque defunctæ. Nauant vero, pleræque, metallis operam, laudabili profecto, & fructuoſa in commune, adſiduitate. Atque, optandum omnino eſt, vt plures, qui ſe montanarum vrbium incolas gerunt, eorum adducti exemplo, huc curas, huc neruos omnes intenderent, quo res metallica, perpetuis acceſſionibus, increſceret: hac in primis temporum malignitate, qua in mediis aurariis, rarum eſſe aurum non deſinit.

quæ hodie floreant:

earum, in operandis metallis aſſiduitas.

§. XVII.

Magiſtratus vrbani:

IAm, quod ad vrbanos magiſtratus, & adminiſtrandæ reipublicæ, rationem, adtinet, ex more vrbium reliquarum, quæ ſunt *Liberæ Regiæque*, & hic fiunt omnia. Senatus, *duodecim viris* abſoluitur. Ex his, *prætorem*, ſiue *iudicem*, in annos ſingulos, legunt, ad quos ea prærogatiua pertinet. id quod, *Dominica*, poſt *purificationem B. V. Mariæ*, adulto ritu, in hunc fere modum, fieri conſueuit. Die *Iouis*, ante ſolemnem eum actum, faſces ponit iudex, redditque, credita fidei ſuæ *clenodia*, in manus *Senatus exterioris*, (*y*.) ex XXIV. viris, tribuno ac pro-tribuno, coadunato. Tum, vbi dies præſtitutus iniit, hora antelucana quarta, æs campanum grandius, pulſari incipit. cuius ſono, *ſeptuaginta* illi *viri*, penes quos, eligendi prætoris poteſtas nunc eſt, in curiam conuocantur. Hi, vbi conuenere, inuocato numine, rem exordiuntur, atque tres e ſenatu candidatos dicunt, ex quibus prætor deligatur. Ei candidatorum numero, prætorem anni ſuperioris, includant neceſſe eſt, vt exſtet, beneuolentiæ ciuium, qua eum, ob adminiſtratam rem publicam, proſequantur, teſtimonium. Iſta conſulta-

eius eligendi ratio:

y.) Eſt Senatui huic, non ſpernenda auctoritas. Cogi, nempe, ſolet, in curiam, atque per ſubſellia, ad peculiarem tabulam conſidere. quoties id res poſcit. In rebus certe, quæ ad œconomiam vrbis adtinent, nihil, niſi conſulto eodem hoc ſenatu, decernitur.

z.) Nouum hoc eſt, *Commiſſariorum*, quos vocant, *Camera Hungarica inſtitutum*. Verere enim lege, eligendi hæc *iudicii* facultas, ad omnes, ex æquo, ciues, pertinuit. Ergo, *ſeptuaginta virorum* hic ordo, cum exteriori ſenatu, *viginti quatuor viris*, duobus item tribunis, conſtante, conſundendus haud eſt.

conſultatione, cum pluſculum moræ, vt conſuetudini ſatisfaciant, extractum eſt; adeſt *ſenatus* quoque *interior*, qui, vbi, quid rerum fieret, dubius conſedit, a tribuno plebis, rogatur impenſius, vti ex ſuo ordine, ita poſcente *ſeptuaginta viratu*, *duos*, accipiendis examinandisque, eligentium ſuffragiis, delegarent. Tunc demum, pro ſe quisque, quem animo deſtinauit, ſubmiſſa voce, & quaſi in aurem, *notario*, qui calculos colligit ſententiasque, indicat. Nomine eius, quem plurimi deſignauere, ſubductis calculis, comperto, *Cameræ Cæſareo-Regiæ* magiſtratus, vti fauerent ſuffragiis, recenti admodum conſuetudine, inuitantur. Ii demum, vbi ratam, Cæsaris nomine, electionem habuere, nouus *prætor*, ad ædem ſacram, quæ foro inſidet, tubis, tympanisque, de turri clangentibus, deducitur, auditaque præneſi, *quam illic*, ſacerdos ciuicus, de republica, rite & ex legum præſcripto adminiſtranda, propalam inſtituit, fidem, Deo, *Regi*, & *Reipublicæ*, iureiurando obſtringit. Tunc, hymnus S. Ambrosii, occinente ad aram, eodem ſacerdote, inter ſymphoniacorum concentus, dicitur, recitanturque preces conſuetæ; cum interea, tota vrbe, æra campana, ad augendam ſolemnitatem, continenter pulſantur. Reductus domum, nouus prætor, vota, ob felicem reipublicæ adminiſtrationem, concepta, & a *notario vrbano* nuncupata, haud ſine gratæ mentis ſignificatione, accipit. Atque, hæc quidem eligendi prætoris tio eſt: ſuppar fere, & legendorum, in ſenatum, nouitiorum, mos. Illud non facile obſerues alibi, quod in funebri ſenatorum pompa, iſthic fieri aduertimus. Nempe, cadauer mortui, tollunt primores, efferuntque. Id duo *ſenatores*, qui ſunt infimi, pullati præcedunt, ſequuntur e veſtigio, reliqui. quod quidem inſtitutum, eo pertinere exiſtimant, vt recordarentur rerum adhuc potientes, fatum, ſibi quoque imminere, caperentque inde, ad moderationem animi, facile, ex qualicunque honoris acceſſione, ferocientis, auctoramentum. Præter *ſenatum interiorem* hunc, alter *exterior* eſt, viginti quatuor viris, & duobus tribunis conſtans. Huic œconomiæ procuratio, mandata eſt; quemadmodum iuris dicendi prouincia, interiori illi: deſtinatione, profecto laudabili. quam nos pluribus *Hungariæ* vrbibus, communem eſſe cuperemus: quod intelligamus, quantum ad auerruncandum peculatus crimen, plurium conſcientia, momenti habeat. Alioquin, tenaces eſſe oportet, iuſti & æqui, *Cremnitzienſes* magiſtratus, cum ſuapte, tum, quod, ſi iudicatum quidquam a ſe perperam fuerit, viam quaſi litigantibus adaperiant, ad patrocinium, reliquarum vrbium montanarum, implorandum: quod, ſi eueniat, ſicuti euenit quandoque, actus ille, *Appellatio ad Iudicium ſeptem Montanarum Vrbium*, vocatur: a quo demum, ſi cui litem volupe eſt protrahere, ad *Perſonalem in Iudiciis præſentiæ Regiæ locumtenentem*, prouocare moris eſt. Vnde patet, geminæ vrbem *iurisdictioni* obſtrictam eſſe. Nam, qua vrbs eſt *Libera Regiaque*, *in ordinibus ſtatibusque regni* cenſetur; ſed, qua rem facit metallicam, & *Montana* dicitur, *Camera Aulica*, obnoxia

pompa ſenatorum funebris:

ſenatus exterior, & eius occupatio:

iudicium ſeptem montanarum vrbium: duplex vrbis iurisdictio.

ni obſtringitur.

xia eſt. Quam fori diuerſitatem, qui nuperam putant, noſtra quidem opinione, falluntur; quod palam ſit, ea cœpiſſe tempeſtate, dum *Camera Cremnitzienſis*, conſtituta primum eſt; id quod, CAROLI I. ætatem præceſſiſſe, ſupra lectorem admonuimus.

§. XVIII.

Arx vrbi coædificata:

eius munia:

VRbi, arx, molli adſurgens cliuo, ab aquilone connectitur. Vetuſtum opus eſſe, ac forte ciuitati coæum, ex ſubſtructionibus colligas, ritu factis vetere, hodieque obſoleto. Geminus eam murus ambit, non is quidem inualidus: ſed impar tamen obſidioni ferendæ: quod, & montes, a tergo impendentes, habet, & ob vicinitatem vrbis, facile ſubiri, & ductis, per cellaria, cuniculis, ſubrui poteſt. Media eius area, templum parochiale ſedet, S. CATHARINAE dedicatum, & pro vetere ædificandi ritu, non plane inelegans. Quæ olim hic ſedit, ædes ſacra, anguſtior fuiſſe perhibetur, quam pro arcis dignitate; vt eſſet, cur de auguſtiore mole educenda, conſilium conciperent, (*a.*) eius conditoris. Lapis memorialis, ætatem *Sanctuarii*, ad annum refert MCCCCLXXXIV. ipſius autem *Nauis*, ad annm MCCCCXCI: tempus nimium turbulentum, & hinc *Auſtriacis*, illinc *Polonicis*, alibi *Turcicis* bellis, infeſtum. Recentior multo, turris, qua templum, ad occiduum ſolem, præfulcitur, ſubſtructio eſt. Accepimus nimirum, accreuiſſe, anno MDLXXVII. ad eam vſque regionem, cui *ambulacrum* incubat: faſtigii reliquum, triennio poſt conſummatum dedicatumque eſſe. Neque fas eſt ſilere, D. ANDREAE ſacellum, cœmeterio arcis, ouali forma, inædificatum. Sedet autem, arce degredientibus, dextrorſum, ea laxitate, quæ concionis, tercentorum capitum, facile ſit capax. Diu, bellorum iniuria, non obliteratum tantum manſit; ſd etiam, a ſacris officiis, deſertum penitus: quando, eius ætatis homines, in armamentarium verterunt ædiculam, cum dote, *D. Andreæ*, dedicatam. Atque, effluxerat fane ex ciuium memoria, ſacrum inſtitutum, vix vnquam reſtaurandum; niſi, noſtra hac ætate, Parochus, indicio fundationis, ex idoneis auctoribus ac ſchedis, accepto, ſuperiorum auctoritate fretus, huc induxiſſet magiſtratus, vti repurgaretur a profanis vſibus, diu male habitum ſacellum. Cum eruderarentur emortuales cryptæ, apotheca humanorum oſſium plena, detecta ſubtus eſt: vt pronum ſit coniectare, conditorium fuiſſe olim, forte, a primo fundatore, inſtitutum. Iam, reædificatum eſt, & omni eo adparatu, pulchre inſtructum, qui honeſtandæ ædi ſacræ viſus eſt neceſſarius. Inſunt templo *S. Catharinæ*, familiarum quarumdam emortuales cryptæ, quarum nomina, epitaphia referunt: gentis puta, *Rothianæ*, atque *Zokianæ*; quæ noſtra

templum S. Catharinæ dedicatum:

familiarum, inibi emortuales cryptæ:

a.) Suggeſſit nonnemo, hæc, poſterius curis, recenſenti: MATTHIAM Coruinum, qui A. MCCCCLXXVIII. cum BEATRICE ſua, iſthuc diuerterat, nouæ huic ædi, exordia dediſſe. quod equidem, neque adfirmare habeo, neque negare: quippe, ſilente hiſtoria, neque ſufficientibus tabulis.

noſtra ætate, *Schmideggiorum* facta eſt, habetque exuuias. Lib. Baronis THOMAE a *Schmidegg*. Reliquas, nihil opus eſt recenſere: quippe dudum obliteratas. Turrim, quam diximus, tubicines inſident, toto die, excubatorum vice, hic agentes. quo munere, ita eos defungi oportet, vt horarum interualla, poſt æris campani ſonum, clangente tuba indicent; diebus autem feſtis, concentu muſico, vrbem exhilarent; ſin vero funeſti quid accidat, edito ſigno, ciues, ad id auerruncandum, commonefaciant. Eſt enim opportuni, non in vrbem modo, ex ſe modicam; ſed in ſuburbia etiam, deſpectus: quo circa, & a nocturnis vigiliis, horas ſingulas, ſonoro clamore repetentibus, inſidetur, ne quid ciuitas, ſeu ab incendiis, ſeu, re trepida, *ab hoſtibus*, detrimenti capiat. Altera turris, humilior multo, æs campanum, grandius alterum, alterum exilius, vtrumque *pompæ funebri* deſtinatum; quin, & publicum horologium habet, ita poſitum, vt obtutu vrbi ſit obuerſo. Dubito, an vero ſint conſentanea, quod accepimus a nonnemine: *Templariorum*, arcem hanc, ſedem aliquando fuiſſe: quod nulla intus viſuntur hypocauſta, quæ genus illud, amans commoditatum, habitaſſe.

turris humilior.

§. XIX.

ADhuc in vrbe morabamur: iam eſt, vt extra eius pomœria, pedem proferamus denuo. Hic vero, ſuburbia ſe nobis offerunt, tanto ampliora, quanto exiliorem eſſe ciuitatem diximus. Nouem ea platcis definiuntur, vrbi, nullo fere ædium ordine, circumfuſis. Nomina hæc ſunt: *Ober-Gaſſen; Unter-Gaſſen; Sohler-Grund; Neu-Stifft; Gulden-Spann; Hunds-Marckt;* & *Neuer-Grund; Mittler-Grund*, atque *Alter-Grund*: quorum, an ſint latina nomina, ignoramus, noua certe nolumus procudere. Laxe habitantur ſingulæ, domibus tamen, quam ſunt vrbanæ, tenuioribus; ſed quas paſſim, adſita pomaria decorant, iis potiſſimum diuertigiis, quæ ab vrbis mœnibus, longius recedunt. Situ ſunt inæquali, ſi plateas exceperis, *ſuperiorem*, & *inferiorem*, iter, quod *Schemnitzium* ducit, transmittentem. Iſthic *Xenodochium* eſt, cum æde, *S. Eliſabethæ* dedicata, illi nempe, quæ ANDREAM II. cognomento *Hieroſolymitanum*, patrem, maritum LVDOVICVM, Thuringiæ marchionem, habuit, (*b.*) & ob ſingularem, vitæ morumque integritatem, liberalitatem inuſitatam, inter diuos relata eſt. Vniuerſa hæc ſuburbiorum moles, in ſex regiones, quas ciues ſuo vocabulo, *Die Viertel*, adpellant, diſpertita eſt, vt regi commode, cogique poſſit multitudo, ſi id vſus ferat. Singulis certe tribuni (*c.*) dati ſunt, ex *ſenatu exteriore* lecti, qui rebus præſint, & ſi quid ingruat, ma-

Suburbiorum amplitudo, & vicis

Xenodochium, cum æde ſacra D. Eliſabethæ:

tribuni ſuburbanis dati.

b.) Legeſis, de S. ELISABETHA, Hiſt. Erfordenſis Anonymi Scriptoris, de Landgrauiis Thuringiæ, Cap. XXXVII. XXXIX. XL. XLII. p. 1322. ſequ. in collectione Scriptorum Germ. PISTORII, edit. STRVVII, Tomo I. & paſſim. In diuorum numerum relata, a GREGORIO IX. Ibid. Compilat. Chronol. p. 1099.

c.) Hos, *Viertel-Meiſter*, dicunt.

ture, ad magiſtratus referant, tumultus nocturnos ſopiant, & damnis publicis ac priuatis, omni cura ac ſtudio caueant.

§. XX.

Riuus Cremnitzienſis:

SVburbanam regionem, qua ea, ex ſeptentrione, in occidentem, ſinuatur, *Cremnitzienſis* riuus, cuius habuimus mentionem, perlabitur, pluribus, non metallicis modo machinis, ſed inſigni etiam mola frumentaria, inædificatus. Triplici is fonte editur. Primus orientalis eſt, ea valle ſaliens, cui *Sohler-Grund* nomen. Hunc, gemino alueo, *hydragogi* diuiſere: quorum alter, ſecunda valle, in ſuburbium inuehitur, & antequam id ſubeat, *tudes* (*d.*) *papyraceos* verſat: poſtea tortuoſo alueo aliquandiu delatus, infra vrbis pomoeria, toti riuo coadunatur; alter, per montis latera, perlibrato canali deductus, ſubterraneis fiſtulis, aquas ædibus vrbanis ſuffundit. Quod reliquum ex amniculo eſt, eadem montis decliuitate, ad *machinas hydraulicas* delabitur. Fontium *ſecundus*, *tertius*que, partim ſeptentrionalis, partim occidentalis eſt. Atque illi quidem, *Der Seyffen-Brunn*, quaſi *fontem ſmegmatis* vocares; huic, *Das Schwartz-Waſſer*, forte a colore nigricante, nomen eſt. (*e.*) Vterque, ductibus, per collium latera, quin medios montes, inſano, & ſumtu, & labore, effoſſos, pertuſosque, longis mæandris, deriuato alueo, vicum *Bergh*, ſubit, tandemque, *hydraulis* immiſſus, hic ſubterraneas metallorum aquas, ex imis puteis, educit, tudes alibi impellit. Eadem hac *Bergenſi* regione, in geminum alueum, *ſuperiorem* & *inferiorem*, finditur. Ille, obiectum collem, *Seü-Berg* ei nomen eſt, per cuniculos peruadit, ſubterraneusque, ad ducentos & ſeptuaginta paſſus geometricos, fertur, nouas iterum machinas rotaturus; iſte, ſub eodem colle, octingentarum orgyiarum interuallo, decurrens, & pluribus officinis illapſus, in *Cremnitzienſem* vallem, *Neu-Grund*, effunditur; tumque, *ſuperiori* corriuatus denuo, metallicos CAESARIS, atque *vrburariorum* tudes; quin & monetarias officinas, aquis perennibus, verſat. Quod *Berghenſi* adhuc valle, ex canalibus dimanat, iuſto collectum alueo, operis lauatoriis ſuffunditur, inque frumentariam ARCHIEPISCOPI molam, (*f.*) delabitur; dum nouis iterum officinis, ſed minutioribus illis, aquas miniſtret. Atque ex iſtis operis, limo fœdatur aureo, labiturque turbidus, vicos *Windiſchdorff*, *Schwabenhof*, *Lehotka*, & *Kremnitska*, partim radens, partim interluens; donec, e regione arcis *Saskö*, in *Granum*, vti ſuperius monuimus, luridus exeat.

ductus operoſi facti:

quid praſtet vtilitatis:

limo fœdatus, in Granum delabitur.

§. XXI.

d.) Sunt hi gentis *Preyſſleiſeniana*, longa retro annorum ſeric, proprii, vulgo *Papier-Mühle.*

e.) Tomo II. Hiſt. Comitatus Thúrócz. p. 347. n. 24. 25.

f.) Habebimus eius mentionem, ad §. XXV. in notis.

§. XXI.

Ager vrbis aſper eſt, & ſterilis:

AGer, quo vrbs ambitur, aſper eſt, & ſiue ex contagio metallorum, ſiue ex montium cælique vitio, ſterilis. Adeo verum eſt, quod Poeta cecinit:

Non omnis fert omnia tellus.

montium adſitorum nomina, & poſitus:

Enim vero, montibus, vrbs circumſidetur, ipſo adſpectu, triſtibus. Sunt autem ab oriente, *Stooſs*; ab occidente *Schulersberg*, palæſtra iaculatoria celebratus, *Skurtz*, & *Voll-Henn*. Inter hos, vallis, aperta ea, neque laxa tamen, in meridiem procurrit. Per hanc, riuus *Cremnitzienſis*, in *Granum* defertur: quin & *Schemitzienſe* iter, iſthac, ad *Fanum S. Crucis*, ducit. In aquilonem, collis eſt, *Rehwalder*, ob explicatius dorſum, torquendis rudentibus deſtinatus; cui *Spitzenberg*, atque *Bloſſuſſenſis Stooſs*, obiacent. Itaque, agros frumentarios pauciores, quam pro ciuium copia, ac fere nullos, habet CREMNITZIUM; hortis tamen, atque pomariis, non eſt inimicum ſolum. Certe, qua ſuburbia exeunt, multa variique fructus arbore, conſita ſunt omnia. Proueniunt autem, poma *Boſnica*, pyra *Pergamena*, pruna, cum *durantia*, tum minutiora illa, ciendæ aluo, apprime idonea; ſed plerumque rubigine adſperſa, & matureſcentia, quam alibi, ſerius. Raro hic arbuſta pruinis aduruntur; non tam, quod aliqui volunt, ob *minerales*, quos aurariæ eructant, halitus; quam quod ſitu ſint depreſſo, & cæcis valliculis retruſo, ideoque ſecuro, ab illapſu auræ gelidioris. Celebris præcipue eſt, hortus *Rothiorum de Rothenfels*; non ſolum, quod inſigni inſtructus eſt pomario; ſed in primis, quod, & lucum habet, & ædiculam voluptariam. Secedit ab vrbe in orientem, colliculo, ſupra *Rennwies*, pratum *Cameræ*, conſitus: vbi & piſcina *Rothiorum* eſt. Neque facile amœnior, in ſuburbano, ſeceſſus fuerit. Itaque, cum eſt formoſiſſimus annus, frequentatur ab his, qui curarum laxamenta captant. quorum pars, lætis conuictibus indulget,

laus pomariorum:

horti Rothiani:

Parte alia conos decutiente nouem.

Sterabachiani:

Atque iſte quidem hortus, vetuſtate ſe commendat. Quem *Ioſephus Andreas Wenczel*, *Lib. Bar. a Sternbach*, nuper, ſupremus *Cameræ* metallicæ præfectus, inſtruxerat, multo, & amœnior, & hortenſibus oblectamentis, cumulatior futurus fuiſſet; niſi, viro optimo, & de metallis Hungariæ præclare merito, fatum præcox, vitam inuidiſſet. Præterquam enim, quod in areas, variis ductibus illuſas, opportune diſcretum voluit; domum ſimul, ad litteræ T. formam, gemina contignatione ita eduxit, vt æſtiuis ſeceſſibus, & ſibi eſſet commoda, & hoſpitibus, ſi qui aderant, capiendis idonea. Inerat, & caſa *eremitica*, negligenti quadam diligentia, vt ſilueſtrem cultum videretur referre, ex corticibus arborum, contexta. Fuit olim hortus, PAVLLI ERTELII, iuſto ære a *Sternbachio* redemtus. Iam, hero

mortuo, horti simul decus emoritur. Reliqua vrbis opportunitas, fere tota, in auri spe, & diuitum ex metallis redituum, posita ell. Aer, excusandus ne sit potius, quam accusandus, ambigo; saltem, non audeo definire: cum certum sit, grassante alibi pestilentia, vegetos hic, & a contagionis labe, immunes perdurauisse aliquando incolas. Quid? quod adolescentiæ, vtriusque sexus, vix alibi fata beniora obseruaris. Toto, sæpe decennio, vix vnum alterumue funus, ex florente ætatula illa, deducitur. Raræ ad hæc sunt *variolæ*, purpureæ, atque *petechiales* febres. Sed, quod strumis deformes, atque gibbo pectoreque tumentes, non paucos e plebe, videas; non ego id vitio aeris imputarim, sed aquarum malignitati. Adde, quod hæreditaria parentum mala, & corporis, & animi, toto die, in posteros propagentur; ideoque, strumosum & hic generat strumosus, gibbosus gibbosum.

vnde strumosi & gibbosi.

§. XXII.

Vrbis fata:

FAta vrbis, quæ cognouisse poteramus, iniqua fuere plerumque. Nescio, anne a *Tartaris*, qui Hungariam, victo BELA IV. euastlaueraut, contemeratum fuerit *Cremnitzium*; quod colluuies ea, fere loca tantum campestria, euerruerit. Ab *Hussitis* profecto, male habitam fuisse, non ignoramus. Quia enim, auidissimum rapinarum hostem, *auri sacra fames*, eo stimulabat, vt aurarias suas faceret, non potuit non, CREMNITZIVM, *in perpetuo belli metu esse.*

infestatur ab Hussitis:

est in ditione Giskræ.

Giskra certe, ELISABETHÆ, viduæ ALBERTI, immodicus auxiliator, dominationem isthic stabiliuerat. *Zolium* ei regina, cum appendicibus, secundum ALBERTI obitum, dono dederat, adiecta, montanæ prouinciæ huius, præfectura; vt hominem, ex se ferocem & impigrum, in pupilli sui tutelam, tanto beneficio, arctius obstringeret. Diserte BONFINIVS (g.) cum WLADISLAI, aduersus *Cassouiam*, quæ tunc in potestate *Giscræ* fuerat, molitiones bellicas, *describit. Ne minus quidem* GISCRA, inquit, *quid alii contra molirentur, ignorabat,* CREMNITZIAE *vectigalibus adiutus, vbi numismata, sub posthumi titulo, ac nomine, cudebantur, nouos e Bohemia milites, plane conduxerat.* Nempe, arcem ille, destinationum suarum, *Vetusolii* habebat, vnde, montanis circum vrbibus, imperitaret, suoque arbitratu, metallis, & rei monetariæ, immineret. Facile vero, homo sagacissimus, perspiciebat, CREMNITZIO in primis adtendendum esse. Quo circa, firmis, oppidum præsidiis tenebat, ne aurum, cuius tunc magni, in hebdomadas singulas, fiebant reditus, ab hostibus, siue clam, siue aperta vi, interciperetur. Ac plane equidem existimarim, exstare oportere, *Giskrianæ* huius dominationis, monumenta, siue in vrbis arcisque moenibus; siue, quod creditu proclinius est, in publico tabulario, seu archiuo; quantum scimus, hactenus, ab iniuria, cum incendiorum, tum harpyiarum quarumuis, singulari fatorum bene-

g.) Rerum Hung. Dec. III. Lib. V. p. 436, 7.

beneficio, defensum. Durauisse autem *Giscræ* præfecturam hanc, vsque in MATTHIAE *Coruini* tempora, quia alibi (g) docuimus, non est opus isthic reminisci.

§. XXIII.

Intercipitur a Botskaii emissariis:

REmotiora hæc, a nostra ætate, fuere. Quæ propius accedunt, eo sunt funestiora, quo nequius, & tunc res gerebantur, cum maxime ius & æquum obtenderetur. Anno MDCV. a *Francisci Redey* emissariis, auspiciis *Botskaii* tumultuantis, exustio primum, ac pene deleto *Neosolio*, non tam lubidine ciuium, quam metu, ne se *in fortunam* induceret *Neosolienssium*, vrbs hosti concessit. *Neque* enim, ea montanarum, aduersus belli tempestates, quæ *reliquarum* vrbium, ratio est. Non hic, vel vnius diei obsidio, sine irreparabili iactura, ferri potest: eo, quod metalicæ operæ, hinc atque illinc sparsæ, cessare coguntur: id vero, quanta cum perturbatione rerum fiat, ii docendi sunt, qui aurarias *Cremnitzienses*, numquam viderunt. Adde, vrbis situm, ob sparsa late suburbia, ad defensandum importunum. Ergo, non sunt criminationes eorum, expertes iniuriæ, qui inermi, & tot circumdatæ operibus, vrbiculæ, nostra etiam ætate, rerum nouarum studia, nihil dubitarunt exprobrare. *Botskaio*. A. MDCVI. CAESARI reconciliato; rediit quidem vrbs ad iura optimi regis; sed profecto, non sine metallorum detrimento. Eductæ, ad subruendas cuniculis arces, operæ, inanes autarias plerasque reliquerant. Quod dum fiebat, aquis aliæ suffusæ, ægrius postea admiserunt fossores; aliæ, fatiscente substructionum mole, insano demum, & labore, & impenso, factæ sunt peruiæ. Eas molitiones, vnice tunc necessarias, ditissimi ex aurariis reditus, egregie postea munerabantur. Fidem excedere iurassem, nisi *idonueus* id mihi auctor adfirmasset, post tempora *Botskaianæ* seditionis, hoc est, ab anno MDCVI. ad annum circiter MDCX. numum aureum Cremnitziensem, *Grossis* XXX. siue numo *imperiali*, censum; his autem, qui, ex *vrburariorum* more, sumtus in metalla faciebant, *Grossis* XXV. fuisse imputatum. Insigne profecto, atque inusitatum, retroactarum calamitatum, redhostimentum! quod, si durauisset diutius, næ mihi, Cremnitzenses aurariæ, Hungariam vniuersam, auro oppleuissent. At enim, *Bethlenio* res nouas molienti, in nouas iterum, & vrbs, & metallorum fecturæ, inciderunt tempestates. quod triennio, turbo is, repetitis procellis, sæuiit. Nam, cum A. MDCXIX. cœpisset, non ante cessauit, quam bellum id, anno MDCXXIV. pace finiretur. In hunc annum, inusitata ac pene incredibilis, rei nummariæ angustia, magno, & Hungariæ, & Cæsaris malo inciderat; haud sane, sine *Cremnicienssi monetæ* de-

quæ inde acceperit detrimenta:

a Bethlenio:

honc-

b.) Tomo II. Operis, in Historia Comitatus Zoliensis, Parte Spec. Membro II. Sect. I. de NEOSOLIO, §. III. p. 464.

honeſtameto, & famæ diſpendio. *Poſt bellum*, inquit KAZIVS, (*b.*) *omnia belli mala Hungaria habuit. Famem excepit lues, & quibus furor Martis pepercit, hos, morbi contactu vulgati, fato triſtiſſimo ſuſtulerunt. Incredibiles rei pecuniariæ anguſtiæ, ipſa ærarii viſcera, exederunt. Nummi aurei pretium ſic auctum, vt vnus, quatuordecim numis florenis æſtimaretur. Neque ſic expleta lacuna; ex vno veteri aureo, admiſto viliore metallo, quatuor; totidem floreni, ex imperiali vno; ex numo, vulgo denario, groſſus cuſus eſt. Atque ita, vetus illa* CREMNITZII *gloria, defloruit; Hungariæ iuxta, & Germaniæ impedita ſolutione, fides reddita anguſtior.* Vix, per aliquot luſtra, ex his ſe difficultatibus, expediuit *Cremnitzium*, cum noua iterum rediit calamitas, ad ingenium reuertentibus *Tranſiluanis. Georgius Rákóczius*, fuit, qui *Hungariam*, infeſtis exercitibus peruagatus, eo minus *Cremnitzio* ſe abſtinuit, quo maiore ſpe, aurariarum potiundarum, ſollicitabatur. Verum, quod ſubitanei eius, quos A. MDCXLIV. dedit, motus fuere, ſuntque opinione celerius conſopiti, non diu vrbs ſeruitutem eam ſeruiit; ſed nec manere diu poterat intemerata, quin noua iterum tempeſtate, contemneraretur. Annus erat MDCLXXVIII. cum EMERICVS TÖKÖLI iſthuc irrupit. Dabimus rem, vti eam TOLLIVS noſter, ex Cæſarianorum ſermonibus, *Cremnitzii* didicerat: *Narrare*, inquit, *non grauabantur, quomodo ille eodem anno, montanis hiſce oppidis omnibus occupatis, argentoque & auro, quod aderat, vindicatis, omnes in ſua verba iurare coegiſſet, ſibique ſacramento adſtrinxiſſet: tum, quomodo ea deinde a Cæſarianis recuperata; poſt pacto inito, alternatim diuiſis reditibus, poſſeſſa, & ſub initia huius belli A. CIↃIↃCLXXXIII, omnino rurſus amiſſa eſſent: donec Vienna liberta, victricium ſeſſe armorum metu,* TÖKÖLIVS *ſubduceret,* CAESARIque *plenum & liberum, harum omnium fodinarum, dominium concederet; ita tamen, vt in ſequentem annum vnum, atque item alterum, earundem reditus, partim in argento ſignato, partim ficta prudenter numorum inopia, in rebus ad rem metallicam pertinentibus, a fodinarum priuatarum poſſeſſoribus,* CAESARIANORVMque *curatoribus, vi minisque extorquendo, præciperet, triſtemque ſui memoriam, miſeris hiſce hominibus relinqueret: non adprobante victore* CAESARE, *quæ in anteceſſum parata pecunia, perſoluta fuerant, ſed ſui ſibi anni reditus, vindicante. Ceteris, ſua prudentia feliciter ceſſit, recepto, pro intactis, & mox in* CAESARIS *vſus cedentibus, quod ad fodinarum vſus ſuppeditauerant, pretio.* Igitur, bis terue, rediit *Tökölius*, metallis, vti videre eſt, inſidiatus. Eandem vrbis fortunam, nupera fuiſſe ſeditione, iam ſupra conqueſti ſumus. Juraſſes, totum, excitæ, ſpe prædarum, multitudinis impetum, huc ſpectauiſſe, vt montanas vrbes, expilarent. Audiuerant *Gryphes* (*i.*) illi, aureo muro *Cremnitzium* ambiri. Itaque, *Neoſolio* primum intercepto; nam, ne diriperetur, prudens, *Johannis Radvanſzkii* (*l.*) ſolertia obſtitit; iſthuc *Zabreczkio* duce, properauere, vt auariſſimas ſpes, quas nequiuerant explere *Neoſolienſium* ære, auro *Cremnitzienſium* exſatiarent. Verum, præmoniti a *Radvanſzkio* Cremnitzienſes, dum *Rákóczianorum* illa colluies, *Neoſolio* relicto, *Vetuſolium* ducit, poſteaque, per fauces *Butſchenſes*, vsque ad iter *Cremnitzienſe* pertingit, non exſpectato eorum aduentu, ſeſe, curatis quam ſollicitatiſſime rebus ſuis, ante dedunt, quam harpyiæ illæ, vrbem prædæ deſtinatam, conſpicerent. Hæc, anno MDCCIII. VI. Cal. Octobris, euenere.

& Georgio Rákoczio occupatur:

Tökölii ſeditione, quid poſſum ſit Cremnitzium:

nuperæ Rákóczianorum iniuriæ.

b.) Hiſtoria Regni Hung. Lib. III. p. 218.

i.) *Gryphi*, inquit MELA Lib. II. cap. I. p. m. 112. *ſeuum & pertinax ferarum genus, aurum, terra penitus egeſtum, mire a naturæ, mireque cuſtodiunt, & ſunt infeſti adtigentibus.* En, *Rákóczianorum* ingenium!

§. XXIV.

FVit poſtea *Cremnitzium*, nulla ſua culpa, toto luſtro, officina malorum, in quo *Rákócziani* belli neruos, numos videlicet æneos, infauſtum monetæ genus, procuderent: aurum contra, argentumque ſignatum, auidiſſime deglуberent. Neque enim diffitemur, occœcata prius, ſpe libertatis, plebe *Hungarica*, in id vnice elaborauiſſe, turbarum incentores, vt auro argentoque, patriam emungerent, mox, ad *Garamantas* abituri, vbi bene ſe ditatos ſenſiſſent. Quod & ita euenit. Diſiecti enim, vno, mox & altero prælio, non iam libertatem, quam quæſito obtentu, iniquiſſimis armis prætexebant; ſed conuaſatos, arte peſſima, theſauros, circumſpiciebant, ne in victorum poteſtatem venirent. Difficile eſt, ſine dolore, calamitatem eius temporis, quam ipſi, & vidimus, & tulimus, reminiſci, atque mores hominum recordari, huc vnice comparatos, vt pulcherrimo libertatis prætextu, patria poſſum iret. Nimirum, quod C. SOLLIVS SIDONIVS APOLLINARIS (*m.*) ad. *Thaumaſtum* ſuum, de Galliæ prouincialibus queritur, huc id omne prorſus quadrat. paucula ad guſtum: *ſpes firmas, in rerum motibus habent; dubia tempora, certius amant; & ignauia pariter, conſcientiaque trepidantes, cum ſint in prætoriis leones, in caſtris lepores; timent fœdera, ne diſcutiantur, bella ne pugnent: quorum, ſi nares afflauerit vſpiam, rubiginoſi aura marſupii; confeſtim videbis illic, & oculos (n.) Argi, & manus Briarei, & Sphingarum (o.) vngues, & periuria (p.) Laomedontis, & Vlyſſis argutias, & Sinonis*

Fit malorum officina:

charactor hominum eius temporis:

l.) Laudauimus eam, Tomo II. in hiſtoria NEOSOLII, §. XIII. p. 428.

m.) Libro V. Epiſt. VII. p. m. 327.

n.) ARGVS & BRIAREVS, bota fabulis monſtra: Centoculus ille, de quo CLAVDIANVS, in laudibus Stiliconis:

Argum fama canit, centeno lumine cinctum.

Hic ἐκατὸν χεῖρες, id eſt, *centimanus*, vti eſt apud *Horatium*, dictus:

Nec ſi reſurgat centimanus Gyges.

Geminum ei nomen Briareus enim a diis, *Aegaon*, ab hominibus dicebatur. VIRGIL. Aen. X. 565.

Aegaon qualis, cui centum dicunt, centenaque manus.

o.) *Sphingarum* vngues, *Gryphorum* ſunt, & translate, auari cuiusuis,

qui nummos triſtis inuncet,

vt inquit LVCILIVS, quod alibi deſertius:

Omnia viſcatis manibus leget omnia ſumet.

p.) LAOMEDON, rex Troiæ, filius *Ili*, & pater

Sinonis (*q.*) *fallacias & fidem Polymneſtoris*, (*r.*) *& pietatem Pygmalionis* (*s.*) *adhiberi.* Qui plura volet, inibi legat: nos, tantillum eius epiſtolæ tranſcripſimus: non, vt cuiquam ſint opprobrio; ſed, vt eorum, qui tunc erant peſſimi, bonorum quorumuis contaminatores, vlcera contrectantes, moneamus poſteritatem, nihil ſupereſſe honeſti his, qui conculcata principis maieſtate, cieunt tumultus. Tandem, ereptum anno MDCCVIII. hoſtibus *Cremnitzium*, eo lubentius ad iuſti principis dominationem reuertebatur, quo diuturniora mala fuerunt, quæ iſthinc, publicæ calamitatis molitores, in vniuerſam *Hungariam*, proſeminarunt.

redit vrbs MDCCVIII ad Cæſarem:

§. XXV.

Vrbis opes, a regibus acceptæ, quibus vicis abſoluantur:

DEnique, ad vrbis opes, quod adtinet, opulentum profecto, priſci illi reges, *Cremnitzium* fecerant, dominatione plurium vicorum, ei conceſſa. ſunt horum alliqui, in *Thuróczienſi* prouincia; reliquos *Barſchienſis* regio habet. Illic in iuribus *Cremnitzienſium* (*t.*) cenſentur: *Sklenó*, Germanis *Glaſerheü*; *Félsó*, & *Alſó Stubna*, ſeu *Alt-* & *Neu-Stuben*, cum Thermis *Stubnenſibus*; *Haj* & *Cſeremoſchno*, frequentes, & partem opulenti vici. Eiusdem *Comitatus* finibus *Felsó* atque *Alsó-Turcſek*, continentur; ſed quorum, duos iſtos, a tributis, quæ *in eam prouinciam* olim pendebant, annuo, iam pridem, cenſu, vrbani magiſtratus, *im*munes faciunt. In *Barſchienſium* agro, atque vrbis collimitio ſunt: *Veternék*, Germanis *Legendl*; *Fel-Falu*, ſeu *Windiſchdorff*; ita dictus, quod *Slauico* nomine, *Horná-Weſz*, vocetur; *Schwab*, ſiue *Schwa-*

pater *Priami*, ſacrilegii iuxta, & periurii, reus acculatur. HERODOTVS ſcribit, Apollinis, & Neptuni templa, depeculatum, theſauros Deorum, ſacris dicatos, ad exſtruenda Troiæ mœnia, conuertiſſe. Quod fabularum conditores alii, eo referunt quaſi iuratam *Apollini* & *Neptuno*, ob eductæ *Troiæ* mœnia, mercedem, periurus negauiſſet. BERTSENII hæc icon eſt. quid ergo mirum, ſi occinendum ei, cum tribulibus fuit, Troianorum illud opprobrium:

Satis iam pridem ſanguine noſtro
Laomedontea luimus periuria Tyrio.

VIRGILIVS, Georgicor. Lib. I. v. 501. vbi vide notam RVAEI. p. m. 97. De LAOMEDONTIS periurio, OVIDIVS, Metamorph. Lib. XI. v. 199. ſequ.

Ardificant muros, pacto, pro mœnibus, auro.
Stabat opus: pretium rex inficiatur; & addit
Perfidiæ cumulum falſis periuria verbis.

q.) Exercitus Græcorum proditor, in veteratoribus habitus, Ψεὺδος ὃς ἀριστος, STRON, hoc eſt, *nocens*, Græcis dictus. Eſt eius mentio apud VIRGILIVM, Aeneid. L. II. v. 99.

r.) POLYMNESTOR, rex fuit Thraciæ, ſub belli Troiani tempus, qui miſſum ad ſe, ab *Hecuba*, cum magna vi auri, *Polydorum*, contra hoſpitii fidem, interemit, occæcatus poſtea a Trojanis mulieribus. Adi, initio Aeneid. Lib. III. & lege notam RVAEI, ad v. 45. Fuit tyrannorum crudeliſſimus.

s.) PYGMALION, erat, BELI, regis Tyri filius, & ſucceſſor: ad cuius vituperium, ſatis eſt VIRGILII illud Aeneid. Lib. I. v. 351.

Pygmalion ſcelere ante alios immanior omnes.

Hæc, adtexuiſſe, loco illi APOLLINARII, placuit, vt explicatior ſit, & obvia magis ſententia auctoris, atque noſtrum ſimul indigitamentum.

t.) Pleniorem vicorum deſcriptionem, in *Hiſtoria Comitatus Thúroczienſis*, exhibuimus, Tomo II. loco nunc cit.

Schwabenhoff; *Lúcska*, Germanice *Hanesheü*; *Kunesó*, ſiue *Kuneſchheü*; ac denique *Berg*. Coluntur hi, a ſolis fere operis metallicis, puta: materiariis, carbonariis, lauatoribus, quin & foſſoribus minerarum. Proinde, non ſunt in eorum cenſu, quos *Barſchienſes*, in tributorum ſuorum rationes poſſint referre; ſed, nec hibernatem, aut æſtiuantem militem, hoſpitio accipiunt; ne ea moleſtia impedimento eſſet operis. Suburbana hæc bona fuerunt, ab vno, atque altero, e magiſtratibus, adminiſtrari ſolita; ne, aut iuſti reditus, interciderent; aut incolæ, ſegnius rem, cui ſe deſtinauere, factitarent. Pauciora ſunt, quæ in vrbe, fructus quidpiam, in commune conferrent. In his eſt, *cereuiſiaria officina*, *braxatorium* vulgo dicimus, *in* qua, vulgaris fere fit cereuiſia, cui *Pfennig-Bier* nomen eſt; *forte*, a pretio, quod nummo venierit olim. Coquitur in hebdomadas ſingulas, ingenti vrnarum numero, quæ, vbi in vaſa diffuſa deiecit feces, a ciuibus, bene de republica meritis, quæſtus faciundi cauſſa, emitur venditurque ſub hedera. Aiunt, mille florenos, annui reditus, inde vrbis fiſco accedere. Huc, & officinam, aſſeribus findendis inſtructam, referas. Molam (*u.*) enim frumentariam, poſteaquam diutius in ære ſuo fuiſſet, *Archiepiſcopo*, perenni iure traditam eſſe, lege ſimul lata, accepimus: *ne vrbi, ſiue ad turbidam, ſiue ad limpidam aquam, toto iſto Comitatu, condendæ molæ ſit facultas.* Eſt ea, ſeptem lapidibus molaribus inſtructa, quibus, nulla vnquam, a molendo feriatio eſt. Ceterum, ex his, quos vidimus, reditibus, non fodinarum modo operæ, & vrbana ſatellitia; ſed cultus quo-

eorum coloni;

vrbani reditus vnde?

expenſarum ratio?

u.) Longum foret, molæ huius fata expromere. Ingens diplomatum copia, in eam rem exſtat, in tabulario *Archiepiſcopi Strigonienſis*. Regum aliquando fuiſſe propriam, inde conſtat, quod *pignori* eam dederit SIGISMVNDVS, anno MCCCCXXV. ſummæ, *mille trecentorum & triginta quatuor* florenorum, oppoſitam. quam ei *Johannes de Septemtiliis*, ciuis *Budenſis*, repræſentauerat. BARBARA demum, *Sigismundi* coniux, forte, quod ſummæ illi, additum eſt aliquid, anno MCCCCXXXI. eidem, *Johanni* de *Septemtiliis*, & *Henrico Münch*, molam donauerat, diplomate, die *S. Marco* feſta, *Dioſcyrini*, perſcripto. Atque, habuere omnino ratam donationem eam, reges. SIGISMVNDVS ipſe, anno MCCCCXXXVI. ALBERTVS, anno MCCCCXXXVIII. Budæ, ſecundo die feſti *S. Matthiæ. Johanne* de *Septemtiliis*, quin & *Henrico Münch*, emortuis, poſterioris viduam, *Vrſulam*, deturbauerant a molæ poſſeſſione, iniurioſi quidam homines. Ergo, LADISLAVS poſthumus, non modo reſtituendam *Vrſulæ*, & hæredibus ſuis, molam, triplicibus tabulis, anno MCCCCLIII. *Cremnicienſibus* mandauit; ſed nouo etiam diplomate, eodem anno, *Piſonii*, *die B. Dorotheæ* ſacro, veterem eam donationem, *Henrici Münch* hæredibus, affirmauit. Sic ſe habebat molendinum *Cremnitzienſe*, dum id, DIONYSIVS de SZECH *Cardinalis* & *Archiepiſcopus Strigonienſis*, ab hæredibus *Münchii*, ſumma florenorum *quater mille* redimeret. Fauit emtioni MATTHIAS Coruinus, conſenſione ſua partim, quum anno MCCCCLXII. editis tabulis, profeſſus eſt; partim, donatione etiam regia, ſingulari diplomate, anno MCCCCLXIV. perſcripta. Introduxere DIONYSIVM in molendini poſſeſſionem, *Canonici Budenſes*, anno eodem feria quinta, proxima poſt Viſitationem B. V. M. a *Corvino* iuſſi. Ex eo tempore, Archiepiſcopatus eſt hæredium.

que diuinus, & qui ei præeſt; Parochus primarius, (v.) ſympho-
niaci item, & quidquid eſt publici miniſterii, ſuſtentandum eſt. In-
inſignia. ſigne vrbis, *S. Catharinam* refert, ſiniſtra ſcutum tenentem, humi innixum. Tres huius ſunt areæ. quarum ſuperior, rotæ partem mediam, ſupplicii eiusdem virginis inſtrumentum, duæ inferioris, hinc quinque lilia; illinc tres fluuiorum tramites, referunt. Dextra gladium diua tenet, rota, eidem pedi adcubante. Eadem, & ſigilli icon eſt, quod cera ſignatur rubra. Nunc, vrbi valedicturi, locupletes ei venas, & diuites reditus, toto animo, comprecamur.

II.

HISTORIA
Regio-Monti, ſeu *Uj-Bányæ.*

SYNOPSIS.

Vrbis nomen Hungaricum, & Slauicum: Germanicum. §. I.

Dubia vrbis exordia: Mariæ, *in vrbem propenſio: admenſi, oppido agri, hiſtoria.* §. II.

Montes circumſiti: vrbis poſitus: ædificiorum habitus: templa: Xenodochialis dos. §. III.

Vrbis fodinæ, auratiæ fuerunt, perquam diuites: quibus maleficiis peſſum inierint. §. IV.

Bellis ciuilibus, damnum accipiunt: clades, vrbiculæ a Turcis *illatæ.* §. V.

Saxonum, *eadem clade, exitium: ſenatus ratio: ciuium occupatio.* §. VI.

Nuperæ, in aperiendo vetere puteo, molitiones: Angli *machinæ, auratiæ veteri, admotæ: ſucceſſu irrito.* §. VII.

§. I.

Vrbis nomen, Hungaricum, *& Slauicum:*

CEminum vrbi nomen eſt. Hungaris *Új-Bánya* dicitur: quomodo & Slaui vocant, *Nowá-Banya.* quod vtrumque, *Nouam fodinam*, ſignificat. Rationem vocabuli, procliue eſt reddere. Nimirum, poſteaquam auri venas, iſthic, *Cremnitzienſes*, an *Schemnitzienſes* metallici, detexiſſent, vt nouos iſtos, ſeu cuniculos, ſeu puteos, a veteribus diſcriminarent, *Új-Bányam* Hungari appellauerunt. Sed Germanis, *Königsberg* dicitur, quod latine *Regiomontum* reddimus: credo, ob ſingularem REGVM, erga

Germanicum.

surgens

v.) Ita *Plebanum*, honoris cauſſa, adpellant: eo quod, & *Slaui*, ſuam, & diſcretam a *Germanis*, habent *parochiam.* cuius procuratio, penes PP. *Franciſcanos* eſt. Huc *referuntur*, præter ciuicam multitudinem, vici *Slaui* ſermonis: *Legend, Windiſchdorff, & Schwabenheth.*

ſurgens metallicum oppidum, beneuolentiam. Id enim, per manus quaſi traditum, accepimus, ob diuites auri, qui hinc cogebantur, prouentus, maiorem in modum, vrbis receſſu, *reges* fuiſſe delectatos. qua eorum propenſione, factum eſſe credimus, vt *Regis mons*, ſeu *Königsberg*, cognominaretur. Aliam nominis originem, reddunt alii. Cum montanæ vrbes reliquæ, metallicas ſocietates, ſeu collegia auraria habuerunt, e ciuibus coadunata, quæ, partim operas, in eruendis mineris locarent, partim ſumtus idoneos facerent; repertas iſthic venas, nemine in ſocietatem cooptato, ſibi, a regibus, ſeruatas fuiſſe; ideoque, *Königsberg*, quaſi *mons*, ſeu *fodina regum peculiaris*, forte an deſtinato conſilio, vrbs cognominari cœperit. Neque, ſi has migrauerimus coniecturas, ſuppetent certiora.

§. II.

Dubia vrbis exordia:

AT enim, ad quam ætatem, vrbis exordia ſint referenda, dicere non habemus. CAROLI I. tempora definiunt aliqui: quod is, lucri *Cameræ* metallicæ, obſeruator fuerit, vnus omnium ſtudioſiſſimus. Altius, alii veſtigia figunt, faciuntque vrbem, ſi non æqualem montanis reliquis, ſaltem, breui, poſt earum initia, excitatam. Certe MARIA regina, CAROLI, ex LVDOVICO I. neptis, in deliciis vrbem habuit. Heic enim, & prætorium, in quod ſecederet frequentius, poſuerat, & officinam conſtituerat, auro ſignando. Eius munificentiæ documentum eſſe aiunt, ingens, quod vrbi admenſum eſt, territorium; maius multo futurum, auguſtiusque, niſi, ſibi ipſis defuiſſent, primi metatores. Rem, ad hunc modum, e plurium ſermonibus, relatam accepimus. Statuerat *regina*, anguſtum oppidi agrum, laxiorem facere, poteſtate ei ſini, ciuibus data; vt, quidquid, cis, & vltra *Granum*, pedeſtri, vnius diei itinere, circuire potuerint metatores, vrbi id, perpetuo iure cederet. Proinde, vt reginæ hanc benignitatem, in rem ſuam verterent ciues, deligunt, ad obeundum id munus, quos pedibus maxime valere putauerant. Quatuor fuiſſe aiunt; quorum duo, in aquilonem; duo, in meridiem abirent, profectionis initio, ſub diluculum longiſſimi dici, conſtituto. Simul præſtituta lux inire cœpit, curatis illi corporibus, domo exeunt, itineris veſtigia, qua proficiſcerentur, decuſſis arborum ramis, vt a *regina* iuſſi erant, deſignaturi. Atque hi quidem, qui in ſeptentrionem diſceſſere, quam poſſunt, celerrime, iter faciunt, omnemque eam montium regionem, quæ hinc, in orientem, illinc, in occidentem vergit, quaſi indagine, latiſſime concludunt, itinereque, ex animi ſententia confecto, ad ſuos, ſole occaſo, læti reuertuntur. Segnius, qui trans *Granum* abierant, rem geſſere. Nam, ſimul amnem traiiciunt, ientandi conſilium capiunt, vt validiores ad iter fierent. Itaque, haud longe a ripa *Grani* profecti, vmbroſa ſub arbore, quæ forte occurrerat, diſcumbunt, peram, quam habebant, panc, caſeo, & alia

admenſi oppido agri: hiſtoria.

carne, confertam, excutiunt. Protracto diutius ientaculo, cum interea dies, ardore solis incalesceret, mutuo se inuicem colloquio, in vmbra, tam diu detinent, dum vtrique somnus obreperet. Stertebant ergo, boni illi metatores, vltra, quam id tempus ferret, tum demum excitati, cum sol, pronus in occasum rueret. Quo viso, limphatis similes, prosiliunt, tantillum dieculæ, quod supererat, egregie scilicet collocaturi. Sed, vix ad vnius alteriusue teli iactum, a *Grano* progressi fuerant; cum interea, sol occidit, simulque ientatoribus istis, reuertendi necessitatem imposuit. Atque, ista quidem oscitantia factum est, vt cum vrbs in aquilonem, laxo sit, & extra modum, diffuso territorio; vltra *Granum*, vix iugera aliquot, admensa habeat. Tanti est, occasioni indormire. Ciues profecto, numquam, sine indignatione audiunt narratiunculam, ab hominibus, lasciuientis splenis excogitatam, adseuerantes. quod negant alii.

§. III.

Montes vrbi circumfiti:

Situs vrbis, Grano, ab aquilone vicinus, montosusque est, & non minus asper, quam tristis: tribus enim iugis obsidetur. Quod orienti soli obiacet, *Kuppa* dicitur; *Fuchsenhügel*, siue *collis vulpeculatum*, quod ab occidente prætenditur; meridiem *Tanbenberg*, id est, mons columbinus claudit: reliquum agri, quod in septentrionem secedit, in

eius positus:

salebrosam vallem, laxatur. Præcipuus vrbis vicus, collem occupat, mollius, a meridie, in aquilonem, adsurgentem, vtroque autem latere, præruptum. Isthic prætorium visitur, seu *Camera* domus, quam a Maria regina habitatam fuisse, aiunt; obsoletum opus, ac

adificiorum habitus:

propemodum desertum. Aedes ceteræ, si *Curiam*, & *Parochiam*, excipias, solide factas, agresti sunt habitu, & pro regionis more, ex trabibus, quomodcunque materiatæ; eæ in primis, quæ per valles sparsæ, aut, per montium latera suspensæ, visuntur. *Vix domum* repereris, cui non opportune adsideat hortus, laxior hic, arctior alibi. Itaque, tota vrbs, qua consedit depressius, nemorosa est, & arbustis interstincta: quod, in retruso illo positu, habet quidpiam iucunditatis. Certe, *Bosnica* poma, pyraque, non incremento tantum, & decore, sed gustus etiam præstantia, pulcherrime isthic proficiunt. Aedes sacræ, duæ sunt; *Vrbana* altera, altera *Xenodochialis*. Illa, vastæ molis est, fuitque opus, eorum temporum, quibus opulenti, ex fodinis, reditus fiebant. Desolata, inde ab anno MDCLXIV. stetit, cœpitque anno, demum MDCCXXV. instaurari. Quæ *Xendochio* cohæsit, in meridiem, loco humiliore, sepositа est. ipsa, vti relatum accepimus, ciuitate opulentior. Cum enim vrbi, nullus sit vicus, prouentus autem omnes, *Officina vitriaria*, & *cereuisiaria*, duabus item tabernis, & gemina mola frumentaria, definiantur: *Xenodochiali* huic ædi, vicus est fructuosus, & par alendis egenis. *Magos-Part* ei apud Hungaros, *Hochstätten* apud

templa:

Xenodochialis dos.

apud Germanos, *Breby* apud Slauos, nomen est. Alioquin, vrbs nullis mœnibus clauditur: quod in ea situs iniquitate, frustra esset, montibus vtroque vrbis latere, impendentibus. Vidimus tamen, ea regione, qua a *Grano* aditur, portæ quoddam simulacrum, tunc, vti opinor, positum, cum *Turca*, continuis impressionibus regionem, fatigabat.

§. IV.

Vrbis fodinæ, auraria furrunt, perquam diuites:

Ad vrbis metalla, quod adtinet, auri venis olim turgescebat. Diuitias earum, supra adtigimus. Id certum est, si veterum (*a*.) schedis credimus, duplicato, in hebdomadas singulas, reddidisse sumtus, *Regii* huius *Montis* fodinas. Quod, non potuit non, in amorem vrbis, *reges*, *reginas*que, illicere. Sed, quemadmodum *fit* toto die, vt rebus secundis, mortalium animi luxurient; idem illud malum, res quoque *Regiomontanorum*, pessumdedit. Referemus historiam, frequenti incolarum sermone, hodieque vulgatam. Ingentes opes, ex metallis coaceruauerant, boni illi *vrburarii*; iamque, sui ipsorum obliti, tametsi, procul a celebritate hominum agerent; tamen, in eam, breui, lasciuiam, morumque licentiam, prolapsi sunt, vt hic illud Poetæ (*b*) occini potuerit:

quibus maleficiis pessumdederint.

Effodiuntur opes irritamenta malorum.

Nimirum, cum obscura ista, cæcaque valle, nulla, ad prodigendas, cum scelere, opes, pronior se occasio daret, diurnis nocturnisque commessationibus, choreis, & id genus lasciuia, tempus cœperunt extrahere. Perpetua bacchanalia dixisses, ita hic, turpissima oblectamenta illa, sine cessatione, agitabantur. Creuit deinde, eo vsque maleficium, vt, quod palam in vrbe patrabatur, id iam vilescceret; nisi in profundissimis terræ viscribus, *proh scelus!* idem fieret. Itaque, quasi non esset facinoris satis, sub dio, numinis beneficia, *sceleribus deterere*; cuniculos aurariarum subeunt, vxoribus; & omni ætate, sexuque, in retrusissimos fodinarum anfractus, simul deductis. Fuit quadam fodinæ regione, ingens cauerna, diutino operarum labore, ad eam excauata laxitatem, vt accipiendæ multitudini, perquam esset idonea. Isthuc ergo, subterranei illi commessatores, cum sæpius confluxissent, *Baccho*, *Veneri*, & quæ sunt illecebræ aliæ, strenue litantes, rem turpissimam, in consuetudinem traduxerunt, toti postea vrbi exitiabilem. Cum enim, præstituto, ad lasciuiendum, die, vrbana hæc colluuies, suis excita sedibus, in *Pluti* specum illam, se demisisset, iamque effuse baccharetur, neque vlli petulantiæ, seu modum poneret, seu finem: ingens ea concameratio, sensim cœpit subsidere. Periculo, vti erat, aduerso, conclamat cuniculi præfectus; *desidere montem*, *agerent*, *quibus vita cordi esset*, *subdium properarent*, *antequam labascente mole*, *aditus præcluderentur*.

a.) *Alte Berichte*, Germani vocant. *b*.) Ovidivs Met. I. v. 140.

Hæc ille, opportune admonens, cum paucis, qui ſequuti ſunt hortantem, in apricum ægre prorepit. Contra, veſana illa ex *Baccho*, & *Venere*, multitudo, ſannis proſcindere hominem: *quid*, inquiunt, *ſi cælum rueret?* Tunc vero (*c.*)

Inſonuere cauæ gemitumque dedere cauernæ.

Totus enim mons, fragore edito, in nefariam ſocietatem, ſubito incubuit, oppreſſitque ad vnum omnes. Quadringentis plures, ex omni ſexu, atque ætate fuiſſe accepimus. Aiunt, per rimoſum cuniculum, qui & ipſe corruerat, diu, cum aqua metallica, obrutorum cruorem, tabumque demanauiſſe. Poſt eam, maleficentiſſimæ turbæ, intenecionem, parciora in dies fiebant metalla. Tametſi enim, conduplicarunt operas, neque parcebant ſumtibus; nihil tamen vſpiam fructus reditusque parari potuit; ſed, perpetua vbique fiebant intertrimenta: venis prorſus euaneſcentibus.

§. V.

Bellis ciuilibus, damnum accipiunt:

Istis progreſſa initiis, metallorum pauperies, mirum, quantum bellis ciuilibus, inualuerit: quod, partim abſtrahebantur metallici, obſidionalibus paſſim operis adhibiti; partim, vrbs euallabatur frequentius. Enim vero, non vna clade, adflictam fuiſſe certum eſt. poſt Alberti fata in primis: tunc enim, a *Bohemis* partim, *Eliſabethæ* auſpiciis, iura *Ladislai* poſthumi defenſantibus; partim, ab *Hungaris*, qui *Wladislaum* Polonum tuebantur, ad incitas redactæ fuere, non aurariæ tantum; ſed vrbs etiam: quippe quæ, per quinque propemodum luſtra, ſi caſus aliquot excipias, habitatoribus vacua defertaque iacuit. Depulſis demum, ſub Matthia *Coruino*, Bohemis, reædificari ſenſim vrbs, & metalla, immiſſis operis, recoli cœperunt. Ergo, inualuerunt, ad priſtini floris modum, & ciuitas, & fecturæ; dum, cladis *Mohácſianæ*, hvcvsqve propagata mala, noua, cum vrbi, tum *fodinis*, adferrent detrimenta. Propius ad ætatem noſtram, exitioſiſſima omnium calamitas fuit, quam ei, anno MDCLXIV. die XVII. Maii, *Turcæ*, *Tartari*que, inflixerunt. Res funeſtiſſima ita ſe habuit. Recuperarat *Suſa*, Nitriam, iamque de *Léva* tentanda, conſilium ceperat, cum crebri adferunt nuncii, *Budenſem* purpuratum, cum viginti quinque millibus, aduentare. Eo audito, *Suſa*, ne tenuem adhuc exercitum, hoſti cogeretur obiicere, intra valles, ad *S. Crucis* oppidum, caſtra promouenda ſtatuit. Vix *Granum* traiecerant noſtri, cum hoſtes, veſtigiis eorum imminere, & vltimum agmen, tumultuarie carpere incipiunt. Proinde, ad *Zernouiczium*, vt ſubſiſteret, communiretque caſtra, non vna ratione inductus eſt. Triduo iam, in conſpectu hoſtium noſtri fuere, cum profectionem ad *S. Crucis* fanum, edicit *Suſa*: agminibus atergo obiectis, quæ *Turcas*, profecturis imminere volentes, reiicerent. Ea res, atroci pugnæ, quam ad *Zernouiczium* deſcribemus, occaſionem

clades vrbiculæ a Turcis illata.

c.) Virgilivs, Aeneid. II. v. 53.

nem dedit. Cæſi, poſt pertinax prælium Turcæ, quum eo; vnde venerant, redire cogerentur, *Regis Montem* exurunt. Breuiter Wagnervs: (*d.*) *Turcæ, exuſto* Újbányæ *oppidulo Strigonium* Suſa, *ad S. Crucis, conſedit.* Sed maior omnino, quam cogitarat, aut cognorat (*e.*) hiſtoricus, oppidi ſtrages fuit. Præterquam enim, quod hoſtis, infelicis pugnæ, quam perendie forte commiſerat, memoria fremens, vrbiculam omnem diripuit, & concremauit; incolas certe, per fodinarum cuniculos puteosque latitantes, peſſime adflixit. Stramine ſcilicet, & materia, alendo igni idonea, in fauces aurariarum ingeſta, accenſaque, quingentos, plus minus, incolarum, fumo enecauit; pari fere numero, in captiuitatem abducto. Acerba hac, funeſtaque clade, & metalla detrimenti *plurimum*, & oppidum, tantum malorum accepit, quantum, *ad noſtram* vſque ætatem, reſtaurari haud potuit. Tollivs (*f.*) *profecto*, iſthic metallorum naturam rimatus, adhuc proſtratum oppidum, debilitatas operas, exhauſtasque venas, querebatur. *Noctem*, inquit, *Regiomonti traduxi, quo me ſpes traxerat, auriſodinam viſendi, diuitem quondam, & nobilem: verum tam pauper ea erat, vt operæ pretium non eſſet, eam ingredi; quum vix denæ, in annum, auri ſemuncia, quatuor hominum opera, expromerentur. Canſſabatur, illius fodinæ præfectus, inopiam aquæ, qua Cremnitzium, ad comminuendam mineram, abundat. Inſpecta vena auriferæ particula, ſtatim pauperem eam eſſe, agnoui, minimeque lucroſam. Sunt etiam officinæ hic vitriariæ; quæ tamen oppidulum, ab egeſtate vindicare nequeunt, maxima ſui parte deſertum.* Hæc ille.

§. VI.

Saxonum, eadem clade, exitium:

Clade, quam meminimus, a *Turcis*, oppido illata, ſimul, quidquid e *Saxonica* gente erat ſuper, exſtinctum fere eſt: confluentibus, in ciuium ſupplementum, ex *Slauica*, & agreſti vicinitate, quam *plurimis*. Factum ea reeſt, vt, quæ *Germanorum* olim colonia fuit, in *Slauicam* abierit. Et, pauci omnino ſuperſunt, qui *Germanice* loquantur, atque hi fere, *Schemnitzio*, aut *Cremnitzio*, iſthuc ad operas arceſſiti. Iura interim vrbi eadem ſunt, quæ montanis reliquis. Senatus duodecim viros habet, plebeios fere omnes. *Notarius*, e nobilitate deligitur, qui, & iuris peritus, & latini ſermonis, quo negotia publica, referri in litteras conſueuerunt, gnarus ſit oportet. Sin occurrat quiddam, quod momentum, ſeu in deliberando, ſeu in exſequendo, trahat, ex vicinis vrbibus, *Schemnitzio*,

Senatus ratio:

d.) Hiſt. Leopoldi M. Lib. II. p. 149.

e.) Nos rem funeſtam, ex ſchedis *Thomæ Dorothiczii*, apud Regiomontanos tunc ludimagiſtri, didicimus; quem cum vxore, & liberis, recluſos quidam, & probe oppeſſulatus, fodinæ puteus, ab exitio, conſeruarat: fruſtra cum, perrundere conantibus *Turcis*.

f.) Epiſtola Itiner. V. p. 195. His adde, quæ ibidem p. 165. leguntur: *Ab alio* Pukanczii *ſcitere*, Königberga *eſt, tribus milliaribus diſtans, oppidulum tantum non deſertum, vbi itidem auriſodina eſt, quam tamen pauperem offendi, vnde, & tantum non pro dereliſta, habetur.*

tzio, *Gremnizio*que, arbitri, aut iudices, euocantur. Victus, ciuium plerisque, non iam ex metallis, sed agricolatione, suppetit. *ciuium occupatio.* Tametsi enim, agrum nacti sunt asperum; tamen, percolunt eum diligentia, longe scrupulosissima. Accedit, res pecuaria, quam, pro montium ingenio, sollicite procurant. Quia enim, derasa montium caluitia, multo gramine herbescunt, alunt oues, per æstiua non minus, quam hiberna, tuguria. Sed ista, in re facienda, opportunitas, eorum fere est, qui sunt lautiore fortuna. Plebs residua, collinos suspensosque agros, ligone subigat, necesse est. Adeo, nimirum, commutata *Regiomonti* fortuna est, vt cum olim opibus luxuriarit, abusumque sit ad omnem lasciuiam; nunc, vix alendis ciuibus, neque id sine querela, sufficiat.

§. VII.

Nuperæ, in aperiendo vetere puteo, molitiones:

NOstra hac ætate, in spem, pristini floris erigebatur oppidum; cum *veterem aurariam*, perpurgare cœpissent, coadunatæ, domesticorum, iuxta & exterorum, operæ. In magna semper opinione, diuitum venarum, fuere, obsoleti *Regiomontanorum* putei: quo circa, iis aperiundis, facile fuit, plures in societatem illicere. Percrebuit incœpti rumor, diffususque ad exteros est, spe, ingentium redituum, passim iniecta. Sed, subterraneæ aquæ, quibus offusus erat *vetus* (*g.*) ille *puteus*, remoram, tantis conatibus, ponebant. Erat tunc Viennæ, *Anglus* quidam, POTTERO nomen fuit, qui artem, a parente condoctus, secum adtulerat, aquas subterraneas, vallo syphone, ex imis puteis, caloris ope, exhauriendi. Is ergo, posteaquam machinæ illud genus, ad hortenses, principis *Trautsohnii*, delicias, condidisset, cœptum est cogitari, de eadem illa machina, *Regiomontano* puteo, admouenda. Multum, ad persuadendum ponderis accessit, quod in stanni fodinis, quas *Cornubia*, Angliæ prouincia, diuites colit, ingenti sumtuum compendio, fructu autem maximo, adhibitam machinam, idem *Anglus*, publicis testimoniis, docuerat. Itaque, collatis, cum *Camera Aulica*, rationibus, datur id negotii POTTERO, rem vti, diligentia, qua posset, maxima, conficeret, præmio, si molitio illa ex animi sententia cesserit, simul proposito. Proinde, in ærariis *Neosolienſium* officinis, moles, singulari operarum assiduitate, conflata procusaque, *Regiomonti* tandem A. MDCCXXII. si bene recordamur, *veteri*, de quo diximus, *puteo*, admota est, successu ad prodigium vsque felici. Tantam enim aquæ vim, singulis haustibus educebat, quantum, qui non viderunt, vix mente conceperint. Verum, *successu irrito.* quod subterraneæ illæ scaturigines, perrennes essent, moles vero, subinde fatisceret; facile, dum, quod luxatum in machina fuit, instauraretur, ad pristinam altitudinem aquæ increscebant. Nempe,

Angli machina, aurariæ veteri, admotæ:

Sisyphi

g.) Germanis *Alt-Schacht*, Item *Alt-Gebäu*.

Sisyphi saxum, tanto molimine, voluere dixisses, addictam operi (*b.*) societatem: cum id, quod plurium hebdomadarum interuallo, subductum, e subterraneo lacu est, vel ad modicam cessationem, inualescebat denuo. Creuit interea, cum operarum ardore, ingentium redituum spes, an confidentia; pellectique sunt plurimi, qui exiles (*i.*) etiam sortes, ingenti ære coemerent. Et profuit sane, ista nundinatio lucripetis, eoque iam res vergebat, vt parum abfuerit, quin in quæstum, *Mississippensi* illo; si magnis fas est parua comparare; qui nuper, *Galliam* ære emunxit; multo iniquiorem, abiret. At enim, cum diu, spe frustratos se viderent, qui nomina, in societate professi fuerant; neque, siue sumtuum vllus esset finis, siue certa *fractuosioris* venæ, ostenderentur indicia; contra, priscæ illæ *fchedæ*, funesta quæuis portenderent: ita subductæ sunt rationes; vt ab opere cessaretur, &, si possit fieri, grandis illa sumtuosaque machina, alibi adhiberetur. id quod anno MDCCXXIX. euenisse meminimus: postequam, temtamine illo, si parcissime supputaueris expensas, triginta & centum florenorum millia, prodacta sunt. *Ista* vero molitionum cessatio, quanto oppidanorum damno, acciderit, facile est ad coniiciendum. Iam enim, reuiuiscere incipiebant ciues, conciliabaturque vrbi sensim celebritas pristina: cum frequentes adessent, qui isthic sumtus faciebant, exteri non minus, quam vicini impensæ autem, in operas factæ, isthic consumerentur. Nos, adflictis oppidi rebus, optima quæque comprecati, pedem vltra proferamus.

SECTIO II.

DE

Oppidis & Arcibus Processus Oszlanensis.

PROOEMIVM.

TRia, PROCESSVI huic sunt Oppida; Arces, præter Cremnizienſem illam, duæ. singula, vt describamus, ordo nos vocat, institutique ratio.

SYNOPSIS.

I. OSZLÁNY, *situs amœnus, sed non æque vber: agro est frumenti patienti: mercatus oppidi hebdo-*

II. S. CRVCIS *possessor, situs oppidi: fata*

madarii: iniqua eius fata: cui hodie pareat.

b.) Insigne, metallicæ huius societatis, in qua, ne quid diffitear, & ego nomen eram professus, machina hæc fuit, cui, & in signandis litteris vtebatur, cum inscriptione: TANTAE MOLIS ERAT. Vtinam, ne fuisset!

i.) Germani nostri, *Die Theile*; Saxones, *Kuchen* vocant.

fata, tumultuante Tökölio: *prælii, isthic commissi, historia: clades illata oppido: incolarum occupatio: nota eis scribitur inhumanitatis.*

III. Zarnoczini *positus: nominis origo fabulosa: labor oppidanorum, panificio, fere totus, constat: oppidi habitus: amnis intercurrens: est oppidum, in potestate regis: prælii* Zarnocensis, *descriptio.*

IV. Welká-Polya: *eius habitus, adtinet ad* PP. S. Pauli, *primi Eremitæ:* Tollii, *de oppido elegans mentio.*

V. *Arcis* Sásko *situs, nomen, origines: prospectus ratio: est caput dominii* Saskóiensis.

VI. Arx Revischtye, *quo sit loco posita: nomen, vnde enatum: molis habitus: fuit olim* Vrbani *præsulis Agriensis possessio: eius viri laudes, ex* Bonfinio: Vrbano *decedente*, Docziis *adscribitur: & his emortuis,* fisco *regio.*

VII. *Castella varia.*

I. Oppidvm Oszlány.

Oszlány *situs amœnus, sed non aque ber:*

agro est frumenti patienti:



Szlány, amœni est positus. Præterquam enim, quod montibus, hinc altioribus, humilioribus illinc, circumsidetur, agro potitur, adspectu læto. Sed ad rusticandum, haud æque idoneo. Nam, qua admensum ei terrenum, situ planiore procurrit, lætaminis vltra, quam reris, indigum obseruauimus: reliquum, quod per colles suspenditur, ex se asperum est atque effœtum. qua re sit, vt duræ hic sint arationes, & laboris adsidui. Oppidani interim, *Slauum* genus, tametsi prosiciunt opificiis: tamen, præcipuam laudem ferunt agricolationis. Frumentum certe, quod huiate in agro gignitur, in pretio apud vicinos est; *hordeum* præcipue, ob farris, quo turget, præstantiam. Accedunt, ad oppidi commoditatem, mercatus hebdomadarii, die *Solis* & *Mercurii*, vetere instituto, insigni multitudinis concursu, celebrari soliti. Ac sunt omnino, in primis solertes oppidani, vt hæc, qualiacunque fora, in rem suam vertant. Itaque, cum ex frumento, domestico eo, conuectoue aliunde, tum e re pecuaria, quam venum adpellunt, quæsticuli nonnihil faciunt. Dum *Turcæ* essent viciniores, frequenti hostium impressione, fatigabatur *Oszlánum.* Truculenta ea fuit, quæ A. MDCLXII. euenit: quippe, non oppido tantum, sed *duodecim* simul circumpositis vicis, exitialis: at truculentior multo, qua A. MDCLXXXIII. pessundatum est. Duo millia *Turcarum*, *Tartarorum*que, *Ujvarino* egressa, clam, his se montibus insinuauerant. Pepercere, scilicet, vicis, a tergo relictis, ne rumor impressionis, temere dimanaret. Itaque, nec aduertentibus montium incolis, summo mane, dici *Paschatos*, qui in VIII. Aprilis inciderat, oppido circumfunduntur, peruadunt fossas, lateque, in omnem ætatem, ferro grassati, prædam ingen-

mercatus oppidi hebdomadarii:

iniqua eius fata:

ingentem cogunt; quin, ducentos incolarum, e sacra æde, quorsum, tamquam ad asylum quoddam confugerant miseri, raptim protractos, in captiuitatem abigunt, exustoque oppido, inulti ad suos redeunt. Diu, post eam calamitatem, semirutum *Oszlánum* iacuit; donec reiectis hostibus, cum vniuersa circum regio, tum adflicta oppida, vicique, ad se redirent, pristinum mox florem, recuperatura. Fructuosum adeo hæredium, ad gentem *Géczionum*, *de Assa Kirth* pertinet; iam vero, Comiti *Johanni Pálffyo*, auiti iure pignoris, obnoxium est. Dissidet *Cremnitzio*, quatuor, in occidentem æstiuum, milliaribus.

cui hodie pareat.

II. Oppidvm, sev Fanvm S. Crvcis.

S. Crucis possessor:



Ppidum est, Strigonienſis Archiepiſcopi, Hungaris *Szent Kereſzt*, Slauis, *Swaty Kriz*, vocitatum: quæ nomenclatura, & apud *Germanos*, qui id *Helig Creutz* dicunt, obtinet. Sedet, ad aquilonarem Grani ripam, loco hilari, eleuatoque. *Trans Granum*, inquit, *Schemnitzio* veniens, Tollius (*a.*) *S. Crucis nomine, elegans, ante hoc bellum, nunc fœdum in modum, a rebellibus Hungaris, deformatum oppidum est: cui arx addita, haud magni momenti.* Bellum, aut seditionem potius *Tökölianam*, intelligit, quæ in primis, funesta oppido exstitit. Cum enim, montanis potitus, latius, infesta arma, diffunderet *Tököli*, hic, a fortuna deprehensus, magnæ oppidanis fuit calamitati. Iuuat rem plenius expromere. *Tökölium*, & opibus, & exrrcitu inualescentem, vti reuocaret ad officium Caesar, Gallico bello, immane, quantum distentus, *Strigoniensem Archiepiscopum*, ad conciliandum eum ablegat. Multa is, sed præter morem, modestius, apud præsulem conqueritur; cumque de induciis, & harum legibus, cum *Archiepiscopo* agit; *Turcis*, *montanas vrbes*, clam, venales offert: siue, vt ære, quod accepturum se inde sperabat, exercitum in officio contineret; siue, vt placabiliorem, hoc iniecto metu, Cæsarem sibi redderet. Ergo, fructu legationis frustratus *Strigoniensis*, huc, vnde missus fuerat, incolumis redit; *Tökölii* rogationes promit, (*b.*) quantoque in periculo, *Auraria Hungarica*, versarentur, simul explicat. Re, vti erat, cognita, datum id negotii *Wurmio* est, Cæsarei exercitus, summo, illa ora, duci; vti hostes, ex metalliferis vallibus, tentaret eiicere. Obsequitur ille, nihilque cunctatus, exercitu coadunato, profectionem suscipit. *Wurmius*, inquit Wagnervs, (*c.*) *vt hanc opulentiæ venam eriperet, comparato mediocri exercitu, in ipso vallium aditu, incidit in sedi-*

situs oppidi:

fata, tumultuantis Tökölio:

prælii, isthic commissi, historia:

a.) Citato loco, p. 171. Primum castelli eius conditorem, Franciscvm Forgach *Cardinalem & Archiepiscopum Strigoniensem*, gentis inclytæ monumenta, loquuntur: qui etiam An. MDCXV. d. XIII. Oct. vitam illhic, cum morte commutauit.

b.) Adcurate eas recensuit Wagnervs, loco iamiam citando.

c.) Historiæ Leopoldi M. Lib. VIII. p. 558.

ditiosos. Pugnatur vtrinque ardore maximo; pugna multis horis anceps iti; dum noua, quæ Germano aduenerant auxilia, victoriam denique firmarent. Tökölivs, *perpetua fuga, sub* (*d.*) *Neosolii mœnia euasit.* Fuit omnino præliorum, quæ toto seditionis tempore, cum *Tökölianis* commissa sunt, facile atrocissimum. Nam, cum summo mane, hostem adoreretur *Wurmius*, tanta pertinacia, die propemodum integro, depugnatum est mutuo, vt sæpe, in nostrorum castris, de victoria trepidaretur, parumque abfuerit, quin receptui caneretur; donec, peropportuno auxiliorum aduentu, fracti animis *Tököliani*, inaccessas vallis *Butsensis* (*e.*) fauces, sub serum diei, circumspicerent: *Bohamo* simul, qui auxiliarias Tökölii copias ductabat, in fugam conuerso. *clades illata oppido:* (*f.*) Non potuit, sine oppidi clade, *Tökölianorum* hæc strages, accidere: quippe quæ, in patentissimis (*g.*) eius aruis, illata perduellibus est. Ac profecto, segnius reparabatur postea, quod vna subinde calamitas, ediderit aliam. Itaque, post belli demum *Turcici*, quod pace *Carlouitzensi* terminatum est, exitum, inualescere oppidum coepit. Quia enim, in itinere positum est regio, licentia, commigrantium vltro citroque, militum, & tunc conficiebatur, cum post reiectos, quam longissime, hostes, potuisset incolis, iuxta atque ædificiis, conualescere. Accessere, malis reliquis, frequentia incendia, quæ instauratum eleganter oppidum, sæpius desolauerunt. In his, funestissimum id fuit, quod A. MDCCXXVI. mense *Aprili*, subito coortum, vniuersum, quam late porrigitur, oppidum, cum æde sacra, in cineres redegit. Quia enim, ædibus cultum est, e materia contignatis, & hic stramine, scandulis alibi, intectis; estque, in tanta *Grani* vicinia, puteorum inops, fit ex facili, vt flammæ, tenuibus conceptæ initiis, latissime serpant, & ante vniuersum conflagret oppidum, quam præsto sit, quod est, ad restinguendum incendium, opus. Incolæ,

a.) *Vetusolium* fuisse, in eius vrbis facis meminimus.

e.) Præsidio eas, aggereque clauserat, ne posset ab hoste circumueniri.

f.) Miserandus error est, quem ad præsii huius mentionem, nouus ille *Istuánfii* architectus, errauit: *Tökölius* inquit, Lib. XLIV. p. 573. b. *victoria alcum, vsque adeo Cæsareanorum constanti permisit fortitudini, vt Altosolium, medium inter Ujuarinum, & Cremnicziam, subter tormentorum tutelam confugerit.* Quis vnquam hos locorum situs somniarit? nisi in vltima *Thule* natus. Si medio, inter *Cremnitziam*, & *Ujuarinum*, loco sederet *Vetusolium*, *Ilua* esset, sex Hungaricis milliaribus, hinc dissidens. Adeo infelix cœptum est, si audeas *historiam* moliri, ignarus *Geographiæ*: quod si alias male cecidit, apud *Istuánfii* certe hunc editorem omnium pessime: quippe qui, ita fœdauit res *Hungaricas*, vt eis repurgandis, Herculeo sit labore opus. Laudandus ergo est, Christianvs Avgvstvs Cardinalis de Saxonia, quod, dedicatam sibi, deturpatam editionem illam Istvanfii, tanquam, quæ in opprobrium gentis *Hungaræ*, ab indoctissimo homine procusa sit, *Ratisbonæ* tunc agens, excelso animo, & propenso in *Hungaros*, repudiarit. id quod nosse cupimus eruditos.

g.) Miror, non indicauisse Wagnervm, loci nomen, vbi depugnatum sit. Ager *Sanctæ Crucis* fuit, quod in omen vertisse aiunt *Strigonienses*, cuius legationem deluserit *Tököli*, nimirum, in eius aruis cæli oportuisse seditiosum anteſignanum, cuius ille pacis studium, spreuerat. Nam, *S. Crucis* opidum, veterrimo iure, ad *Archiepiscopos Strigonienses* pertinere, initio monuimus.

colæ, *Slaui* sunt omnes, multæ, in percolendo agro, sedulitatis: id *incolarum occupatio:* quod, præcipuum fere, quo vitam sustentent, occupationis genus est. Et est sane, eo territorio oppidum, quod, re in primis frumentaria, pratis, atque aruis, valet. Quocirca, & ipsi multum sementis educant, & peregre coemunt plurimum, vt habeant, quod, quæstus gratia, vrbibus montanis subuehant. Notam inhumanitatis, *vota eâ scribitur in humanitatis.* scribi oppidanis, non vno auctore accepimus: quod, in tam frequenti nundinarum (*h.*) celebritate, qui fieri possit, coniectatu difficile est: nisi id, lucripetarum vitio, fieri exilimes, qui, vti reliqua omnia, sic & officia, quibus continetur societas humana, venalia habent. Dissidet *Cremnitzio*, duobus in meridiem milliaribus.

III. Oppidvm Zarnócz.

Tertium, isto *Processu*, oppidum, Zarnócz est. *Zarnoczinum*, quin & *Zarnouiam*, latina terminatione, aliqui dicunt. Slauis *Zarnouicza* dicitur, gemino, in meridiem, milliari, a *Fano S. Crucis*, eodem *Grani* margine, seiunctum. Nominis origo, ne eam prætereamus, fabulam redolet. quæ *nominis origo fabulosa* in compendium missa, istiusmodi est. Inualescentibus *Schemnitzii Germanis*, cum oppressum se iri, *Slaui* prisci incolæ, viderent, cœpisse consilium, pellendorum, in exsilium, *Saxonum*, vt laxius ipsi, commodiusque habitarent. Aegre primum, in demigrationem *Germani* consentiebant; sed, cum vrgerent illi pertinacius, conuasatis, quæ in promptu erant, reculis, tripartito, *Schemnitzio* deducunt colonias. Qui primi vrbe excessere, profectis conuicio *Slauis*, dixisse feruntur: *Nagdeme my sebe chleby;* hoc est: *victum sẽ panemque, ex facili reperturos*, tametsi decedendum sit, ob *Slauorum* iniurias, *Schemnitzio.* quæ demum colonia, eo loco fortunarum sedem posuit, vbi iam oppidum, *Nagy-Honthensis* prouinciæ, *Sebechleby*, exædificatum est. Generosior multo, potentiorque, colonia fuit altera. Hæc, simul vrbe exiit, consilium cœpit, arcis *Sachsen-Stein*, ex suo nomine, in *Grani* ripa, exædificandæ, qua se aduersus *Slauorum* maleficia, tutaretur; si quæ porro essent intentaturi. At illi, insanos *Saxonum* conatus ridentes, arcem illam, primamque *Saxonum* sedem, probrose, *Hladomér*, ergastulum *famis*, atque *inediæ* vocitarunt, quam eo fini excitarent miseri, vt ignobilium ritu ferarum, muris concluſi, *fame* & *inedia*, conficerentur. Tertia denique colonia, illic subsedit, vbi iam *Zarnouicza* est, loco opportuno, & multitudini alendæ, idoneo. Hic, cum, & agris inualescerent *Saxones*, ex opibus, *Slauos* Schemnitzienses, risisse aiunt, quod sibi exsilii molestia illa, tam bene vertarit, frequenter regerentes: *Zereme mi wiacz*, hoc est: *lautius*

h.) Nundinarum, eas tantum in fastos relatas video, quæ die *S. Michaëli* sacro, agi consueuerunt: plures eranno quas, neque vacat, neque operæ pretium est indagare, esse oportet.

tius se istic, paratiusque, quam Schemnitzii *viuere:* vnde postea nomen oppido, *Zermewicze*, & iam, *Zernowicza*, hæserit, enataque sit laus panificii perpetua. Non putauimus hæc omittenda, vt sint auocamento lectori. Laxe iam quoque habitatur oppidum, sed a plebe Slauica, eaque, quam credi possit, tenuiore, & cuius victus fere omnis, panificio comparatur. Panis certe, hic coctus, laudatissimus est, quem ad hebdomadaria fora illatum, auidissime coemunt *Schemnitzienses.* Neque id sine fructu incolarum: quippe qui, non domesticum modo frumentum, isto quæstus genere, bene collocant; sed emtum etiam alibi, optimo cum fœnore, in rem suam conuertere didicerunt. Quod autem panificii hanc curam, suam fecerunt *Zarnoczensium* vxores, natum hinc dicterium est: *viros istic, ab vxoribus ali, sustentarique.* Et est omnino, in eo prouerbio, veritas: nam, cum viros, de parando, molendoque tritico, feminæ iubent esse sollicitos; ipsæ, dies noctesque, in opus coquendi panis, sunt intentæ, vt habeant, quod, siue ipsæ, siue mariti sui, *Schemnitzium*, & ad circumsitas tabernas metallicas, venum deferant. Ac profecto, remissioribus isthic sunt animis viri, quam feminæ. Frumentum huius, vicinumque, agro, situs collini editum, pistrinis maxime idoneum est: tum, quod commolitum, farinam præbeat, multo, quam solet campestre, probiorem; tum, quia subactum fermento, turgescat felicius, atque ideo in panem excoquatur, saporis commendatissimi. Aedes oppidi, ordine fere nullo, vtroque, intercurrentis amniculi, latere, positæ sunt, cædemque rusticano opere, e trabibus factæ. Fenestras earum, miratus est Tollivs, (*i.*) dum his locis, peregrinaretur. *Lætissimo*, inquit, *animo*, Altsolio *discedens, per amœnissimam vallem, quæ vsque ab* Nesolio *hinc & inde, iuxta Granum fluuium porrigitur, occaso sole, in oppido* Sanctæ Crucis *pernoctaui. Postridie* Schernovitzium *transiens, obseruaui, fenestras, quæ in Italia charta claudi solent, hic exsiccatis*, inductisque ligno vesicis, *iniuriam aeris excludere.* Non sunt omnino vesicæ, sed detractæ, pecorum abdominibus, omentisue, tenuiores, membranæ, (*k.*) quas derasis sordibus, & fœuo, pellucidas efficiunt, atque madentes adhuc, fenestrarum formis, quibus alias vitra solent contineri, inducunt, successu, ad agrestes istos vsus, egregio; pulchre enim lucem transmittunt. Sed amnis, qui locum intercurrit, multum, haud raro, cum oppido ipsi, tum decliui, vltra illud, agro, vastitatis inuehit; subito enim increscit, & qua diffunditur, arenis ac silice, quem secum raptat, cuncta offundit. Quia enim, intra editos *Welkopolenſium* montes, non vno capite oritur, recipitque, longa valle procurrens, complures torrentes, fit, vt extra modum intumescat, si compluat diutius, aut vernis solibus, eliquentur niues. Ponte, ad castellum superius commissus, reliquum oppidum, sine ripis

labor oppidanorum, panificio fere totum constat:

dicterium in viros Zernouiczenses:

oppidi habitus:

amnis intercurrens:

i.) Ibidem pag. 193.

k.) Eadem arte rusticula, & lampada norunt conficere. Plura, de Zernouiczia, apud Tollivm legas, p. 155, & 206. atque 107.

pis perluit, estque canicula feruente, nonnunquam, adeo inops aquarum, vt sicco, per summos lapides, gressu transiri queat. Fuit olim oppidum *Dóczziorum* gentis. quæ hic, frequentes secessus capiebat. Iam, in regis potestate est, accenseturque, cum *Reuischtyensi* dominatione reliqua, *Camera Schemnitzienſi Metallica.* Silendum haud est, eo audaciæ, anno MDCLXIV. progressos fuisse *Turcas*, vt in has vsque angustias, infestis agminibus, persequuti fuerint *Cæsarianos.* quæ eorum temeritas, acri prælio primum; tunc & consummatæ victoriæ, occasionem dedit. Narrabimus rem, Wagnerii (*l.*) verbis, simul ac monuerimus, quæ profectionis, exercitus vtriusque, caussæ fuerint. Receperat a Turcis *Nariam*, Susa, belli, ista Hungariæ ora, dux. Id vbi factum, *Lévam*, sine mora, adgrediendam statuit, vti tutas præstaret valles auriferas. Ergo, *Buckantii*, Hungari *Bakabányam* vocamus, *firmatis castris, cum binis legionibus, ipse* Svsa, Lévam *excurrens, prope adesse Budensem, cum viginti quinque hominum millibus, intelligit. Itaque, ne intra vallium anfractus, hostium insidiis se daret,* S. Crucem *versus, peditatum, cum grauioribus machinis, præmittit, ipse, cum cæteris copiis sequuturus. Verum, premente vestigia hoste, ad* Csernouiczium *pagum, communire denuo castra cogitur. Hæc ita disposuit, vt binis vtrinque montibus clauderentur latera, nec, nisi angustum inuasuro hosti spatium, & explicandis ordinibus ineptum, relinqueret. Triduo, in conspectu se mutuo habuere. Sed hærens lateri domesticum malum, fames, discedendi iterum necessitatem imposuit, curamque, ne in receptu, cladis aliquid acciperetur. Id, in hunc modum factum. Granus amnis, qua in flexum curuatur, geminum pontem, aquo fere a* Csernouiczio *pago, interuallo, sustinebat; superior, ad S. Crucem ducebat. Turcæ, trans alterum, in opposita ripa, tendebat. Collem imminentem,* Kellerus, *Brandeburgus protribunus, &* Mauritius *centurio, cum peditum & desultoriorum cohorte, obtinere iussus; medio, inter vtrumque pontem, spatio,* Zeisiana *legio collocata. Et iam primum agmen, cum* Susa, Zeisiani *item, pontem emensi erant; cum in recedentem* Kollerum, *emergentes, magno numero, Turcæ, ferociſſime inuadunt. Procellam non improuisam,* Kellerus, *actis in orbem suis, & colle tectus, summa virtute, eo vsque sustinuit, dum* Zeisius, *geminato, per siluas, scloporum fragore, de periculo agminis vltimi coniciens, vna, &* Garnierii *legio, & ipse* Susa, *cum* Capraræ *legione,* Brandeburgis *equitibus mille, campestribus item tormentis, vndeuiginti, via ac ponte, incredibili celeritate, relectis, sessis opportune succurreret; adductisque in collem colubrinis, magna strage edita, cæsis mille Turcis, recedere celeros, vltra Granum compulisset. Ingenti certe sua gloria, qui tantillam manum tot hostibus, octo millia erant, impetitam, in tutum subduxisset.* Ista tunc, *Zernouiczium* nobilitauere; dum interim, hostibus reiectis, & via, ab insessoribus repurgata, refectum, aliquot dierum annona, exercitum, *Susa*, ad *Lévam* oppugnandam, reduceret, noua illic momentosaque victoria, potiturus.

est oppidum in potestate regis:

prælii Zernouicensis descriptio.

l.) Libro II. p. 148.

IV.

IV. Oppidvm Welká-Polya.

Welká-Polyæ *habitus:*

Welká-Polya, Germanis, *Hoch-Wies*, amœna valle insedit, &, non incolis modo frequens; sed rure etiam haud sterili, tametsi indigo lætaminis, obsessus. Vetusto iure, ad *PP. S. Paulli, primi eremitæ*, qui in *Elefant*, apud *Nitrienses* colunt, pertinere oppidum, ex annalibus, (*m.*) eiusdem ordinis, didicimus. Ita vero habent: *Succedit annus, a Deo nato*, supra millesimum, tercentesimum nonagesimus, *quo nobiles viri*, Laurentius, & Iohannes, *fratres germani, filii Domini* Stephani de Baracko, *in expeditione contra* Turcas, *de consensu & voluntate* Sigismvndi *regis, legarunt monasterio* S. Iohannis Baptistæ de Elefant, *possessionem*, Welkó-Polyam, *additis tribus molendinis, in superficie pagorum* Ugrócz, Kalathna, & Pautyth. (*n.*) Situm oppidi, & opportunitates alias, Tollivs descripsit: (*o.*) *obuius*, inquit, *ad pedem montis* fuit, (Nowá-Wesa, Nitriensis Comitatus vico vltimo, egredienti,) *pagus* Klischa, *a quo mox altos montes superauimus, antequam sub vesperam veniremus* Hohenwiesam. *qui pagus* Klischa *distat Hungarico milliari*, (*p.*) *tantum vnico; sed quod æquale est, quatuor Hollandicis. Ob iter hic paullo ante, ab opilione, petii lac caprillum*, (*q.*) *quod bibi. Sunt enim hic capræ pulcherrimæ, & hirci pulcherrimis cornibus, in multos gyros flexis. qualibus etiam ornantur arietes, a fronte promissis, & mox retortis gyris. Hic pernoctaui, & altero die, equum conduxi, dimidio imperiali. quo, per tria milliaria, equitaui* Schemnitzium. *Pagus autem* Hohenwiesa, *profunda valle situs, pulcherrimus* (*r.*) *omnium est, quos in Hungaria viderim. Colles, montesque vicini, latissimi, & cultissimi sunt. reliqui luxuriant quercetis, & sagetis. Hinc vero, vno milliari distans, perueni Sernouitzium.* Omnino, industrii sunt oppidi incolæ, iique, quod miteris, *Germani*; sed oris crassi, &, cuius sermonem, vix diuinando possis adsequi. Ipsum *oppidum, frequentibus* olim Turcarum impressionibus fatigabatur; eo vsque, vt lege publica, a gratuitis laboribus, qui tunc, instaurandis munitionibus erant impendendi, eximeretur. Sanctionis (*s.*) verba hæc sunt: *Possessio* Welkopolya, *in Comitatu Barschiensi existens, excursionibus* Turcarum *exposita, a præstando gratuito labore eximitur; ita nimirum, vt* Turcis *se nullo modo subdat, & passus Turcarum, diligenter exploret, & custodiat.* Quod & strenue faciebant omnino, quando concisis, per opportuna

adtinet ad PP. S. Paulli primi Eremitæ:

Tollii, *de oppido, elegans mentio.*

m.) Lib II. cap. XVI.. p. 179.
n.) Ore hodierno *Pásth* legendum credo.
o.) Adnotante Hexnisio, ex eius Adeursariis Belgicis, ad Epist. Itinerar. V. p. 206.
p.) Milliarium Hungaricorum longitudinem, damnat Tollivs, eodem loco, p. 155.
q.) Equidem, ferum lactis fuisse, existimarim, quod coacto caseo, residuum est, quodque opiliones, sua quadam arte, integris aheris excoquunt, & partim suauiter acidum, ad potum adhibent, atque ligneis lagenis, greges sequuti, secum circumferunt; partim calidum sorbillant. *Zintzica* liquori nomen vulgare est.
r.) Ita tunc visum Tollio: quippe, regionem peragranti, igni ferroque, ex *Tekóliana* seditione, euastatam.
s.) Decreto Anni MDCLIX. Art. CXXX.

portuna locorum, siluis, imperuios aditus, reddebant. Iam, post tot calamitates, quomodocunque, reflоruit oppidum.

V. Arx Sas-Kö.

Arcis Sas-kö *situs, nomen & origines:*

Arx est, celso & abrupto circumquaque monti, inædificata. Germani *Sachsen-Stein* dicunt, quod originem loquitur *Saxonicam*, facitque, vt credamus, excitatam ab iis *Saxonibus* fuisse, qui primi huc concesserant, metallorum eruendorum gratia: forte, vt haberent auriferarum vallium, quasi claustrum quoddam, arcendis populatoribus idoneum. Hæc nostra, de *Germanico* vocabulo, opinio est. Nomen *Hungaricum*, alii coniecturæ locum facit. Dicunt enim *Sas-Kő*; quasi *aquilæ lapidem* vocares: forte, ab aquila, quæ isthic nidificarit, aut læto omine alio, cohonestarit ineuntes operas, ducta adpellatione. At, ni errarim, crederem, ex *Germanico* factum, quidquid hoc nominis sit. Nimirum, *Saxo*, Hungaris *Szász*, *Stein* autem *Kő* vocitatur. Itaque prisci quidem *Hungari*, Szászkő poterant arcem nuncupauisse; quod posteri, ne genti alienigenæ, natales eius concederent, *Sas-Kő*, coeperunt pronunciare. Hinc, & Slauicum *Sassow* enatum putamus. Adseuerantem aliquando virum, oppido grauem, audiuimus, *Germanicum* vocabulum, ex *Hungarico*, seu fato, seu consilio, detortum esse; vt cum *Sas* debuissent dicere, suum illud, *Sachs*, ingesserint. Ergo, dubia adhuc erit nominis eius deriuatio. Quidquid rei sit, moles certe vetus est, & ita facta, vt coniici possit, non vnis eam operis, neque ab iisdem conditoribus, substructam esse. Prætorium sane, vix quidquam habet elegantiæ. Omnia isthic sunt angusta, & luxatis angulis, informia; si demas, vnum alterumue hypocaustum, ætate recentiore, quomodocunque adstructum. Prospectu, contra, amœno est, liberoque. Quia enim, in faucibus vallis *Butsensis*, supra *Fanum S. Crucis*, aduersa *Grani* ripa insedit, totam eam vallem, quæ vltra *S. Crucis* oppidum, secundo amne, vsque ad arcem *Rewischtye*, late porrigitur, iucundissimo obtutu, despicit. Ceteroquin, caput est *Dominii*, quod Hungari *Saskőiense* adpellant, censebaturque olim in regum ditione: dum, post Corvini tempora, Beatricis indulgentia, castellanorum fieret propria: denique, in *Lippaiorum* veniret potestatem; sed, quam illi ditionem, dum florerent adhuc, cum *Cassensi*, quæ est apud *Trentschinenses*, commutauerunt. Iam, *Cameræ Schemnitziensi metallicæ* (*t.*) paret.

operis vetustas, & inconcinnitas:

prospectus ratio:

est caput dominii Saskőiensis.

VI. Arx Rewischtye.

Rewischtye, *quo sit loco positum:*

Secundo *Grano*, per vberem laxamque vallem, ad duo milliaria hinc progressis, *Rewischtye*, modica arx, edito monti imposita, obiacet, eo prorsus loco, vbi laxa ea vallis, arctius coire incipit. Nomen Hungaricum, quod

nomen vnde enatum:

t.) Multa olim *Schemnitziensibus*, & cruenta etiam, cum *Saskőiensibus* præfectis, de agrorum finibus, erant certamina, de quibus in eius vrbis historia.

primitus arci fuit inditum, *Rév* fuiſſe, qui putant, non id ſine ratione faciunt. Enim vero, traiectui (*u.*) *Grani* obuerſa eſt, qui Hungarice *Rév* dicitur: quod demum nomen *Slaui*, ſua dialecto, in *Rewiſchtye*, permutauerint. Sed enim, non eſt opus, ſcrupuloſe adeo, arcis nomen exquirere, cuius ignoramus origines. Ipſa moles, longior eſt, quam latior, rupi impoſita, difficilis acceſſus. A tergo, quod in occidentem vergit, montes ſunt prealti, ſiluoſique; frons, lætam illam vallem proſpicit, quæ aduerſo amne, vſque ad *S. Crucis* oppidum, laxatur, eſtque, ob crebros vicos, & pingues agros, prataque, læto viridantia gramine, multæ iucunditatis. Olim, ſedes fuit, ſummorum virorum. Bonfinivs, Matthiæ *Coruini* temporibus, Vrbano, Agrienſium præſuli, eius adſcribit poſſeſſionem. *Barſchienſis*, inquit, *regio ſequitur, vbi* Rewischtye, Vrbani, *Agrienſis pontificis eſt oppidum.* Oppidum dicit, cum arcem debuiſſet vocare. Sed quis iſte Vrbanvs? de (*v.*) *Nagy-Luche* ei cognomen; cetera, quantus fuerit, non piget ex Bonfinio, (*x.*) ad hanc eius mentionem, recitare. Vrbanvs, inquit, *pontifex Agrienſis, diuo* Matthia *imperante, claruit, vir tanti conſilii ac ſapientiæ compos, vt apud principem illum inuictiſſimum, primum locum obtineret, omnia regeret, quæſturam perpetuam gereret, & per multos annos, prætorii præfecturam, quem Palatinatum dicunt. Nec Viennæ quidem Alemannicæ, pontificatu caruit. Procero corpore, ac obeſo, adſpectu liberali, ac venerando, probitate ſumma, moderatione non mediocri, inaudita negotiorum laborumque tolerantia, profuſa liberalitate, & amore fuit, in ſtudioſos, non mediocri. Vniuerſas principis curas obibat, imperium & omnia, e ſententia gerebat, nullius vnquam otii particeps, vt æternam ſibi domini gratiam compararet. Iniuriarum ſuarum diſſimulator egregius, & præ animi magnitudine, iræ, ac indignationis, victor indomitus; omnia æquo animo perferens, vtriuſque fortunæ, pari æquanimitate, tolerator; amantiſſimus ſuorum, amicis deditiſſimus, vir gratiſſimus omnium, & cumulatiſſimus relator gratiarum: cui, triginta millia, circiter, aureorum quotannis prouentus erant, ex quibus, præter corporis neceſſaria, nihil recondere voluit, aulam ſemper frequentiſſimam, nitidamque habuit, maxima nobilium principumque familia, refertam. In menſa lautiſſimus, parciſſimus in veſtitu. Veſtem ſolemnem nunquam tulit pluris, quam quæ triginta aureis veniret; octo aureorum, toga, forenſi & domeſtica, vtebatur. In ceteris vero rebus, quæ, vel ad diuinum honorem, vel ad humanam pietatem, munificentiamque facerent, vſque adeo magnificus & profuſus, vt neminem illi parem, Pannonia, eo tempore viderit. Præterea, liberalitate,*

molis habitum:

fuit olim Vrbani *præſulis Agrienſis, poſſeſſio:*

viri laudes, ex Bonfinio:

u.) Is hodie ponte ſtratus eſt ſublicio, firmo tamen, aduerſus eluuionum iniurias.

x.) Vicus eſt, non, ſicuti perſuaſit nobis amicus quidam, in inſula *Csallóköz*; ſed, vno hinc milliari, ad aquilonarem *Grani* ripam, cui ille natales debuit. Erat enim *Docziorum* gente, quæ de *Nagy-Luche*, cognomen habuit, ſatus. Vide Istvanffvm, Lib. VIII. p. 117, 32. quem noſtrum, an alienum errorem, vt emendet lector, Tomo Operis II. p. 244. num. 8. eratum, impenſe rogamus.

v.) Decade I. Lib. I. p. 4, 10.

ralitate, æquitate, temperantia, religione, miſericordia, comitate, magnificentia, fide, ac dignitate tanta, vt omnes in amorem obſeruantiamque ſui, iure conuerteret & alliceret. En, conſummatiſſimum, boni præſulis, atque innoxii aulæ miniſtri, exemplar! Sed, ne quid laudibus viri detrahamus, pergit, virtutes eius deſcribere, hiſtoricus. *Sæpe patrem illum optimum dicentem audiui: ſe nihil, præter lautum victum, corporisque tecturam, ſibi ex hac vita vſurpaturum: cetera, quæ ſuperarent, ſe in DEI honorem, & alienam vtilitatem, erogaturum. Nobilia paſcebat & fouebat ingenia; pauperes & calamitoſos, mira beneficentia complectebatur. In litterario ludo, multos alebat, templa ædesque magnificas, erigebat, ſuas Eccleſias, ſuperbis non modo ædificiis, verum etiam aureis veſtibus, ſcyphisque argenteis, mirifice exornabat. Ita vixit, vt non ſuæ, ſed alienæ vtilitati vixiſſe videretur, & ſemper eſſe, quam videri maluit.* Placuit iſta (*y.*) ad arcem meminiſſe, vt heic quoque conſtet illud poetæ:

Habitarunt di quoque ſiluas.

Nam, diuertiſſe huc crebrius Vrbanvm, vt curarum auocamenta caperet, inde colligi poteſt, quod frequens in montanis, *Vetuſtolii* potiſſimum, Matthias fuerit, a cuius comitatu, vix vmquam diuelli ſe noſter patiebatur. Tunc vero, quin huc ſeceſſerit, nemo, cum ratione dubitauerit. Pronum eſt præterea coniicere, in ornanda arce hac ſua, nihil eum feciſſe reſidui, cum alibi, tam effuſe, & liberalis fuerit, & magnificus. Vrbano tandem, poſt Wladislai *Poloni* initia, anno circiter MCCCCXCIII. vita functo, in *Docziorum, Vrbani* conſobrinorum ditione, arx manſit. Nunc, poſteaquam gens ea, prorſus emortua eſt, arx iuxta, & vici, quos adſcriptos habuit, fiſco regio accenſa, & in rationes *Cameræ Schemnitzenſis*, relata eſt. Cum adhuc ab heris habitaretur, non vna ei opportunitas fuit. Nam, & pomaria, ad vſum non minus, quam luxum, pone montis, cui incubat, pedem, conſita habuit, & piſcinam, viuariumque, vtraque omni piſcium, ferarumque genere, inſtructiſſima. Iam, quod nemini cura eſt, ædificiorum,

Vrbano decedente, Dócziis *adſcribitur; & his emortuis, fiſco regio.*

Tecta non leui diſiecta ruina,

oſtentat, ruitque in peius quotidie, ſuis breui parietinis, ſepelienda.

VII. De Castellis.

Plura hoc *Proceſſu*, caſtella viſuntur, vetera partim, partim nuper educta, & ad eximiam facta commoditatem. Princeps, ob ædificii concinnitatem, iure id dixeris, quod eſt in *S. Crucis* oppido. Prætorio definitur quadrato,

y.) Plura, in catalogo *Epiſcoporum Agrienſium*, de Vrbani laudibus, dicemus, in Hiſtoria Comitatuum, Heves & Szólnok *Exter.* Part. I. Memb. II.

& in duas contignationes adſurgente, multis conclauibus diſcretas. Id a peregrinis deſiderari audiuimus, quod ritu vetere, tametſi recentibus operis, factum, humilioribus cubiculis, quam pro ſeculi elegantia, atque domini dignitate, inſtructum ſit. Cetera, laxitatis eſt non contemnendæ, & quæ familiam poſſit capere, etiam numeroſiorem. Cingitur circumquaque vallis, ne facile poſſit adſiliri. Immo, præſidio munitum recordamur, cum eiecti e montanis *Rákóczíani*, latrociniis infeſtabant regionem. Iſtud, in felicitate caſtelli ponendum eſt, quod, cum crebris incendiis fœdetur oppidum, id, orientali eius angulo ſedens, intemeratum adhuc manſerit. Et ſunt omnino, priuatorum ædes ſubmotæ longius, quam, vt temere flammæ iſthuc queant propagari: in primis, ſi ſint, qui manus, ignibus reſtinguendis, adhibeant. Ad ſolem orientem, vaſtum pomarium, ſed ſitu, quam eſt caſtellum, humiliore, diffunditur, quod, ne pateret iniuriis, muro concluſum eſt, ſic ſatis valido. Ingens hic arborum, & varietas eſt, & præſtantia, fructuumque ideo, ſi cæli fauit temperies, copia inſignis. Qua propius ad prætorium hortus ſuccedit, viridarium inſtructum vidimus, procera tilia decorum: cui, voluptariam ædiculam inædificauerunt, vt eſſet recreationi, ſeceſſu iſthoc vtentibus. CHRISTIANVM AVGVSTVM, *Cardinalem de Saxonia*, cum anno MDCCXV. huc ſeceſſiſſet, arboreo iſthoc diuerticulo, delectatum tantopere fuiſſe accepimus, vt *nihil dubitarit*, in ædicula illa ſemel iterumque, & prandere, & cœnare. Iam rarius, a præſulibus ſuis aditur, eſtque procuratoris dominii, *prouiſorem* vulgo dicunt, hoſpitium, qui iſthic, inferiore ædium parte, commodiſſime, & habitat & viuit.

Sunt & *Zernouiczii* duo prætoria, *Dóczíorum* aliquando ſeceſſibus, exædificata. Minus alterum, aquilonari oppidi latere, petræ humili incubat, & a procuratore regio, incolitur. Pauca ei ſunt conclauia, ſed ob deſpectum in oppidum, habitatu iucunda. Subtus herile cellarium eſt, vbi vinum percane venit. Reliqua collis declinitas, quæ in orientem vergit, arbuſto conſerta eſt, & amplo, & amœno. De caſtello, TOLLIVS: (z.) *Hic*, inquit, *accepi, eo ibi meridie adfuturum* CAMMER-GRAVIVM, *excellentiſſimum* Viechterum. *Itaque, me ad Cæſaream domum, in colle ſitam, contuli, veri experiundi cauſſa, apud* IVDICEM AVLICVM. *Certior veri factus, trado, illuſtri viro, litteras, qui humaniſſime exceptum ſecum prandere, blanda vi coegit, licet adfirmarim, me iam in diuerſorio pranſum eſſe. Interea, eius filius, ante quatuor demum hebdomadas, ex Italia, Gallia & Belgio, itinere facto, redux, me amico ſermone detinebat. Hic pernoctare coactus ſum, quod ruſtici ſeruus, equum conductum, precio iam perſoluto, ſeque vna, clam domum ſubduxerat.* Alterum, quod adverſo oppidi margine viſitur, longiore quidem eſt prætorio, ſed inculto, quodque pridem in granarium abiit. Poſitum eſt loco modice edito, & areæ, ſtabulorumque capaci.

z.) Citante *Hennino*, loco toties memorato, p. 206. ſeq. Reli-

Reliqua, quod a poſſeſſoribus, pro eo, ac decet, deſcripta, nobis ſubmiſſa haud ſunt, ſaltem nominauiſſe iuuerit. In his cenſeas, autem, vt alphabethi ordinem ſequamur: *Brogyanenſe; Cſerenyenſe; Felſaluienſe; Simonienſia; Koſztolanenſia; Nagy-Ugroczienſia; Nitraſzegienſe, Marothenſe*, nuper, a *Georgio Paluska*, cœptum ædificari.

SECTIO III.

DE

Dominiis Proceſſus Oslanenſis, horumque vicis.

I.

DOMINIVM SASKÖIENSE, SEV HLADOMÉRIENSE.

ACcepit nomen ab arce, quam nunc deſcripſimus, *Saskőienſi*, habetque, in ditione ſua, vicos ſequentes:

1.) *Saskő-Várallja*, viculus arci ſubſitus, neque alia re magis, quam ſitus hac ratione, memorandus.

2.) *Teplá*, in edito colle poſitus, & priſco iure, arci adſcriptus.

3.) *Hladomér*, copioſior multo, & agris pratisque inſtructior, quæ meridionali *Grani* ripa, vario poſitu, huc atque illuc, protenduntur. Reducitur ab arce, medio, in occidentem, milliari, ſedetque, ea *Grani* ripa, quæ eſt oppido *S. Crucis*, obuerſa. Iſthic, totius dominationis procurator, noſtri homines, *prouiſorem* dicunt, ſedem habet.

4.) *Alſó-Trnauka*, vicus non plane exilis, ſeſqui milliario, ab arce, in occidentem, ſeiunctus.

5.) *Prochot*, duobus, a *S. Cruce*, in occaſum, milliaribus ſubmotus.

6.) *Ihrács*, in meridiem abit.

7.) *Klacſan.*

8.) *Trnawa.*

9.) *Ielná*, ſinguli in meridiem recedunt, qualibuscunque, ad ruſticandum, opportunitatibus, præditi.

10.) *Mocsár*, &

11.) *Zekély*, profundius in meridiem demerſi, agro ſunt collino, & indigo lætaminis.

12.) *Skleno*, Germanis *Glashütten*, nomen a vitriariis officinis indeptus; hodie, furnos habet liquatorios, quibus *Schemnitzienſe* metallum funditur. *Thermæ*, (a.) quæ heic, mira naturæ prodigalitate,

a.) Dedimus earum hiſtoriam, in PRODROMO Operis totius, Hungariæ Nouæ, Lib. III. Phyſico Cap. V. num. 1. p. 128. vbi ad ſequentem pag. iconem ſimul ſpectare poſſis thermarum vicique.

tate, innumeris propemodum fontibus, ſcaturiunt, præcipuam vico celebritatem parauerunt. Nam, ex ſe quidem ſatis tenuis eſt: quippe, in cæcam vallem retruſus, atque, ob eam ſitus iniquitatem, ſterili, ſuſpenſoque, per montium latera, agello, memorandus.

13.) *Repiſchtye*, in glabro monte, qui *Vihnenſes* a *Sklenenſibus*, dirimit, poſitus. Ager ei macer eſt, & argilloſus, neque tam fementis patiens, quam rapæ: a cuius vbere, & felici prouentu, nomen accepiſſe fertur. *Repa* enim, rapum eſt Slauis; *Repiſchtye* autem, ager, rapis conſitus. Denique

14.) *Peſzerény* in mediocribus vicis ponendus. Hucuſque *Dominium Saskövienſe* fuit.

II.

Dominivm Revischtyense.

Svppar eſt priori, ſi vicorum numerum, ſin reditus æſtimes, multo ſane fructuoſius. Ab arce, cuius meminimus, ſic dici, monere non eſt opus. Iſthic cenſentur, cis, & trans *Granum*, præter oppidum *Zarnócz*, vici:

1.) *Reuiſchtye-Várallja*, vicus omnino tenuis, memorandus tamen, quod ad pedem arcis cognominis, poſitus eſt.

2.) *Felsö-Hámor*, trans montem, qui arci imminet, in occidentem, milliari ſeiunctus. Vallem inſedit amœnam, & amniculo, *Welkolukenſi*, irriguam. Vicus incolis frequens eſt, ſed duræ agricolationis. Ex nomine colligas, *malleos* hic fuiſſe olim poſitos, quibus ferrum procuderetur: nam *malleum* Slaui, *Hámor* dicunt.

3.) *Pjla*, longius in occidentem repreſſus, neque infrequens: vicus, cuius *partem*, PP. *S. Pauli Eremitæ de Elephant*, poſſident. Reliqua *Cameræ* ſunt accenſa.

4.) *Bukowina*, adhuc cis *Granum* poſitus. Nomen a *fagis* habet; forte, quod ſiluis eius generis gaudeat. Sunt iſthic *acidulæ*, ſaporis probi.

5.) *Alsó-Sdány*, propius ad *Granum* adſedit, eſtque multarum opportunitatum. Agro certe lætatur vbere, pratis graminoſis; ſed nec ſiluarum eſt egenus. Quæ ſingula, in rem ſuam, ſolerter norunt conuertere incolæ. Fons acidularum, qui hic ſcatet, magna adcolarum adprobatione bibitur.

6.) *Felsö-Sdány*, & ſitu, & agri qualitate, cognomini illi, ſimillimus. Vltra eſt,

7.) *Felsö-Trnauka* mediocribus vicis adnumerandus. Hucusque, cis *Granum* verſabamur; eo traiecto, occurrunt:

8.) *Alsó-Hámor*, vicus aliquando metallicus. Confinis ei adſedit,

9.) *Kopanicza*, ita dictus, quod deraſis olim ſiluis, conditus ſit.

Ferunt, haud pridem, *ferri*, quin & *auri*, atque *argenti* mineram, in iſtorum vicorum montibus, repertam eſſe.

10.) *Woznicza*, infra *Zarnoczinum*, in Grani ripa, qui hic, quandoque vadoſus eſt, excitatus.

11.) *Rudno*, altius hinc in meridiem ſubmotus.

12.) *Hlinik*, Hungaris *Geletnek*, opimus vicus, quem lapidum molarium, inſignes prouentus, multis retro ſeculis, nobilitarunt. Latumias enim habet, medio fere milliari, in orientem, ſubmotas, in quibus, perpetuæ incolarum ſunt operæ, quæ petram ſolidam omnino, ſed *poroſam*, ideoque molendo frumento idoneam, in orbes, atque id ruditer primum, poſtea vero, quam diligentiſſime, ad regulam exſcindunt. Nulla hic domus eſt, quam non molares iſti circumſideant: dum adſint, qui eos, definito, publicis legibus, (*b*.) pretio redimant, auchantque, etiam in diſiunctiſſimos regni *Comitatus*. Caſtellum, aquilonari vici angulo inædificatum, & a *Tökölianis* exuſtum, rudus eſt, vaſtæ molis parietinas, oſtentans. Ager profecto, qui vico obtigit, tametſi lætificatione, ob argillaceum terrenum, fœcundandus ſit, frugum tamen, egregie ferax eſt. Recedit a *Grano*, ad teli iactum, verſus orientem.

III.

Dominivm S. Crvcis.

Est id, quemadmodum ſupra monuimus, in ditione *Archiepiſcoporum Strigonienſium*, ab indulgentiſſimis Regibvs, ſedi illi, adſcriptum: eo magis fructuoſum, quo opportuniore ſitu, montanis interſeritur. In eius vicis, ſequentes numerari accepimus:

1.) *Nagy-Lócſa*, Slauis, *Welká Loucſa*, eodem *Grani* latere, quo eſt oppidum, *S. Crucis*, poſitus, idemque, cum agro vber, tum incolis frequens. Seiungitur inde mille circiter paſſibus, eſtque, ob *Dócziorum* titulos, in quibus referebatur olim, memorandus.

2.) *Preſzta-Wlk*, longius multo in eandem plagam, ac fere ad milliaris interuallum ſubmouetur, eſtque commoditate, ad ruſticandum, haud tacenda, montoſa tamen, ſiluoſaque.

3.) *Trubin*, pari intercapedine, ſed reclinato ſitu, ab oppido, in meridiem intra montes, proiectus, agricolationis admodum duræ.

4.) *Kis-Lócsa*, Slauis *Malá-Lucsa*, vti a maiori diſcriminaretur, nomen minoris indeptus. Et eſt omnino, cum agro anguſtiore, tum incolis, quam alter ille, paucioribus. Succedunt his

5.) *Uj-Lehota*, ſitus, intra montes, iniquiſſimi.

6.) *Jano-Lehota*, itidem montibus interſitus, agro tamen meliore.

7.) *Koszorén*, non longe ab oppido abeſt, agrum nactus collinum.

8.)

b) Vide, Decreti anni MDCCXV. Art. LXXXV.

8.) *Szlaska*, in meridiem, a *Fano S. Crucis*, Hungarico miliari secretus, atque, non minus agro, quam coloniis, rei rusticæ idoneis, instructus. In primis siluis valet, & harum opportunitate.

9.) *Kapronczа*, immiti agro, cuius malignitatem, *Cremnicii* vicinia mitigat.

10.) *Lutilla*,

11.) *Kremniczka*, &

12.) *Barthos-Lehotka*, tristissimi positus. Riuus, hac decurrens, vehit, non raro, lapides pretiosos.

13.) *Jasztraby* vero, &

14.) *Pityelowá*, ac denique

15.) *Nyezvolno*, in meridiem iterum reducuntur, suntque, quam reliqui, quos vidimus, situs nihilo commodioris.

16.) *Némety*, quatuor milliaribus a *S. Cruce*, in occidentem submotus, & infra recensendus.

17.) *Csejkö* item, &

18.) *Szölös*, reliqui

IV. Vici Variorvm.

SVnt & nobilibus familiis, *Venerabili* item *Capitulo Strigoniensi*, sua, isto *Processu*, bona, vicique. quos nunc adnotabimus:

1.) *Nemes-Kosztolány*, vicus omnino nobilis, quod & nomen Hungaricum, *Nemes*, indicat, ab oppido *Oszlány*, milliario, in *aquilonem*, sepositus, atque *Nitriensi* prouinciæ, collimitaneus. Est antiquissimæ gentis *Kosztolány*, cui & cognomen impertiuit, hæredium. quæ, excitatum isthic, paucis retro annis, castellum, habitat. Conciliat vico celebritatis quidpiam, quod *locus* sit *Articularis*, Augustanæ confessioni addictorum, cultui diuino, indulgentia regis optimi, adtributus.

2.) *Alsó-Kemenecz*, &

3.) *Felsö-Kemenecz*, vici contigui, eidemque *Kosztolaniorum* familiæ adscripti. Disiunguntur ab oppido *Oszlány*, vno, in orientem, milliari. Incolæ, præter agricolationis operas, perficiendo corio, quod arte rusticula, rubro colore tingunt, cum fructu student. Modico hinc interuallo,

4. *Kis-Falud*, Slauis *Wieszka*, consedit, tenuis omnino, sed qui *Kis-Faludiis* nomen conciliauit. Iam, inter plures dissita eius possessio est.

5.) *Bisztricsén*, ab oppido *Oszlány*, in septentrionem, ter mille circiter passibus, subductus.

6.) *Cserenye*, vicinus, ab aquilone *Oszlányo* adsedit. *Hunyadiis* iam paret. Castellum huius, opportune substructum, herorum hospitiis frequentatur.

7.) *Nitra-*

7.) *Nitra-Szeg*, vulgo *Chalmawa*. In plurium herorum *Nagy-Lessenyeiorum*, puta, *Berényi* & *Emerici Litassy*, potestate est: cetera, castello, & eleganter facto & commode, nobilis. Hic ille vicus est, in cuius agro, qua is a *Nitra* amne lambitur, *Thermæ* scaturiunt, dubiis, vagisque capitibus. Seiungitur ab oppido *Oszlány*, medio, in septentrionem, milliari.

8.) *Fel-Falu*, Slauis *Horná-Wesz*, ex dominatione, *Keselö-Köiensi*, decerpta, iamque *Hunadiis*, obnoxia possessio. Castellum, quod habet, modicum est, sed habitatu tamen opportunum. Obiacet *Oszlányo*, ab ortu solis.

9.) *Nagy-Krstyenye*, trans fluuium *Nitram*, loco haud iniquo, positus, idemque iuribus, *Collegii Generalis Cleri Regni Hungariæ*, adscriptus. Recedit *Oszlányo*, medio, in occidentem æstiuum, milliari.

10.) *Kis-Krstyenye*, eadem plaga, sed vicinior multo *Oszlányo* adsedit possessione inter plures dispertita.

11.) *Pást*, proxime ab oppido abest, paretque *Bossányiorum* familiæ.

12.) *Nagy-Ugrócz*, gemino superbit prætorio, quorum laxius, alterum, alterum arctius, substruxere conditores. Vicus itidem *Bossanyiorum* est. Discedit *Oszlányo*, medio, in meridiem, milliari.

13.) *Kolecsno*, & situs, & iuris eiusdem; est enim, cum prioribus illis, in *Bossanyiorum* potestate.

14.) *Simonyi*, insignis vicus, cum ob rus, quo circumfunditur, opimum, tum in primis, ob natales vetustæ familiæ *Simonyi*, quam isthac prodiisse, præter cognomen, diplomata gentis loquuntur. Gaudet prærogatiua nobilitari.

15.) *Radobicza*, montano situ, neque tamen ideo rei rusticæ iniquo. Est in *Simonyiorum* ditione, milliari *Oszláno*, in orientem repositus.

16.) *Kis-Ugrócz*, agro præditus, alendæ sementi, idoneo. Possidetur, per *Majtényos*, *Hunyadios*, & successores *Lessenyeianos*. Abest *Oszláno*, bis mille, versus meridiem, passibus.

17.) *Brogyán*, profundius, in meridiem, recedit, estque insigni prætorio *Ladislai Kuassai*, instructus, qui, cum *Brogyaniis*, partem vici in potestate habet. Rure gaudet, ad agricolandum commodo.

18.) *Wieszka*,

19.) *Apáti*, (c.)

20.) *Poubreby-Lehota*,

21.) *Berzeneze*, &

22.) *Orowniczа*, vici omnes, *Capitulo Strigoniensi*, subditi, & alter altero positi clementius.

c.) Frequens apud *Hungaros* vicorum nomen, ab *Apát* ductum, quod *Abbatem* notat. Est autem dictione Hungarica *Apáté*, quasi dicas, *Abbatis* vicus, quod altas plenius, *Apát-Falua*, dicunt.

23.) *Szénásfalu*, Slauis *Szenicza*, & vulgo *Bzenicza*. Vallis *Wihnenſis* aditum inſedit, pratis hinc, illinc agris frumentariis circumfuſus, atque *Grano* orientali margine, vicinus. Poſſidetur, partim a *Camera Metallica*, partim ab *vrbe Schemnitzienſi*. Hinc, medio, intra vallem, milliari,

24.) *Wihnye*, Germanis *Eiſenbach*, recedit. Frequens omnino vicus. Nempe, vtroque amniculi, qui hac deiicitur, latere, in longum procurrens, totus, valle concluditur; agro, per editos, hinc atque illinc, montes, ſuſpenſo; ideoque, ad agricolandum ſcrupuloſo & difficili. Amniculus, quod haud raro, ex immodicis imbribus, aquarum mole, grandeſcit, damnoſus incolis eſt. Nomen, a ferri, quod hic olim conflabatur, officinis, apud *Slauos*, accepit; ſicuti apud *Germanos*, a ferreo torrente, qui vicum, vallemque facit irriguam. Accenſetur vrbi *Schemnitzienſi*. *Thermarum*, quæ infra vicum, eadem valle, ſcatent, ſupra meminimus, laudes autem, ingeniumque earum, in prodromo operis totius, explicuimus.

V. Cremnitziensivm Vici.

AD vicos denique *Cremnitzienſium*, quod adtinet, dedimus eorum nomina, cum vrbis hiſtoriam (*d.*) enarraſſemus. Hic certe ſilere eos, ſine iniuria, haud poſſumus, quod nouimus, priſcorum liberalitate regvm, in poſſeſſionem vicorum illorum veniſſe ciues. Sunt autem:

1.) *Weternék*, ſeu Germanico vocabulo, *Legendel*, modicus vicus, & agricolationis inops.

2.) *Fel-Falu*, (*e.*) Slauis *Horná-Weſz*, Germanis *Windiſchdorff*, forte, quod a *Slauis* aliquando coleretur.

3.) *Schwab*, ſeu *Schwabendarff*, nomen ipſum arguit, *Suenorum* olim fuiſſe coloniam.

4.) *Lúcska*, & Germanice *Hanes-Heü*, vbi Slauicum quidem a prato, Germanicum a *fœno* traxit nomen.

5.) *Kunesó*, Germanis *Kuneſch-Heü*, eadem dominationis ratione. Denique,

6.) *Berg*, in vicinia vrbis, elcuatiore loco poſitus, vnde & adpellatio facta. Nullæ his, ad ruſticationem ſuppetunt opportunitates. Itaque, non tam agricolæ ſunt inquilini, quam metallici: quippe qui, perpetuas, apud *Cremnitzienſes*, operas locant, eruendo quidem metallo iſti, triturando illi, alii eluendo, denique conflando alii. Sunt, & materiarii quamplurimi, qui ſuſtentandis puteis, cuniculisque, nauant operam. Atque, ob eam rem, e publicis, tributorum prouinciæ rationibus, exemtos eſſe, iam indicauimus. Iſta, de *Proceſſu Oſzlanenſi*.

MEM-

d.) Supra, Parte ſpeciali, Membr. I. Sect. I. §. XXV.

e.) Non eſt vicus hic, cum alio illo, quem paullo ante §. IV. num. 8. exhibuimus, confundendus: quippe, & ſitu diſcretus, & poſſeſſoribus.

MEMBRVM II.

DE

Proceſſu Lévenſi.

PROOEMIVM.



MAximam is partem, trans *Granum*, in orientem atque meridiem, reductus eſt, campeſtri hinc, collino illinc, ſiluoſoque poſitu, interſtinctus. Vrbs ei nulla: oppida, præter *Lévam*, a quo, & nomen manauit, duo: *O-Barſch* nempe, & *Nagy-Sarló*. Nunc, quo ſint habitu ſingula, videamus.

SECTIO I.

DE

Arcibus & Oppidis Proceſſus Lévenſis.

I.

Arx et Oppidvm Léva.

SYNOPSIS.

I. *Arcis, & oppidi* Léva, *coniunctæ rationes: ſitus; prima eius mentio: ætas incerta: arcis, ex* Tollio *deſcriptio.* §. I.

Nominis etymon: Slauicum forte Levá: *an a heris ita dicta: dominorum de* Léva, *hiſtoria:* Gabrielis Léva, *atrox fatum: eius filius* Iohannes. §. II.

Venit in poteſtatem Melchioris Balaſſæ: *eius actus: arcis hinc diſcrimen:* Iohannis *de* Léva, *pupilli occaſus.* §. III.

Donatur a Maximiliano, Stephano Doboui: *rei geſtæ ex* Iſtvánffyo, *hiſtoria: paret* Kolonitſchiis *quoque:* Csákiis *poſtea: nunc principi Eſzterházio.* §. IV.

Arcis, & oppidi, fortuna: prima oppidi clades: rei geſtæ narratio: Balaſſii, *in repellendo hoſte, fortitudo.* §. V.

Eiusdem ferocia, Léva *adflicta:* Salmenſis, *aduerſus arcem, adparatus: obſidionis initia: difficultas: adſultus ratio: præſidiario-*

rum ſtrages : arx vi capitur. §. VI.

Fit inde Léva, *fortiſſimorum virorum, perfugium : arcis præfecti : militum* Lévenſium *exiſtimatio.* §. VII.

Fata arcis reliqua : ſub Botskaio : Gabriele Betlenio : Rákóczio : *poſt captum* Ujvarinum, *ab* Abaffyo, *deditione capitur :* Turcis *demum tradita.* §. VIII.

Recuperatæ arcis hiſtoria : quibus legibus, in deditionem redacta. §. IX.

Budenſis, *recipiendæ arcis ſtudium :* Suſæ *prouidentia :* Léva, *a* Turcis *obſeſſa : noſtrorum, ad repellendos hoſtes, adparatus :* Suſæ, *ad milites adlocutio.* §. X.

Pugnæ & victoriæ, leuiuſcula occaſio : noſtri Granum *traiiciunt : aciei ratio, ex* Wagnero *decerpta : pugnæ adcurata deſcriptio : noſtrorum inſignis victoria : caſorum, ac prædæ numerus : laus ducum : militumque :* Kohárii *occaſus : quot e noſtris deſiderati :* Neumuthii, *arcis præfecti, virtus.* §. XI.

Arcis, vſque ad Tökölii *ſeditionem, requies : redditur* Cæſari, *& qua occaſione : intercipitur a* Rákóczianis : *eorum accepta, a* Schlikio *clades :* Léva, *a Cæſarianis inſeſſa : reiecto, ex* montanis Schlikio, Rákócziani *mœnia arcis, pertundunt : victi, Cæſari arcem relinquunt.* §. XII.

Oppidi habitus : incolarum indoles : nundinæ Lévenſes. §. XIII.

Vicos, arci adſcriptos, quis pignori oppoſuerit. §. XIV.

II. Ó-Barsch, *denominationem Comitatui dedit : vrbis prærogatiua, olim potiebatur : eius ſitus, munitionibus idoneus : ruſticationis incommodæ eſt, ob* Grani *eluuiones : an ſit* Yſcenum *veterum.* §. I.

III. Nagy-Sarló, *ruſticanum oppidum : eius mercatus : eſt in ditione* Archiepiſcopi Strigonienſis. §. I.

§. I.

Arcis, & oppidi Léva, *cuniunctæ rationes : ſitus :*

LÉVA, arx & oppidum eſt, multæ, poſt inualeſcentes *Turcas*, celebritatis. Vtriuſque, arcis, & oppidi fortunam, quam habebant communem, & habitum, quo fuere olim, eadem opera expediemus. Atque *arx* quidem, monticulo incubat, cui eleuatior alter, ab oriente connectitur ; ingenti munitionum damno : quod poſitis illic tormentis, verberari poſſint, infeſtarique, arcis interiora. Plus, ab occidente, ad defenſandum opportunitatis, a natura ei datum. Paluſtri enim vligine, late circumfunditur, quam, deductus e *Grano* alueus, perenni fluuie, reddit propemodum impermeabilem. Primam *Léva* mentionem, res Caroli Roberti,

Roberti, habent, eo loco, vbi ſupplicia parricidarum, regi mortem intentantium, Bonfinivs (*a.*) deſcribit : Seben, inquit, *Feliciani filia, pro* Léva *arce*, Emerici Bechei *iuſſu, qui caſtellum, cum præſidio tenebat, capite mulctata : vir eius*, Copais, *coniectus in carceres, inedia vitam intercepit.* Istvánffyvs, *rudi veterum artificio, conditam* arcem ſcribit ; (*b.*) ætatem ſilet. quam & nos, fruſtra indagauerimus, tacente hiſtoria. Credo, molem primum fuiſſe, tutandæ rei familiari, ab heris excitatam ; vti caſtra pleraque alia ; quam demum, increbreſcentibus, domi forisque, bellis, militaribus præſidiis muniri, nouisque operibus firmari, oportuit. *Solymanni* in primis temporibus, qui cæſo, ad Mohácſum, Lvdovico II. perpetuis bellis ac ſeditionibus, *Hungariam* implicuit. Propius arcem ſpectauit Tollivs : (*c.*) *Altero*, inquit, *a traiecto fluuio Grano, milliari*, Lewentzivm *ſe offerebat, modicum oppidulum, arce nobile, licet non ex arte militari munita, colliue editiori adiacente, ipſo caſtro, vnde exciſa manu, ſex, ſeptem, ad ſummum, pedum foſſa diuiditur ; cui iterum, & alius, multo celſior, contiguus, vitibus conſitus. Ad hæc, aquæ nonnulla inopia eſt, in ipſis aquis, id eſt in loco paludoſo, vnico riuulo, ex ipſo Grano, deducto, incolarum vſibus vix ſufficiente. Petra, cui arx inædificata, cuniculis ſubrui nequit, ſcaturiente ſtatim aqua, & ad ambientis paludis altitudinem, adſurgente. Oppidum a* Cvrvczis, *flammis deletum, maxima ex parte, inſtauratum eſt, ſenſimque, ad priſtinam dignitatem, adſpirat.* Iſto habitu, anno MDCLXXXVII. fuit, dum hæc Tollivs ſcribebat. Cuius nos teſtimonio, eo libentius frequentiusque vtimur ; quod is, & extraneus fuerit peregrinator, & minutiſſimarum etiam rerum, obſeruator eximius.

Prima eius mentio :

ætas incerta :

arcis ex Tollio deſcriptio.

§. II.

Nominis etymon :

SEd vnde arci, oppidoque nomen ? *Léva* Hungaris, Slauis *Lewicze*, Germanis, mutuato a *Slauis* vocabulo, *Léwentz*, dicitur. Facile adducor, vt opiner, antiquiſſimam *Slauorum* eſſe adpellationem, quam recentiores, latine reddiderint, *Lévam* vocitantes, quod & *Slauum* nomen, *Lewicze*, ſignificat : denominationis ratione, credo, a ſitu petita ; quod locus, ſecundo *Grano*, Barſchum, olim Comitatus metropolim, deſcendentibus, *leuo* latere poſitus eſſet. quam deinde nomenclaturam, *Hungari*, ciuitate donarint, ſcribendi ratione, linguæ ſuæ accommodata, *Léva* (*d.*) ſcribentes. Neque vero deſint, qui ab heris, arci & oppido, communicatum nomen exiſtiment. Nam, priſci omnino poſſeſſores, domini *de Léva*, dicebantur. Vetuſtum fuiſſe genus oportuit, & opulentum. Mentionem certe *Sigismundi de Léva*, in decreto anni

Slauicum forte Léva.

an ab heris ita dicta :

a.) Decade II. Lib. IX. p. 319, 44.
b.) Lib. XVI. p. 285, 37.
c.) Loco toties citato, p. 195.
d.) Carent *Hungari* Diphthongo AE ; itaque Levam maluerunt ſcribere, quam Laevam.

dominorum de Léva historia:

MCCCCXCVIII. (*e.*) reperio, inter optimates regni, qui ſuo cum milite, ſuisque ſtipendiis, militare, pro re publica, tenebantur. Laudem vero *Gabrielis Léva*, apud ISTVÁNFFYVM (*f.*) adparatum Peſtienſis belli deſcribentem, legas. *Andreas*, inquit, *Bathorius, conſilio & manu promtiſſimus iuuenis, nondum, vt poſtea, pedibus captus, cum quingentis equitibus venit, ſimul cum Caſpare Seredio, Franciſco Nyário*, Gabriele Leva, *Stephano Loſontzio, Ladislao Orſzágo, ac compluribus aliis, inſignibus viris, qui ſingulas, peculiareſque equitum alas, habebant.* En, inter quos *Gabriel Léva*, quaque laude & adparatu, cenſus fuerit! Verum, ea expeditio, *Gabrieli* exitialis fuit. Iterum hiſtoricus. (*g.*) *Et quum*, inquit, GABRIEL LÉVA, *ac Ladislaus Bánfius, nobiles viri, eminentiore e loco, complicatis manibus, prælium ſpectarent*, Gabriel, *maioris colubrinæ hoſtilis, ex oppido emiſſa ferrea pila ictus, illico diſcerptus dilaniatusque eſt*: Bánffium *vero, cruore, & viſceribus eius fœdatum, & fere exanimem, famuli, in ſuum tabernaculum detulerunt, qui poſtea tamen conualuit.* Triſti adeo fato, functus *Gabriel*, credo, *Sigismundo* patre, aut auo, genitus, filium poſt ſe reliquit, *Iohannem*, (*h.*) poſtea *Melchioris Balaſſæ*, infelicem pupillum: quod infra dicemus. Ab hisne vero *Léva* nomen inditum? an a loco heris communicatum? equidem, iſtud credere malim: quod, in vicis fere ſingulis, obuia, denominationum huiusmodi, ſunt exempla.

Gabrielis Léva, *atrox fatum:*

eius filius Iohannes.

§. III.

Venit arx in poteſtatem Melchioris Balaſſæ:

Gabriele de Léva, vti diximus, tormenti ictu, anno MDXLIV. ad *Peſthum* diſcerpto, arx, oppidumque, ac dominatio vniuerſa, nuptiarum, & tutelæ iure, in poteſtatem *Melchioris Balaſſæ*, venerunt: euentu ſane funeſto. *Balaſſa* enim, vti erat contumacis vir ingenii, rapinarum, quas perpetuo agebat, arcem iſthic conſtituit, male ea propter mulctatam. Actus eius, apud ISTVÁNFFYVM, (*i.*) viuis deſcripti coloribus, leguntur. quos iam non recognoſcimus. Illud certum eſt, contaminauiſſe facinoribus ſuis, *Lévam*: dum, præſentiſſimo obſidionis, quam *Salmenſis* moliebatur, periculo, atque rapinarum conſcientia, ex ſuo iſthoc perfugio, ante, quam arx caperetur, decederet. quæ poſtea, laborioſa cruentaque obſidione, in regis FERDINANDI I. poteſtatem venit: *Balaſſa* autem, vt ſe, iniquiori fortunæ, quam prouocauerat, ſubduceret, præmiſſa, cum pupillo, vxore, in Tranſiluaniam abiit, partes *Iſabellæ*, fide omni-

eius actus:

arcis hinc diſcrimen:

e.) Articulo XXII. Vetuſtiorem ea inueni, in SIGISMVNDI diplomate, quo is, *Fratres Elephantenſes*, aduerſus iniurias, *Petri Cſoch de Léva, Himoni* Epiſcopo Nitrienſi, & *Petro Forgách*, ſupremo, eiusdem Comitatus Comiti, defenſandos iniungit. *Conſtantiæ*, Anno MCCCCXVIII. *Dominica In-*

dica. Vide Cœnob. Elephantenſe, in Comitatu Nitrienſi, expromtum.

f.) Lib. XVI. p. 246. 33.

g.) Ibidem pag. 252., 18. quæ viri fata, recoluimus. Tomo Operis III. in Hiſtoria Belli Peſtani, p. 64.

h.) ISTVANFFYVS, Lib. XVI. p. 283., 37.

i.) Idem, Lib. XVI. p. 283., 35.

omnino ſequutus dubia: a *Telekeſſio* enim, & *Franciſco Turzone* (*k.*) in fidem *Cæſaris*, magnis illectus muneribus, in MAXIMILIANI obſequio, *Viennæ*, anno MDLXIX. fato ſuo functus eſt. Quid autem, cum *Iohanne de Léva* decenni pupillo, cum ſe in has tempeſtates conieciſſet *Melchior*, actum ſit, nondum reperii: e viuis certe tunc exceſſiſſe oportuit, cum *Iſabellæ*, vitricus ſuus, in Tranſiluania, militaret. Neque enim auitæ paternæque arcis hæreditatem adiiſſe, vſpiam lego.

Iohannis de Léva, *pupilli, occaſus.*

§. IV.

Donatur a Maximiliano, *Stephano Dobóni:*

NImirum, nondum in Cæſaris partes, redierat Balaſſius, cum *Léva*, a MAXIMILIANO Cæſare, *Stephano Dobóni*, dono data eſt. Erat is, FERDINANDO I. ob *Agriam*, (*l.*) contra acerrimam *Achomatis* oppugnationem, fortiter defenſam, in primis gratioſus: præfectura ideo *Tranſiluaniæ*, (*m.*) addito collega *Kendio*, donatus. Sed, cum illic, rebus, poſt *Iſabellæ*, ex Polonia reditum, penitus conuerſis, atque deficientibus a Cæſare, *Tranſiluanis*, diu irrito conatu, egregie partibus ſuis defungeretur; præter datam fidem, dedito iam, ex FERDINANDI voluntate, *Varadino*, a *Gabriele Perényi* (*n.*) capitur, inque noua arce *Samoſia*, cum vxore ac liberis, cuſtodiæ mandatur. Hæſit in ea captiuitate, duobus & amplius annis, dum effracto carcere, funibus, per mœnia demiſſus, clam ad Cæſarem elaberetur; vxore, & liberis, quod abducendi ſecum facultas non eſſet, in cuſtodia relictis. quam poſtea, *Iohannes Sigismundus*, ne de femina ſupplicium videretur ſumere, maritum ſequi iuſſit. *Dobó vero*, ſcribit ISTVÁNFFYVS (*o.*) *atra veſte, barba, ac capillis, ad pectus & humeros promiſſis, obſtipoque & ad ſupplicium compoſito vultu, ad Cæſarem venit; ac, ne tot tantarumque calamitatum & carceris miſeriarum, quas pro ipſo, tam diu pertuliſſet, obliuiſci vellet, rogitabat. Interim eos, quorum conſiliis Cæſar vtebatur, vt ſibi fauere non grauarentur, ampliſſimis datis muneribus, induxit: partim multa boum paria, ab iis, vt fama erat, qui lapideo ſale quæſtum faciunt, ablata, partim auri ingens pondus, ac poculorum argenteorum, ad abacum exornandum, affabre factorum, magnum numerum, large diſtribuens. Itaque, breui tempore, tantum a* FERDINANDO *præmii, amiſſæ Tranſiluaniæ, accepit, quantum, vel illa ſeruata, vix fuiſſe promeritus, cenſeretur. Nam, vltra ſtipendia emerita, integre ſoluta, & arcem* LÉVAM, *maximi cenſus, ei, iure* (*p.*) *hereditario donatam; Vgleſium*, reliqua, *ſuperaddidit.* His ergo, ſiue meritis, ſiue artibus, *Lévam*, a CÆSARE accepit *Dobó*. Sed is deinde, peſſimas, pro tanto

rei geſtæ, ex ISTVÁNFFIO, *hiſtoriæ:*

k.) ISTVANFFYVS Lib. XX. p. 400., 8.

l.) Vide, eius oppugnationis hiſtoriam, apud ISTVANFFYVM Lib. XVIII. p. 339.

m.) Lib. XVIII. p. 349., 20. & Lib. XIX. p. 355., 8.

n.) Ibidem, pag. 376. ſeq.

o.) Lib. XX. p. 396., 10.

p.) Id vero, ſi ſuperſtes fuiſſet *Johannes de Léva*, Balaſſæ pupillus, haud quidem per leges facere potuiſſet FERDINANDVS: quod fecit tamen.

tanto beneficio, gratias retulit. Namque, *Georgio Bocskaio* administro, & collegis quibusdam aliis, nefariam (*q.*) conspirationem, improbus conflauerat. quæ, vbi indubitatis indiciis propalata, & a regio senatu discussa est, in nouos se *Dobó* carceres indut; biennio post, deprecantibus pro eo statibus, dimissus, atque altero, postquam liber esset, mense mortuus. Reliquit filium, *Franciscum* bonæ indolis, vti habet ISTVÁNFFYVS (*r.*) adolescentem, opum paternarum, adeoque *Léva* simul, ex asse hæredem. Anno dein MDCV. cum *Stephanus Bocskai* tumultuaretur, in potestate *Kolonitsii* fuisse, ISTVÁNFFYVS auctor est. (*s.*) LÉVAM, inquit, *oppidum, a* Colonitschio, *vxoris* Sophiæ Perényiæ, *quam duxerat, iure, possessum, Rédaiani Hajdones, iniectis, de nocte, facibus, totum combussere: arce intacta relicta, quod ea, ab ipso* Colonitschio *custodiretur.* Ergo, vxoris iure, ad Colonitschium arcis possessio, delata est: vt procliue sit opinari, *Doboiano* sanguine, *Sophiam* illam *Perényiam* fatam fuisse. Multa postea *Colonitschiis*, de arcis hæreditate, lis fuit, publicis decretis perscripta. Anni certe MDCXXII. (*t.*) sanctio, ad hunc modum habet: *Quia Magnificus Dominus* Sigefridus a Kolonitsch, *superioribus annis in arcisto suæ Maiestatis Vienna existens, arce sua* Léva, *in Comitatu Barschiensi constructa, bonisque, & pertinentiis, ad eandem spectantibus, rebus item quam plurimis mobilibus, absque legitimo iuris processu, per Magnificum Dominum* Joannem ab Althan, *via indirecta, priuatus esse comperitur: decernunt status & Ordines, vt Dominus Comes Palatinus, cum Dominis consiliariis, iudicibusque regni & Tabulæ Regiæ ordinariis, quos ad manus habere poterit, in termino, per ipsum tempestiue præfigendo, ad instantiam eiusdem Domini* Kolonitsch, *contra præfatum* Joannem ab Althan, *negotium dictæ arcis, & pertinentiarum eiusdem, rerumque prætactarum mobilium, peremtorie iudicialiter reuidere, finaliterque decidere, & debitæ exsecutioni, abscissis omnibus iuridicis remediis, demandare possit, & valeat.* Sed, frustra fuisse sanctionem eam, iteratæ toties (*u.*) leges, satis superque condocent. Post has lites, in *Csákiorum*, veterrimæ gentis iura, *Léva*, & vniuersa circum dominatio, concessit: donec, in hæredium abiret principis PAVLLI ESZTERHÁZII, regni Hungariæ Palatini. cuius eam nepos, ANTONIVS IOSEPHVS ESZTERHÁZY S. R. I. princeps, hodieque possidet. *Feliciter!*

pareit Kolonitschiis *quoque:*

nunc principi Esterházio.

§. V.

Arcis, & oppidi, fortuna:

IAm, arcis & oppidi, fortunam, videamus. In limitaneis præsidiis, tunc censeri cœpit, cum tyrannis Turcica, *Budam*, regni caput, insedit. Itaque, impensis publicis, instauratam subinde,

q.) ISTVANFFYVS, Lib. XXIV. p. 507. seq.
r.) Lib. eodem. p. 552, 40.
s.) Lib. XXXIV. p. 821, 26.
t.) Articulo LXIII.
u.) Vide anni MDCXXV. Art. LVI. Anni MDCXLVII. Art. CXVII. & CXI. Anni MDLV. Art. CII.

de, (*v.*) communitamque, legimus, idque plurium *Comitatuum* operis. Prima ei vis, a Strigonienſibus Turcis intentata, reiectaque, a *Melchiore Balassa* fuit, sed cum oppidi clade. Res ita se habuit. *Sabanus*, Strigonii, alæ equitum præfectus, venia, a *Mehmete* accepta, adscitisque expeditionis sociis, *Cubate*, *Ramadano*. & *Nasuffo*, qui turmas singulas ductabant, Danubium, cum selecta equitum peditumque (*x.*) manu, sub primam noctis vigiliam, traiicit: quodque nox luna illustraretur, præcipitato itinere, *Granum* superat, & summo silentio, *Lévam* aduolat. Hic, cum secura omnia reperit, admotis, ad oppidi vallum, scalis, ante, quam hostem adesse, conclamaretur, munitiones superat, expilatisque oppidanorum ædibus, arcis portæ, magna *Janitstharorum* contentione, incumbit. Inerat arci *Melchior Balassa*, quem *Gabrielis de Léva*, viduam duxisse, supra memorauimus, vir omnino acris, & ad bellum vnice factus. Is ergo, incondito concursantium clamore, e somno expergefactus, cum portam arcis, summa ferocia, ab hoste peti sentiret, nudus e lectulo prosilit, corripit arma, & in portæ vestibulum, vbi iam atrox pugna ciebatur, se infert. Victores se putabant *Turcæ*, quia oppido, cæsis obluctantibus, potiti iam fuerant: ideoque, nullo ordine, apum ritu, in globos acti, portæ imminere, pergunt. Eo viso, *Balassius*, in confertam hostium multitudinem, sclopos, & minutiora tormenta alia, continuatis ictibus, displodi iubet, tantamque in *Turcis*, cladem edit, quæ eos, receptui canere cogeret. Proinde, pedem referentes, oppidum expilant, & subiectis ignibus, fœdissime exurunt, tandemque, vnde venerant, præda quidem onusti, haud tamen sine insigni clade, abeunt. Instat, recedentium tergis *Balassa*, concursantibus, ad ferendam opem, vicinorum castellorum, præsidiariis. In his, *Georgius Tury* fuit, e *Sigi* castello, tormentorum fremitu excitus; sed quia superari se numero vidisset, pugnæ potestatem haud fecit; eo contentus, quod vltimum agmen, pluribus interfectis, potuerit carpere. In his, qui e nostris desiderabantur, cum multi gregariorum militum, tum in primis, *Ambrosius Bosnyák*, vir militaris, atque plures alii, numerati sunt. Ita tunc *Léva*, aduersum improuisum hostium furorem, seruatæ, laus, vni *Balassæ*; cæsorum autem *Turcarum* (*y.*) in *Salcano* campo, *Nyário*, adtributa est.

prima oppidi clades:

rei gestæ narratio:

Balassii, *in repellendo hoste, fortitudo.*

§. VI.

SEd *Balassa*, vti erat inter bella enutritus, hoc, quantumcunque laudis fuit, breui, sua culpa, decoxit. Supra rem memi-

Eiusdem maleficio Léva *adflicta:*

t.) Anni MDLIV. Art. XVI. Anni MDLIX. Art. XXIX. Anni MDLXVII. Art. XVII. Anni MDLXIX. Art. XIX. & passim.
x.) Quadringentos *Janitsharos*, & mille quingentos *equites* fuisse, ISTVANFFYVS auctor est. Lib. XVI. p. 275, 20.
y.) Cæsos enim, ad internecionem, a *Nyário* fuisse, ibidem legas, pag. 276.

nimus. Hic, in quam se, cum adserta nuper *Léva*, fortunam coniecerit, narrauisse iuuat. Mouerat, suis facinoribus, indignationem FERDINANDI, *Balassa*. Proinde, cum neque regis monitionibus, neque hortatui procerum, locum daret, communibus omnium suffragiis, proscriptus est, datumque *Nicolao Comiti Salmensi*, in mandatis, vti hominem refractarium, quacunque vi posset, in ordinem redigeret. Coadunato is exercitu, expeditionem molitur. Erant in castris, ad decem hominum millia; adparatus autem bellici tantum, quod diuturniori etiam bello, sufficere posse, credebatur. Hungaros, *Vriel Majténi*, Germanos *Ebersdorffius*, cum imperio ductabant: *Augustinus* autem *Sbardellatus*, Episcopus Vaciensis, commeatum procurabat. Tandem, acceptis, in exercitum, nobilibus, qui e *Gömöriensi* (vbi *Matthias Baso*, non secus quam isthic *Balassa*, tumultuabatur) & *Neogradiensi* prouincia, siue lege ita iubente, siue iniuriarum, quas a *Balassa* & *Basone*, acceperant, vindicta stimulati, alacres in castra, confluxerant. Ergo, itur in bellum; ac ne *Mehmetes* Budensis præfectus, ex tam acri, subitaneoque adparatu, suspicionis aliquid, præter rem, colligeret, *Johannes Desöffy*, ad cum, quid sibi expeditio ea vellet, docendum, ablegatur. *Lévam*, tamquam firmissimum latronum perfugium, ante omnia obsideri placuit. Id, antequam fieret, *Sitna* deturbandos *Balassianos*, res ipsa poscebat, ne obsidionales operas, quas exorsuri erant, factis inde eruptionibus, interturbarent. Ac *Sitnam* quidem *(z.) Ebersdorffius*, nec admotis tormentis, opinione celerius, capit. Prospero hoc expeditionis initio, exhilaratus *Salmensis*, acceptoque in castra *Ebersdorffio*, exercitum, *Léva*e admouendum statuit; *Horuatinovitzio*, ad incingendum, lenta obsidione, *Csábrágum*, cum delecta manu, dimisso. Aduentu *Salmensis*, per exploratores cognito, *Balassius*, qui hucusque, solita animi ferocia, ad tolerandam obsidionem, sollicite curauerat omnia, cum *Sitnam*, nullo obsidentium negotio, interceptam audiret, cedendum fortunæ ratus, in *Transiluaniam*, vxore, cum liberis præmissa, festinatis itineribus euasit: *Thoma Dacsó*, præfecto *Léva*e constituto, dum ipse, *Turcarum*, & *Transiluanorum* auxilia contraheret, opemque ferret laborantibus, nihil pensi habens, quod alicubi Tragicus SENECA. (*a.*)

Salmensis, aduersus arcem, adparatus:

Haud est virile, terga fortunæ dare.

obsidionis initia:

Salmensis interea, exercitum, oppido admouet, atque castra metatus, aggeres obsidionales, & suggestus, collocandis tormentis idoneos, moliri incipit; ne sacros quidem dies *Resurrectionis Domini*, quorum alter iam inierat, moratus. Vix in conspectum arcis ventum fuit, cum res tormentis geri coepta est. Quo viso *Balassiani*, haud minori ala-

z.) Oppugnationis historiam, suo loco dabimus, in *Comitatu Nagy-Hontiensi*, Parte Spec. Membr. I. Sect. II.

a.) Oedipo v. 86.

alacritate, arcis fortiter defensandæ, munia obibant. Nam, & hostium molitiones, collimatis machinarum ictibus, perpetuo infestabant; & quod perforatum in muris interdiu fuit, nocturnis id operis, cespite atque materia, strenue ac festinato, resarciebant. Iam vigesimus quartus obsidionis dies, magna *Salmensis* indignatione, agebatur, cum *Hispani* tormenta in collem, arci impendentem, adtrahunt; *Salmensis* autem, portam, perpetuis globorum iactibus, deturbare occipit. Vtrinque, tanta breui, in muris strages fuit edita, vt integris ordinibus, adsiliri posse, duces existimarent. At, *Salmensis*, parcendum *Christiano* sanguini ratus, obsessos per caduceatorem, se vti dederent, admonet; patere, si vellent, ad veniam, aditum; sin perseuerarent in maleficio, nemini postea parsum iri. Ferocius, quam opinabatur *Salmensis*, *Balassiani* responderunt, simul, integri mensis inducias postulantes, dum interea iuratam *Balassio* fidem obnunciarent. Id vero, cum ad deludendum se, fatigandumque porro exercitum, pertinere, odoraretur *Salmensis*, adsultum, duobus locis, suscipiendum, ex templo, præmiis propositis, edicit. Itaque, sublato clamore, pedites *Hungari*, *Germanis* permixti, ruinas subeunt: tollunt & obsessi vocem, atque, factis cuneis obiiciunt se irruentibus. Sed, cum *Salmensis*, nouos subinde milites, fessis surrogaret, *Balassiani* e ruinis proturbantur: instant, pedem referentibus nostri, latereque in præsidiarios, & sclopis, & acinacibus, grassantur. Dum hæc ad portam fiunt, *Hispani*, quos in colle tormenta collocauisse diximus, admotis scalis, in muros eniuntur, inque maius arcis atrium peruadunt. Fit atrox pugna, fortissimis quibusque, ad reiiciendos *Hispanos*, concursantibus. Cecidere hic *Thomas Török*, *Nicolaus Pohárnoky*, *Andreas Kelecsény*, *Clemens Tessény*, & plures alii. Atrocior multo, parte ruinarum altera, clades, præsidiariis illata est. Cum enim *Thomas Dacsó*, arcis præfectus, multa vociferatione suos, confertis ordinibus, pro ruinis pugnare cogit, geminari stragem oportuit. Occubuere isthic, spectante *Salmensi*, præter ingentem gregariorum numerum, *Iohannes Kávássy*, *Vitus Horváth*, *Blasius Török*, *Demetrius Kóróskosy*, atque *Thomas Nemessy*. Tunc & *Dacsó*, desperata salute, per ruinas, in paludem, quæ iuxta arcem diffunditur, præceps irruit, cumque capite tantum protenso, euadere nititur, insequentibus nostris, in mediis aquis, sese victoribus dedit. Quod a cæde residuum, e præsidiariis fuit, præcipiti cursu, in eandem se paludem, iniecit. qui dum illinc, anatum ritu, innatant, ab *Hispanis*, scloporum ictibus, trucidantur. Præcipua, in confectandis fugientibus, *Hispanorum*, & *Germanorum*, ferocia fuit. *Hungari* certe, victoria contenti, coniectos in fugam, insequi noluerunt, ne, præter, quam par est, in gentem suam, desæuiisse putarentur. *Hispanorum* atrocitati, & id accessit, quod demessa triginta duo capita, *Salmensi* obtulerunt, cadaueribus, vt a canibus dilaniarentur, sub dio relictis: sed quæ *Salmensis*, ne humanitatis sensum exuisse, qualicunque hac victoria, existimaretur, contumulari iussit. Funesto adeo

difficultas:

adsultus ratio:

praesidiariorum strages:

arx vi capitur.

exitu obſidio *Léva* A. MDXLIX. poſtridie *Iduum Maii*, terminata eſt. *Vriele Majténio*, cum firmo præſidio, illic impoſito. Diſcat hinc poſteritas, quod habet SENECA: (*b.*)

Vis magna populi eſt; Principis maior tamen.

Et poſtea: (*c.*)

Id facere laus eſt, quod decet, non quod libet.

Namque: (*d.*)

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros;
Conſulere patriæ; parcere adflictis; fera
Cæde abſtinere; tempus atque iræ dare;
Orbi quietem; ſeculo pacem ſuo.
Hæc ſumma virtus: petitur hac cælum via.

§. VII.

Fata indis Léva, fortiſſimorum virorum perfugium:

VIndicata, a ſeditioſis, *Léva*, iuſtis poſtea præſidiis, cuſtodiebatur, eratque fortiſſimorum virorum, quaſi vagina quædam. Quia enim ruri, ob Turcarum graſſationes, intuta erant omnia, iſthuc, viri nobiles, habitatum veniebant, qui demum, vbi res ferebat, aut militiæ nomina dabant, aut ſuis ſtipendiis, caſtra, volonum more, ſequebantur. Neque id fieri potuit aliter, *in tanta vicinitate* hoſtium. Ad ius ciuitatis profecto, ne plebeios quidem homines, alia admiſſos lege, accepimus, quam, ſi militari ſe ſacramento obſtrinxiſſent. Itaque, fui, & arci, & oppido, magiſtratus militares fuere, iique e viris lecti, nobili loco natis, & arte militari præſtantibus. Certe, *Ladislaum Csáky*, hæreditarium arcis capitaneum fuiſſe, lego; tunc forte inauguratum, cum in ius arcis veniſſet. Alter hunc *Ladislaus Csáky* ſequutus eſt, eodem gauiſus axiomate, tametſi inſigni munere, *Iudicis Curiæ Regiæ* fungeretur. Horum fuerat, arci adtendere, obſeruare *hoſtes*, graſſantes reiicere, atque, ſi ſe dabat occaſio, laceſſere etiam, inuadere hoſticum, regis præterea ſequi militiam, & ne quid detrimenti caperet vicinia, quam ſollicitiſſime prouidere. Quam ob rem, magni tunc, cum iſta prouidentia opus fuit, præſidiarius *Levenſium* miles fiebat, cautumque lege publica legimus, vt, nobiles, qui iſthic, fere omnes, milites erant, immunes a decimis haberentur: quod licet priſco iure, prærogatiuæ nobilium virorum, a *Turcis*, ſedibus depulſorum, dabatur; tamen, apud *Levenſes*, militiæ ſimul, cui erant dediti, rationem exiſtimatam fuiſſe, non eſt, cur ambigamus. Sanctio FERDINANDEA (*e.*) generatim ſic habet: *Nobiles, patriis ſedibus eiecti per Turcas, & qui*

arcis præfecti:

militum Levenſium exiſtimatio.

b.) Octauia, v. 183.
c.) Ibidem, v. 444.
d.) Verſu 463.
e.) Decreto X. quod *Tyrnauiæ* A. MDXVII. editum eſt, Articulo XXXVI. Ortam, eius legis occaſione, apud *Szakolenſes* litem, quomodo FERDINANDVS I. deciderit, in eius vrbis hiſtoria exhibebimus.

qui ad loca tutiora profugerunt, non teneantur decimas ſoluere, ex vllis terræ fructibus, etiam in illis bonis, ad quæ ſeſe receperunt. Eam poſtea cum latius tyrannis ſerpſiſſet turcica, FERDINANDVS II. (*f.*) atque eo mortuo, FERDINANDVS III. (*g.*) recognouerunt, ratamque habuerunt. Miles interim *Levenſis*, cum perpetuis *Turcarum* incurſionibus diſtinebatur, & nunc edita ſtrage ferociebat, nunc ringebatur accepta, pedetentim ab ingenio militaris diſciplinæ, ad eum modum deſciuit, vt honeſtiſſimum vitæ genus, propemodum, in latrocinandi libidinem verterit; tunc in primis, cum ſubmoto, poſt captam *Budam*, hoſte, agendæ, ritu adulto, prædæ, & occaſio deeſſet, & materies. Nempe: (*h.*)

Comportare iuuat prædas & viuere rapto.

Valuitque, longa poſt annorum ſerie, illud SENECAE: (*i.*)

Dediſcit animus fero, quod didicit diu.

§. VIII.

Fata arcis reliqua; ſub Botskaio:

SEd, ad fata arcis, & oppidi, redeamus. A *Botskaianis*, varia, ſeditioſorum acceſſione, conualeſcentibus, oppidum exuſtum igni denuo, arx contra, *Colonitſchii* ſeruata virtute eſt. Meminit eius cladis ISTVÁNFFYVS: (*k.*) *Lévam oppidum, a Colonitſchio, vxoris* SOPHIAE PERENIAE, *quam duxerat, iure poſſeſſum, Rebaiani Haidones, iniectis, de nocte facibus, totum combuſſere; arce intacta relicta, quod ea, ab ipſo* COLONITSHIO, *defenderetur.* Fuit tunc oppidum foſſa, & aggeribus, quomodocunque munitum. Itaque, facile id, prædabunda colluuies, *nocturna* impreſſione, ſubditis ignibus, potuit exurere: arcem, ne tentare quidem auſa. An vero *Ujvarino* capto, in poteſtatem venerit *Botskaianorum*, nil reperio. *Gabrieli* certe *Bethlenio*, herbam porrexiſſe, ORTELIVS auctor eſt, non tam, quod nequiuiſſet hoſtem reiicere, quam quod arcis præfectus, quisquis ille fuerit, nouarum rerum ſtudio, quam cauſſæ iuſtitia, vinci maluerit. Neque *Rákóczius* prior, intemeratam omiſit; ſed, quod tumultuatio ea, pace conſopiebatur ante, quam prorſus vires ſumeret, ſua, breui poſt, tranquillitas, *Léva* reddita eſt. quæ tamen, turbatis iterum iterumque, patriæ rebus, diuturna eſſe haud potuit. Ceperant Turcæ *Ujvarinum*, cum vicinis circum arcibus, *Nitria* atque *Neográdo*: cum his *Léva* ſimul interiit. Ac *Nitriam* quidem, ſoli *Turcæ* occupauere; *Neográdum* autem, & *Léva*, *Michaelis Abaffii*, Tranſiluaniæ principis ductu, & artibus, in hoſtis poteſtatem venerunt. Oſtentabat ille, armorum, quæ cum *Turcis* iniquiſſime corripuerat, iuſtitiam, multa obſeſſis, de ſe, de liberanda patria, & neſcio, qua tempo-

Gabrieli Bethlenio:

Rákóczio:

poſt captum Ujvarinum, ab Abaffyo *deditione capitur:*

rum,

f.) Anno MDCXXXV. Art. LXXIV.
g.) Anno MDCXXXVIII. Art. LXI.
h.) VIRGILIVS Aeneid. IX. 614.
i.) Troadis, verſu 60.
k.) Libro XXXIV. p. 821, 26.

rum in melius reparatione, pollicitus. Quibus rebus, facile erat, in ſententiam pertrahere, fluctuantes animo præſidiarios. Vix autem ſe *Abaffyo* dederat *Léva*, cum is, *Turcis* infidendam tradit; fruſtra exſecrantibus facinus, qui arce, incauti deceſſerant. Recte WAGNERVS (*l.*) *Pari flagitio, Levenſis arx tradita, ne tormenti quidem ictu exſpectato. Germanus loci præfectus; nam ex vtraque natione præſidiarii erant; ſupplicio affectus.* Ita anno MDCLXIII. excunte fere Octobri, accidere, cruentæ poſtea victoriæ locum datura.

Turcis Léwam tradita.

§. IX.

Recuperatæ arcis hiſtoria:

RES, ad hunc modum geſta fuit. Fruſtra, ineunte anni MDCLXIV. vere, *Caniſam* tentauerant *Cæſariani*, cum *Suſa*, Cis Danubianæ dux expeditionis, coadunato, *octo millium* exercitu, hoſtes, maturatis itineribus, præuenit, *Nitriam*que primo, *Lévam* poſtea, recuperat. Et ad *Nitriam* quidem, res, ex animi ſententia, ceſſit. *Léwæ* autem oppugnatio, permultum habuit diſcriminis. Promoto *Nitria* exercitu, communitisque, ad *Pukantzum*, (*m.*) caſtris, ipſe dux, cum binis legionibus, ſub *Léwæ* conſpectum excurrit, cumque illic metandorum caſtrorum opportunitatem ſpeculatur, aduentare *Budenſem*, cum viginti quinque hominum millibus, idoneis auctoribus, condiſcit. Tantæ *multitudini*, imparem ſe fore ſentiens, profundius intra valles, deducendum exercitum ſtatuit. Præmiſſo itaque cum grandioribus machinis, ad *S. Crucem* peditatu, ipſe vltimum agmen, cum equitatu, claudit. Vix primi profiſciſcentium ordines *Zernouitzium* adtigerant, cum hoſtis legere noſtrorum veſtigia, & pugnæ occaſionem ferocius quærere. Coegit ea res *Suſam*, vt caſtra ad *Zernouitzium* poneret, & quam poſſet, celerrime communiret. Hinc *Zernouitzenſi* illi pugnæ, enata occaſio, qua profligati hoſtes, exuſta, ob iter, *Ujbánya*, Strigonium, vſque, inglorii receſſere: *Suſa* vero, ad *Fanum S. Crucis*, loco, reficiendo exercitui, idonco, conſedit. Recollectis ergo viribus, & annona, quæ diebus aliquot ſufficeret, coacta, cum per hoſtium abſentiam, iter, *Lévam* vſque, patere denuo videret, expugnandam eam ſtatuit. Præficitur obſidioni, AVGVSTVS HOLSATVS, imperialium copiarum dux, eo ſucceſſu, vt quatridui oppugnatione, fracti hoſtes, die VII. Iunii, noſtris ſe dederent, iisdem, quas Nitrienſes acceperant, legibus. (*n.*) *Octingenti, qui ſupererant, Turcæ, cum familia, ac impedimentis, Strigonium vſque, inter militum quingentorum comitiuam, deportarentur; ipſi, cuniculos ante, ſi qui laterent, detegerent; annonam, quanta ſupereſſet, ne corrumperent, neque* GERMANOS *atque* HVNGAROS, *captos, ſecum*

quibus legibus in deditionem redacta.

l.) Lib. I. p. 135.

m.) Hungaris *Bukdánya* dicitur, eſtque in numero ſeptem montanarum vrbium, cuius hiſtoriam in *Honterſi Comitatu* dabimus. P. Spec. Mem. II. Sect. I.

n.) Adſcribimus eas, vt ſunt apud WAGNERVM Lib. II. p. 149.

ſecum abducerent. Itaque, poſt octimeſtrem tyrannidem, arx, & oppidum, *Cæſari* vindicata ſunt. Impoſitis quadringentis præſidiariis, arx, *Neümutho*, ſtrenuo centurioni tutanda, traditur: exercitu, intra vallis fauces, quæ vltra *Fanum S. Benedicti* incunt, iterum reducto.

§. X.

Budenſis, recipiendæ arcis ſtudium:

SIMUL, interceptæ arcis fama, ad *Budenſem*, perlata eſt, *Valachorum* ille, & *Moldauorum*, inſigni acceſſione, adauctus, *Strigonio* iterum mouet; *Suſa*, contra ea, ad *Vagi* ripam, caſtra eo loco metatur, vnde, cum molitiones hoſtium obſeruare, tum obiicere etiam ſe poſſet, *in Auſtriam* aut *Morauiam*, excurſionem tentaturis. Accidit vero, magno exercitus malo, vt pars tyronum maxima, quorum ad ſex millia numerabantur, alui profluuio, laboraret, veteranis fere immunibus. Sed, ne *Suſa* quidem intactus manſit, vt cogeretur omnino, curandæ cauſſa valetudinis, *Tyrnauiam* ſecedere. Hic, cum moratur, quo loco, quamque obnoxiæ diſcrimini, res Chriſtianorum eſſent, *Cæſarem* docet, auxiliaque, eo impenſius efflagitat, quo maior erat ſuſpicio, *Turcas*, relictis tantiſper arcibus, *Auſtriam*, *Morauiam*ue inuaſuros. Nec ceſſatum *Viennæ* eſt, poſteaquam terror ille, opportune inualuerat; *imminere hoſtes, & ni confirmetur* SVSAE *exercitus, regionem, ſuperioris anni clade adflictam, euaſtatum iri denuo.* Proinde, miſſus, in ſubſidium, *Heiſterus*, præter equeſtrem legionem ſuam, pedeſtrem *Heidelbergicam*, & prætorianorum equitum turmam, tempeſtiue in caſtra adduxit. Hæc dum fiebant, Turcæ *Lévam* obſidione cingunt, adeoque militaribus operis vrgent, vt, niſi *Neümuthi* virtus, præſidiarios, ad rem fortiter gerendam, ſuo excitantis exemplo, interceſſiſſet, actum de arce videretur. De præſentiſſimo, vti erat, periculo, edoctus *Suſa*, XVIII. Julii, exercitum ad *Granum* promouet, ita caſtra metatus, vt ab hoſtibus, ſolius intercurſu amnis diuideretur. Iſthic mille *Tartaris*, a ſtatione depulſis, collem, quem inſederant, cum exercitu occupat; aciem, quaſi iam iam depugnaturus, inſtruit, & ordines ſingulos obequitans, ad rem maſcule gerendam, accendit: *Meminiſſent Zernouiczenſis pugnæ, vbi pauci ac debiles, victoriam de hoſte reportaſſent; nunc, & numero valentioribus, & fauſtis adeo initiis, in ſpem optimam erectis, nihil ad conſummatum triumphum defore, quam, vt ordines ſeruare, excipere primos inuadentium impetus, pedem, denſatis agminibus, proferre; ſclopos, per internalla exonerare, denique, vbi amiſſo aculeo, torpere cœperit hoſtis, aciem inuadere, acriterque non minus, quam conſtanter, depugnare velint. Inconditum barbarum gentium clamorem, micantes, totis caſtris acinaces, & volitantia, nullo ordine, agmina haud reformidarent; multitudinem eſſe, bello inexpertam, quæ vbi inclinata acie, turbari*

Budenſis, *recipiendæ arcis ſtudium:*

Suſæ *prouidentia:*

Léva, a *Turcis obſeſſa:*

noſtrorum, ad repellendos hoſtes, adparatus:

Suſæ *ad milites adlocutio.*

turbari cœperit, ipsa sibi fugæ facultatem, ademtura sit. Irent ergo, cum tempus aderit pugnæ, expedirent dextras & arma, animo se præsagire, lætam diem posteram, atque prædarum diuitem, habituros. Ille, ad commilitones, summa virium contentione, tametsi, ex nupero morbo adhuc imbecillis, prolocutus *Susa*, militem, corpora curare, somnumque capere, iussit.

§. XI.

Pugnæ, & victoriæ, leuiuscula accessio:

Hinc, quieta in castris, ad tertiam vsque vigiliam, fuere omnia. qua exeunte, res leuicula, classicum quasi nostris cecinit, contulitque ad victoriam plurimum. Nondum ingruebat aurora, cum leues venti, qui adsita castris nemora perflabant, susurrum ediderunt, proficiscentium, suspensis passibus, militum, consimilem. Accedebat modica pluuia, quæ frondium illam ex vento fluctuationem, adauxit, iniecitque nostris, *Turcarum*, ex insidiis erumpentium, suspicionem. Ducti, errore hoc, extremi stationarii, signum ingruentium hostium edunt, quod, vbi longo vigiliarum ordine, in castra propagatum est, nihil cunctatus *Susa*, arma corripere suos iubet, atque instructa acie, in hostem mouere. Superandus erat *Granus*, ante, quam id hostis posset impedire. Itaque, turmæ equitum, tripartito, in amnem descendunt, enituntque in aduersam ripam, nemine prorsus, sicuti metuebatur, obluctante. Equitibus singulis, singuli additi, a tergo, pedites, eadem opera fluuium traiicere, stetitque intra duas horas explicata, in campo, nostrorum acies. Audiamus Wagnervm, (*o.*) aciei rationes enarrantem: *Primæ*, inquit, *aciei hæc forma fuit. Dextra ala, cataphractorum Heydelbergensium turma, Heisteriana legione; sinistra, Knieggianis turmis equitum quatuor, tribus Caprarianis, constabat. In medio Brandeburgi sclopetarii sexcenti, quingenti Saxones. In acie secunda, Seizziana legio equestris in dextro, in sinistro Holsatica, in medio, duæ Saxonum sclopetariorum cohortes, locatæ. In subsidiis dispositæ turmæ Brandeburgorum tres; vna desultorum; tres item Garnierii; Joanelli Baronis, centuriæ duæ, quas sub ipsum conflictus initium, adduxerat, e montanis fistulatoribus collectæ. Ad impedimenta, cohortes duæ sclopetariorum relictæ; extrema latera, leuis Vngarorum equitatus, inde* Kóharii Comitis, *inde* Valentini Balassii, *claudebant. Vniuersim septem millia censebantur. Turcarum viginti millia fuere, seu hostium contemtu, seu virium fiducia, pugnandi auidissima.* Tantilla Christianorum manus fuit: quippe, morbis castrensibus, vsque ad ducem ipsum, male adfecta. Sed, fauit tamen, summus rerum, atque armorum arbiter, causæ meliori. Pergit Wagnervs: *Ergo, conspecta Christianorum acie, nihil morati, e collibus Turcæ, in plana se demittunt. Dextrum cornu Valachis & Spahis adtributum; Moldauis & Tartaris sinistrum; Janitschari in medium accepti.*

nostri Granum traiiciunt:

aciei ratio, ex Wagnero decerpta:

Caprara,

o.) Historia Leopoldi M. Lib. II. p. 151.

Caprara, *lacessere hostem, cum octingentis leuioribus* Kohárii, *totidemque cataphractis equitibus. Ferociter, ab Janitschariis, & Spahiorum flore acceptus, durauit paulisper; demum, multitudini impar, & latera circumuentum iri metuens, retrocedere est coactus, nonnulla suorum cæde ac fuga. Horum aliqui, contento cursu, Nitriam effugisse feruntur.* Glockivs, *cum Brandeburgica desultoriorum turma, qui in silua se hactenus tenuerat, cohibito Janitschariorum impetu,* Caprarae, *colligendi se spatium fecit.* Svsa, *rem omnem certaminis, huc vergere conspicatus, tres Knieglanas turmas submittit, præter Saxonicas cohortes, & quatuor campestria tormenta. Tum vero, instaurata acerrima pugna, loco mota hostium acie, robur ipsum Janitschariorum, in fugam agitur. Præludium duntaxat hoc, vniuersi certaminis, tormentis solum, sinistra ala, hostem infestauerat.* Caprara, *cum victore iam milite, in octo Valachorum & Spahiorum millia inuectus, & non intermissis tormentorum ictibus, haud dubiam eo latere, victoriam peperit. Minore negotio* Heisterus, *in dextro cornu, Tartaros, Moldauosque, e silua erumpentes, profligauit. Loci opportunitas, collium siluarumque obiectus, magno adiumento fuit, ne circumueniretur nostrorum paucitas.* Illud, pugnæ totius discrimen fuit. Loco motus hostis, in fugam, quaquauersum, effundebatur. quem confectati *Hungari*, in serum vsque diei, haud minori, quam quæ illata in acie est, clade, adfecerunt. *Holsatus* præterea, cum laceratos Turcarum ordines, densatis agminibus acrius insequitur, in delectam quingentorum Janitschariorum cohortem, inter dumos delitescentem, incidit. Conseritur illico manus, pugnatur aliquandiu, donec, visa loci opportunitate, dux, hostem, totis circum lateribus concludit, & ad internecionem delet. *Octo*, vniuersim, cæsorum *millia* censa, sauciatorum, in quibus *Budensis* fuit, numerus, reseiri nequiuit. Signa *centum*, victis erepta, castra triplicia expilata, *mille* currus, annona iumentisque instructi, in potestatem venere. Sed prædæ, non omnibus, eadem portio, adtributa est. Erant, inter ignauissimos, quibus *decem millia* nummuum, sed erant etiam inter fortissimos, quibus vix lacerna obtigit. Pugna certe, memoranda in primis ad posteros; quod, in ea nostrorum paucitate, tanta animorum contentione decertatum est, aduersus multitudinem, & viribus pollentem, & armis. Præcipuam, rei bene gestæ laudem, *Susa* tulit: quippe qui, æger corpore, horas, sine cessatione, XVII. eques, vbi res maxime fuit trepida, versabatur. Quin & duces reliqui, egregie functi sunt officio. Avgvstvs in primis *Holsatus*, *Caprara*, atque *Heisterus*. Milites certe documento fuere, non in numero, sed in dextris, ni fata contraiuerint, positam esse victoriam. Vtriusque gentis, *Germanorum*, atque *Hungarorum*, eximia virtus emicuit; sed *Hungarorum* tamen iactura maiore, quod *Stephanum Kohárium*, ducem laudatissimum, sub primum pugnæ æstum, amiserint. Ceterum, quingentos admodum, e nostris, desideratos fuisse, constanter perhibent, qui acerrimi prælii historiam litteris consignarunt. Tanti tunc,

nostrorum insignis victoria:

cæsorum, ac prædæ numerus:

laus ducum:

militumque:

Kohárii occasus:

quot e nostris desiderati:

Neümuthi, *arcis præfecti, virtus.*

& laboris fuit, & discriminis, *Lévam*, ab hostibus eliberauisse. *Neümuthus* certe, arcis præfectus, vocibus omnium celebratur, qui non modo, infirmam arcem, nullo fere præsidio, sola sua virtute, aduersus numerosum adeo hostem munitam, feliciter tutatus sit; sed præbuerit etiam, sua hac fortitudine, occasionem victoriæ memorabili.

§. XII.

Arcis, vsque ad Tökölii seditionem, requies:

REpressis, ad hunc modum, hostibus, S. *Gotthardiana* autem pugna, adtritis prorsus, pax, eodem, quo hæc gesta sunt, anno, coaluit, mansitque in Cæsaris ditione *Léva*, vsque ad *Tökölianam* seditionem. Nimirum, cum A. MDCLXXXII. *Hungariam* omnem, torrentis instar, peruasisset, simul *Lévam* corripuit, demum, post liberatam *Viennam*, & cæsos iterum, ad *Párkánum*, *Tircas*, CAESARI redditam. *Lévam* inquit, PARSCHITZIVS, (*p*) *præsidium validissimum, diu resistentem, adgressus, intercepit; ingenia præsidiariorum, ad sui amorem & obsequium, adtemperauit.* Ergo, ne tunc quidem, proditionis crimine caruit, miles præsidiarius. Deditionis postea CAESARI factæ occasionem, WAGNERVS (*q.*) in litteras retulit. Fas est auctoris verbis, rem enarrauisse. *Dum ita*, inquit, *in opus incumbitur*, (Strigonium scilicet oppugnabatur) *venere ad regem Poloniæ, perduellium principes. Studiosa oratione, gentis suæ mala, Germanici sauitiam imperii, exaggerant. Coactos se ad consilium, fœdum prima specie, ac impium, ad Ottomannica auxilia confugiendi. Iis deuictis, etsi duriora omnia sibi augurari possint, in regis tamen patrocinio, cui se permittant penitus, spem veniæ maximam collocatam habere. Auditi ab rege, nulloque responso, ad ducem Lotharingum reiecti sunt. Dux, etsi armatos ac perduelles, ne audiri quidem decore posse, crederet; vt hoc regi tribueret, coram admisit. Vsi autem sunt oratione longe insolentissima, & quæ cum factorum insania plane consentiret.* LEOPOLDVM, *aiebant*, haud grauate, pro rege agnoscimus, si is, pro rege se geret; neque Germanorum procerum libidini, quos, cum Hungarica nobilitate, interneciuum est odium, spoliandos nos, conculcandosque, abiiciet. Pacem facimus, si commoda hiberna nostro militi, inducias semestres, comitia, ac durantibus comitiis, statiua impetramus; si regni defensio, deportatis *Germanis*, nostræ nationi, permittitur. *Hæc adeo intoleranda duci sunt visa, vt non alias, commotiorem viderint. Facessere iubet impios, ac secum reputare, qui Christiani sanguinis riui, ipsis auctoribus, defluxerint? in quod discrimen, nomen omne Christianum, coniecerint. Eandem cælestem vindictam, quæ barbarici fastum imperii, tam illustri miraculo, deprestserit, pauculis perduellium manipulis, instare. Nisi audacia, minis, armis positis, simpliciter se, iustissimi Cæsaris arbitrio submittant, nullas conditiones exspectarent.* Istæ nimirum seditioni, oppido sanguinolentæ

Redditur Cæsari, & qua occasione:

p.) In TABELLA Regni Hungariæ, p. 200. (q.) Lib VIII. pag. 625.

lentæ, caussæ tunc obtendebantur. Dux interim, sua illa seueritate, vno quasi ictu, plures, e manibus *Tökölianorum*, arces excussit. Pergit enim historicus: *Opportuna hæc seueritas, metu nimirum magistro, Tatam, Veszprimium, Pápam, Lévam, ad officium reduxit.* Vix autem effluxerat vicennium, cum noua iterum inquies, Hungariam peruasit; *Lévam* certe noua clade, nobilitauit. Pertigerant isthuc A. MDCCIII. medio fere Octobri, *Rákóczziani*, iamque ad iusti exercitus speciem, coadunata, spe prædandi, multitudo, excreuerat; cum *Schlickius* comes, modica *Germanorum*, & *Hungarorum*, quos, e *Posoniensi*, atque *Nitriensi*, Comitatibus, in ea trepidatione, cogere potuerat, manu stipatus, insanientibus se obiicit. Neque illi pugnam detrectauere; tametsi instruendæ aciei non minus, quam seruandorum ordinum, ignari. Itaque, vt rei fortiter gerendæ auspicia caperent, primi *Cæsarianos*, tanto ardore inuadunt, vt cornu vtroque, nutare cœperint nostri: quippe, incondita multitudine, in primo illo pugnæ feruore, propemodum offusi. Sed, dum facto, vtrobique, cuneo, hic manualia, currulia alibi, tormenta, in confertos, semel atque iterum, displodunt, fœdam in *Hungaris* cædem edunt. Quo viso, qui in acie altera constiterant, equites, laxatis habenis, in fugam ruunt, pedites, fortius obsistere ausos, deserunt, victoriamque *Schlickio* relinquunt. Primus iste conflictus fuit, in quo *Rákócziani*, virium suarum periculum fecerant; digno tristissimis cœptis, auspicio. Post pugnam, tantum præsidiarii militis, arci impositum est, quantum eius, in ea paucitate, fieri potuit. Verum, quod *Schlickius*, montanis vrbibus, cupidius, quam res ferebat, imminens, ad XV. Nouembris, inde reiectus est; *Léva*, in tumultuantium potestatem, recidit denuo. qui demum, siue, vt cladem, isthic acceptam vleiscerentur; siue, vt ne cogerentur præsidio munire locum, post captum *Ujvarinum*, mœnia arcis proruunt, turpemque hanc memoriam, post se relinquunt. Rediit in CAESARIS ditionem *Léva*, post *Trentschinensem*, quæ in diem III. Augusti, anno MDCCVIII. inciderat, victoriam.

Intercipitur a Rákóczianis:

eorum accepta, a Schlickio, clades:

Léva, a Cæsarianis insessa:

reiecto ex montanis Schlickio, Rákócziani, mœnia arcis pertundunt: victi, Cæsari arcem relinquunt.

§. XIII.

Oppidi habitus:

AD oppidum, quod adtinet, obiacet id arci, situ, a meridie, in orientem, reclinato, estque post tot, quas subiit, conuersiones, cultu tenui. Incolæ fere *Hungari* sunt, multique in his nobiles, & qui olim militiam sequebantur. Iam, in agro colendo, operam ponunt, qui circa oppidum, & frumento vber est, & vino. Sed istud, austerius esse credunt, quam, vt cum adprobatione gustus, ab omnibus queat bibi: ætatis certe intolerans est. In primis, magna hominum celebritate, nundinæ *Lévenses* aguntur. Plures harum numerant, ad dies *Epiphaniæ Domini; Corporis CHRISTI; D. Jacobo; & S. Michaeli Archangelo*, sacros, præstitutas. Neque mer-

incolarum indoles:

nundinæ Lévenses:

catus tantum fabriles, ſed boarii etiam, quatriduo ante, ſuerunt celebrari, magno accolarum emolumento. Inſtitores certe pecuarii, frequentes huc confluunt, qui, vel adpellunt venale pecus, vel abigunt coemtum. Olim, furtis, & latrociniis, *Lévenſes* hæ nundinæ, infames reddebantur: iam, quæ eſt magiſtratuum ſeueritas & vigilantia, crebriora fiunt inueterata illa facinora. Oppidum ipſum pulchre iam reficitur, vt ſpe ſit, breui, ſuperiorum annorum iniurias, obliteraturum.

§. XIV.

Vicos arci adſcripſos, quis pignori oppoſuerit.

COpioſi, olim vici fuere, *Lévenſis Dominationis*, tunc partem maximam, pignori oppoſiti, cum iſthic, *Ladislaus Cſáky*, rerum potiretur. Vti enim vir erat, ad omnem factus magnificentiam, atque, præter ſeculi morem, non modo non adtentus ad rem; ſed etiam, in ſumtu faciendo, extra modum profuſus; factum breui eſt, vt, quidquid vicorum, priſco iure, accenſum arci fuit, omne id, grandi ære alieno, obrueretur. Bonbardi auctor eſt, iſthinc, adagio Hungarico: *Nem Csáky ſzalmája*: quod & *Slani* ciuitate donauerunt: *Nemj to Csákyho ſlama*; id eſt: *non eſſe, hanc illamue rem, ſtramen Cſákii*; ductam originem. quo in eos vtimur, qui, aut ſuarum rerum cura ſoluti, *rapinæ eas* permittunt; aut aliena, tamquam neglecta, ſibi vendicant *liberius*. E *Cſákiano* enim horreo, pronum erat olim, ſine cuiusquam offenſa, & paleas ſublegere, & quantum quiſque vellet, probi ſtraminis auferre. Latine, & ex veterum vſu, adagium illud, per, *Porſennæ bona* (r.) poſſis reddere. Iam, qua ſunt, *Eſzterházíani* procuratores, prouidentia, diſſoluto ſenſim ære alieno, multos paſſim vicos, in iuſti hæredis potellatem, vendicant. *Feliciter!*

II.

OPPIDVM Ó-BARSCH.

Barſch, denominationem Comitatui dedit: vrbis prærogatiua, olim potiebatur:

IStud illud oppidum eſt, a quo, toti *Comitatui*, communicatum nomen diximus. Vrbem fuiſſe olim, & frequentem, & probe munitam, ſub exordia commentationis huius, meminimus, CAROLI I. decreto adducti. qui locum, diſerte *ciuitatem* vocauit, *Trentſchinio* copioſiorem, & opibus valentiorem. Nam, ita habet ſanctio: *Ciuitas Trentſchinienſis decem marcas; item, ciuitas Bách triginta quinque marcas; item Korpona ſimiliter triginta quinque marcas; item* ciuitas Barſienſis *quindecim marcas; & ciuitas de Topolchán, viginti marcas, modo prædicto, cambire*

r.) Vide, ERASMI Chiliadas, p. m. 80. & 447. LIVIVM, Libro II. c. 14. p. m. 104. edit. *Goſneriana* Lipſienſ. vbi, de Porſennæ bonis.

bire tenentur. Videre hinc eſt, quo loco, priſci reges, vrbem habuerint; meliore ſcilicet, quam *Trentſchinium* fuit. Reſpondebat cultui, opportunus, ponendis munitionibus, ſitus. Collino enim eſt poſitu, qui, cum a reliquis plagis adſurgit clementius, in ſeptentrionem & occidentem præceps abrumpitur. Circum, vaſta eſt planities, quam præterlabentis *Grani* eluuiones, ſæpe inacceſſam, imbres autem, etiam modici, impeditam cœno reddunt, difficulterque peruiam. Itaque, exiſtimauimus aliquando, *Grani* exundatione iſthic detenti, tota regione, commodiorem, excitando munimento, poſitionem, reperiri haud poſſe. quod, & *Granius*, leui opera, colli circumduceretur, & proſpectus late hinc in depreſſos campos pateret, eſſetque defenſandis montanis vrbibus, multo, quam, ſeu *Léva*, ſeu *Carpona*, aptior. Aduertere id, *Status* & *Ordines*. Proinde, cum alias, *tum anno* potiſſimum MDCVIII. muniendum ſtatuerunt *Barſchinum: Comitatus Barſchienſis*, inquiunt, (a.) *ædificet Barſch.* Sed, ad ruſticandum, rure eſt, quam pro ſoli vbertate, incommodiore, ob exundantis *Grani* damna. Is enim, vbi ripas ſupergreſſus eſt, cum agrum frumentarium, tum ſolum fere omne, obruit, atque ita oppidum circumcludit, vt ne armenta quidem habeant, quo paſſum depellantur. Sunt, qui putant, PTOLEMAEI *Λιμνίου*, ſeu *Vſcenum*, hic ſtetiſſe, quod is (b.) apud *Jazyges Metanaſtas* collocat. quos iam in re dubia, non moramur. Germani *Berſenburg*, Slani *Tekou* hodie vocant. Iam, ad eam exilitatem redactum oppidum eſt, vt ne vici quidem ſpeciem referat. Secedit *Léva* medio, in occidentem æſtiuum & aquilonem, milliari, paretque dominationi *Levenſi.*

eius ſitus, munitionibus idoneus:

ruſticationis incommoda eſt, ob Grani eluuiones:

an ſit Vſcenum veterum.

III.

OPPIDVM NAGY-SARLÓ. (c.)

RVſticanum eſt oppidum, Slauis, *Weliké Scharluby*, dictum. Quidquid opportunitatis habet, agro id conflat pingui, atque ſegetum amico. Itaque, non alia re magis diſtinentur incolæ, quam ruſticatione, fructuoſa ea, & niſi ob cæli iniurias, colonum fraudante. Adde, frequentes nundinas, quæ loco adferunt celebritatis quidpiam. Agi eas, *Dominica II. Epiphanias Domini; Sexageſimæ; Reminiſcere; Exaudi;* & die *S. Matthæo* feſta, accepimus. Eſt oppidum in ditione *Archiepiſcopi Strigonienſis*, duobus & medio milliari, in occiduum ſolem, *Léva* diiunctum.

Nagy-Sarló, ruſticanum oppidum:

eius mercatus:

eſt in ditione Archiepiſcopi Strigonienſis.

a.) MATTHIAE II. Decr. I. Articulo XV. fine.
b.) Geograph. Lib. III. Cap. VII.
c.) Eſtdunc caninam alii, l. in eius locum repoſito, dicuntque *Sallé*, quod monendum erat.

SECTIO II.
DE
Vicis Proceſſus Lévenſis.

AD regiunculæ, ex ſe fertilis, elegantiam pertinet, quod vicis frequentibus colatur. Duum hi ſunt generum. Alii enim arci *Lévenſi* adſcribuntur; alii poſſeſſoribus variis. Illos prius, hos poſtea luſtrabimus, in *Lévenſi* vicinia exorſuri.

1.) *Kis-Szetſe*, bis mille circiter paſſibus, *Léva* in meridiem, loco haud importuno, ſepoſitus. Cenſetur in eiusdem arcis ditione.

2.) *Nagy-Szetſe*, priori, & nomine adfinis & ſitu. *Magnum Szetſe* dixeris, forte, quod altero illo, colonis, agroque ſit copioſiore.

3.) *Nagyod*, vno, ab oppido, in occidentem milliari, ſubmotus. adtinet ad dominationem *Lévenſem* parte ſui media. Vltra eum,

4.) *Semlér* conſedit; vterque, ad ruſticandum commodo agro. Eſt in poteſtate *V. Capituli Strigonienſis.*

5.) *Óvár*, vocabulum, arcem veterem ſignificat: credo, quod munitionum quidpiam, aut ſtatiua militum habuerit aliquando. Recedit *Léva*, duobus, in occaſum, milliaribus. Poſſidetur a *Comite Oudaille.* Longius abeſt,

6.) *Szent-György*, ſeiungiturque ab oppido duobus, atque medio, milliari. Poſſeſſio vici, ad *Dominium Sallaienſe* adtinet.

7.) *Nagy-Saró*, in meridiem, eodem fere interuallo, reductus, & colonorum copia, & præſtantia agri, memorabilis. Eſt in poteſtate familiæ *Révay* & *Beniczky.* Profundius in meridiem

8.) *Szodó*, inſedit, mediocribus vicis adnumerandus, & a pluribus nobilibus poſſeſſus. Eodem tractu

9.) *Garam-Vezekény*, Grano amni, a quo & cognomen accepit, adpoſitus, idemque, illuſtribus familiis *Eſzterházy*, & *Amade*, adtributus.

10.) *Kis-Oroſzi*, pertinet ad *Abbatiam Lekéviénſem.*

11.) *Helyvén*, duobus *Léva* milliaribus, in occidentem ſepoſitus, agro fruitur, agricolationi haud inimico, eſtque in ditione *Sallaienſi.*

12.) *Lök*, vicus inſignis, cuius pars altera, ad dominationem *Lévenſem*, altera, ad *Comitem Oudaille*, pertinet.

13.) *Alsó-Várad*, priori haud deterior, oppignoratus. Eſt hæredium *Lévenſe.*

14.) *Uj-Barſch*, eximius vicus, aduerſa Grani ripa, oppido *Barſchenſi* obiacens, & *Léva* accenſus. colitur ab *Hungaris.*

15.) *Keleſen*, mille admodum paſſibus, in meridiem *Léva* ſeiunctus. Poſſidetur ab *Adamo Tapiay.*

16.) *Lodány*, recedit ab oppido, tribus fere in meridiem, milliaribus. Eſt in hæreditis *Léva.*

17.)

17.) *Keſzy* eadem plaga, eodemque interuallo, *Léva* diſcretus, eiusdem ſimul ditioni accenſus.

18.) *Podluzan*, ad bis mille paſſus, in occaſum ſepoſitus. *Lévenſe* hæredium.

19.) *Szolmos*, ad orientem vno, ab oppido, milliari, reductus, idemque, hæredibus *Gabrielis Koſztolány*, adſcriptus.

20.) *Nagy-Koſzmály*, ſecedit in aquilonem, horario interuallo, cognomento *magni* inſignitus, vt diſcriminaretur a minore *Koſzmály*, qui in poteſtate eſt gentis *Paluskianæ*, infra, in *Marothenſi* ditione memorandus.

21.) *Moby* pari intercapedine, ſed in occaſum ſecretus. Paret hæredibus *Nicolai Vaſi.*

22.) *Gyékényes*, duobus, & quod vltra eſt, milliaribus, in meridiem reiectus, idemque, per *Prouinciolatum Ordinis S. Paulli Eremitæ* poſſeſſus.

23.) *Kis-Saró*, inſignis omnino vicus, *Dominii Salloienſis.* Disiungitur *Léva* duobus, & quod excurrit, in meridiem, milliaribus.

24.) *Garam-Mikolya*, Cœnobii *Elefantenſis* hæredium, a *Grani* vicinitate, ſic dictum. Venerunt in eius poſſeſſionem Eremitæ, anno MDL. Ita habent eius ordinis annales, (*d.*) vbi Nicola cis Garan, dicitur: *Ianuario demum ſequenti, vrgente potiſſimum Ferdinando rege, poſſeſſio Nicolgran, Fratribus D. Iohannis Baptiſtæ de Elephant, per moderatores arcis Léuæ, ad requiſitionem Comitis Nicolai a Salmis & Archipræſulis Strigonienſis, adtribuitur.*

25.) *Zeléſz*, eſt in ditione *Comitum Eſzterházy* & *Baronum Amade*, receditque *Léva*, duobus, in occaſum ſolis, milliaribus. Habet templum, e ſecto lapide eductum, præcipuæ antiquitatis.

26.) *Damaſd*, Venerabilis *Capituli Strigonienſis*, haud inops hæredium, ab oppido, milliari ad occaſum, ſepoſitum.

27.) *Aghó*, ad eandem plagam, ſed geminata intercapedine retruſus. Eſt *C. Eſzterházy* & *B. Amade.*

28.) *Lekkér*, dos eſt Abbatiæ *S. Saluatoris*, quam iſthic priſci reges conſtituerunt. cuius ædem ſacram nuper inſtaurauit *Ioannes Okolitsány*, poſtea *Epiſcopus Váradienſis.* Secernitur *Léva* duobus, in ſolem occiduum, milliaribus.

29.) *Csatta*, poſſeſſio FF. Paullinorum Noſtrenſium.

30.) *Malyas*, inclytæ gentis *Ordodyorum* partim, partim *Baloghiorum* hæredium, duobus milliaribus *Léva*, occidentem verſus ſeiunctum.

31.) *Kis-Sarló*, oppido cognomini, collimitaneus, atque inter plures poſſeſſores diſpertitus.

32.) *Nagy-Endréd*, ad occaſum vergit, plurium poſſeſſio.

33.) *Alsó-Pél*, vicini poſitus, atque natalibus gentis, *Nagy de Pél*, memorandus. Poſſidetur a *Ioſepho Hunyadi.*

34.) *Felsó-Pél*, familiæ *Hunyadi* poſſeſſio, milliari ab oppido, in meridiem ſecedens.

35.)

d) Lib. II. Cap. XXXIX. p. 303. & Cap. XLIII. p. 321.

35.) *Nagy-Tüſé*, ſucceſſorum *Oudaille*, & *Mihályſiorum* vicus, in occidentem, gemino milliari ſubmotus.

36.) *Nagy-Kálna*, & agro & colonorum numero, inſignis. Eſt in *Hunyadiorum* ditione, qui heic templum, elegantis & ſolidi operis, erexerunt.

37.) *Kis-Kálna*, bipartito a *Kálnaiis* partim, partim a *Nagyiis de Pél*, poſſeſſus.

38.) *Marosſalva* itidem *Hunyadiana* poſſeſſio, *Léva* milliari, in meridiem, repoſita.

39.) *Ujfalu*, eiusdem tractus vicus, pluribus tamen heris accenſus.

40.) *Cſeikő*, vicus, ſi quis toto *Comitatu* alius, laudatiſſimi vini prouentu, celebris. Paret *Archiepiſcopo Strigonienſi*, ſeceditque, in aquilonem, vno, ab oppido *Lévenſi*, milliari; alias, ditioni *S. Crucis*, adſcriptus. Ager, qui eſt a cultu vineatico reſiduus, partim ſemente vber eſt, & pratis; partim ſiluoſis montibus, & ſi annus concordet, glandium feracibus, inſidetur. Opportuna in iis luſtra habent, varii copioſique generis feræ. Riuus, qui vicum interlabitur, quia ſicco diutius cælo, inareſcit penitus, aggere, in piſcinæ modum, collectus eſt, vt molæ frumentariæ ſufficiat.

41.) *Szőlős*, nomen, a cultu vineatico, qui & hic, optimi fructus eſt, indeptus. Itidem *Archiepiſcopo Strigonienſi*, atque ad dominationem *S. Crucis*, adſcriptus. eſtque priori vicinus, cum quo, ſiluas, prope *Granum*, communes habet. Amnis ipſe, gemina mola commode inſtructus eſt: tertiam, riuulus quidam tenuis, aquas vehens tepidiores, quam quæ gelu poſſint concreſcere, ſub vici Eccleſia verſat. Inſunt in vico *Prædiales Curiæ* aliquot, ab eodem genere nobilium cultæ.

42.) *Kis-Koſzmály*, gentis *Paluskyorum* poſſeſſio, dominationi *Maróthenſi* adſcripta, atque nobiliſſimi vini prouentu, in primis, commendanda.

43.) *Nagy-Györöd* poſſeſſio *Ioſephi Hunyadi*.

44.) *Kis-Györöd*, ſuppar priori vicus, quem *Comes Carolus Zichy*, & nobiles *Nagy de Pél*, poſſident. Vterque meridiem verſus, milliari *Leva* ſubmouetur.

45.) *Kis-Endréd*, variorum iuribus adſcriptus. Vicinus ei adſedit:

46.) *Dereslén*, familiæ *Litaſſy* milliari, in occidentem, ſecedens.

47.) *Bajka*, *Nagyiorum de Pél*, & aliorum.

48.) *Felső-Várad*, vicinus priori, *Kazyis* obnoxius.

49.) *Tolmacs*, *Capituli Strigonienſis* poſſeſſio, vico vtique exiguo.

50.) *Garam-Apáth*, ita cognominatus, quod *Grano* adſederit. Eſt in ditione eiusdem *Capituli*.

51.) *Kis-Töre*, familiæ *Simonyi* poſſeſſio.

52.) *Nyér*, adſcribitur ſucceſſoribus *Stephani Ebeczky*. De his hactenus.

MEM-

MEMBRVM III.

DE

Proceſſu Kis-Topolcsanenſi.

PROOEMIVM.



RA eſt, citeriori *Grani* latere, vſque ad fines *Nitrienſis* prouinciæ, decurrens, *Oſzlanenſi Proceſſu*, ab aquilone, *Verebelienſi* autem, a meridie, concluſa. Eius arces, & oppida, vicique, pluribus adſcripti dominationibus, more noſtro, & pro eo, ac decet, iam erunt deſignandi.

SECTIO I.

DE

Arcibus & Oppidis, Proceſſus Kis-Topolcsanenſis.

SYNOPSIS.

I. KIS-TOPOLCSÁN.
Oppidi nomen: ſitus & opportunitas: incolarum occupatio: diuerſa ea ſuit bellis Turcicis. §. I.
Munitiones oppidi, caſtellique: ſolo æquandas ſtatuunt Regni ordines: iterumque inſtaurandas. §. II.
Caſtelli moles, & ad habitandum commoditas: loci poſſeſſores. §. III.
Oppidi facies: nundinæ: incolæ Slaui: *prouinciæ comitia iſthic aguntur.* §. IV.

II. ARX HRVSSOW.
Arcis Hruſſowienſis *origines, fataque ignota: eius habitus, priſtinus, & hodiernus.* §. I.

III. FANVM S. BENEDICTI.
Cœnobii conditor: ſitus amœnus: ædes ſacra: archiuum: Cœnobium: ædificia reliqua. §. I.
Init olim, & Martis *domicilium:* Turcarum, & Tökölianorum *clades: caſtra* Suſæ, *& horum veſtigium: præſidiariorum excubiæ, atque virtus.* §. II.
Munitionum fani ratio: ſitus, ad defenſandum importunitas: ſpecula, mon-

tis cacumini impoſita. §. III.
Quomodo, in poteſtatem Capituli Strigonienſis, *venerit:* Tollii *relatio: laus hoſpitalitatis* Canonicorum. §. IV.
Habitus, & vici oppidi: incolarum labor: eorum aſperitas: Iudæorum *colonia hinc deiecta.* §. V.
IV. OPPIDVM ARANYOS-MARÓTH:
Maróthi *nomina: ſitus agricolationi idoneus: inſigne granarium: auctoris, de adſeruandis, eadem diligentia, frugibus, deſiderium.* §. I.
Herile prætorium, elegantер factum: mola frumentaria: cum opportunitatibus villicis: ciuium plerique opifices: oppidi mercatus. §. II.

I. KIS-TOPOLCSÁN.

§. I.

Oppidi nomen:

EOdem vocabulo, caſtellum, adſitumque ei oppidum, adpellamus, cognomento *parui* addito, vt a *Nagy-Topolcsáno*, (*a.*) diſcriminaretur. Quemadmodum enim illud, ob molem grandiorem, maius; ita, minus vocauerunt iſtud, quod, & incolarum, & numero ædium, eſt infrequentius. Hinc & Germanicum *Klein-Topoltſchan:* quin & Slauicum, *Malé Topoltſchany* (*b.*) manauit: quod vtrumque, eodem redit. Et eſt omnino oppidum, ſicuti non exile, ita, neque laxum nimis; fœcundo tamen, atque hilari ſitu. Nam, a tergo quidem, præcelſi montes, vtroque latere, colles inſederunt, agris frumentariis perculti. Quod a fronte, in meridiem, regionis ſupereſt, in valliculam abit, late exporrectam, & tumulis hinc atque illinc, ſed miteſcentibus illis, inſeſſam, amneque *Zitwa*, irriguam. Ex iſto poſitus ingenio, coniici poteſt, ſegeti cum in primis eſſe commodum. Occupatio *profecto incolarum*, tota fere agreſtis eſt, hic *Cereri*, *Baccho* alibi, dedita; ſed illi potiſſimum: eo quod viti, ex montium vicinitate, cælum obtigit auſterius. Egregio, ad augendam rem familiarem, compendio, plerique ciuium, opificia, cum agricolatione, hanc porro, cum arte inſitoria, coniungunt. Frumento enim partim, partim iumentis, quantumuis quæſticuli facere didicerunt. Cum res patriæ bellis *Turcicis* miſcerentur, ſequi militiam, & actis prædis, quam agricolatione, viuere malebant: quod malum, poſtquam LEOPOLDI M. felicitas, longe profligauit, ruri ſe totos dediderunt, & hi, quibus

ſitus & opportunitas:

incolarum occupatio:

diuerſa ea fuit bellis Turcicis.

raptas ad victum vertere prædas
Luſus erat.

§. II.

a.) Eius hiſtoriam, in Comitatu *Nitrienſi* dabimus, vbi & nominis etymon, excuſſum legas.

b.) Alii, diminutum, *Tomlſchánky*, & per pleonaſmum, *Malé Topolſcsánky*, malunt dicere.

§. II.

Munitiones oppidi, caſtellique:

QVia militare fuit oppidum, foſſa, aggere, vallisque, communiebatur: caſtellum in primis. Id demum, quia neque validum ſatis eſſet, neque pro eo, ac res trepida depoſcebat, cuſtodiretur, publico decreto, ſolo æquandum fuit. Iuuat, verba ſanctionis eius adſcripſiſſe: *Quia*, inquit, (*c.*) *in Comitatu Barſchienſi, eſt quoddam caſtellum, nobilium de Topolchán, Kis-Topolchán vocatum, & Turcis valde propinquum, quod negligenter admodum cuſtodiri dicitur, vtpote in quo, nec vlla gentes interteneantur, nec alia neceſſaria inſtrumenta, ad defenſionem pertinentia, habeantur; ſtatutum eſt, vt illud quoque per Comitatum diſtrahatur.* Ita tunc decreuerant ſtatus atque ordines. Sed, anno dein MDLXIX. muniendum ſtatuerunt, *Kis-Topolchánum.* Ita habet eius anni ſenatus conſultum: (*d.*) *Ad S. Benedictum*, & Kis-Topolſchán, *laborent coloni, ad hæc duo loca pertinentes:* id quod anno quoque MDLXXVIII. (*e.*) repetitum legas. Vnde adparet, non parſum modo fuiſſe caſtello, ob Turcarum tyrannidem, ſubinde ſerpentem latius; ſed communitum etiam eo firmius, quo magis rei publicæ intererat, præſidiis firmari limites, hoſtium impreſſionibus, expoſitos.

ſolo æquandus ſtatuunt regni ordines:

iterumque inſtaurandus.

§. III.

Caſtelli moles, & ad habitandum commoditas:

IPſa caſtelli moles, eximia eſt, opportuneque ſubſtructa. Nam, præter aggeres, pridem deteri coeptos, prætorium habet, multis, & commodis habitationibus, diſcretum. Apertus his amœnusque, partim in oppidum, partim in adſitum rus, & obiectos montes, collesque, proſpectus eſt. Sedet, *nimirum*, frequentiſſima oppidi regione, quam mediam vocant, ad duorum riuorum confluentem. quorum alterum *Leves*, alterum *Szkiczó Zſitva*, adpellant. Eductum eſt autem in quadrum, pro eius ingenio ætatis, non quidem ineleganter, ſed neque ſatis, ad noſtri *temporis habitum*. Circumeunt hypocauſta, aliis alia capaciora, vt poſſint omnino, non herum modo, cum familia; ſed numeroſiores etiam hoſpites, cum familiaribus, commode accipere habereque. Aditur, porta vnica, orienti obuerſa, quam turris, firmi quadratique operis, ſubtus transmittit. Huic cœnaculum inſtructum eſt, laxum id ſane, atque epulis frequentatum opiparis, dum ritu patrio viuebant *Hungari*. Area, quam intra prætorium habet, concamerato circumquaque ambitu, centum ſex & viginti paſſuum vulgarium, ſpatio definitur. Eius medio, puteus depreſſus eſt, vber ac perennis; ſed aquarum dulcium, ideoque, non tam infalubrium potatu, quam guſtu moleſtarum. Molem reliquam, facellum ornat, quod *Eliſabetha Bánffy*, vxor *Ladislai Rákó-*

c.) FERDINANDI I. Decreto XIX. Art. XXIX.
d.) Art. XIX.
e.) Artic. XXVII. adde, anni quoque MDCLIX. Art. CXXX. & Anni MDCLXXXI. Art. VII.

Rákóczii, B. V. Mariae, sua eductum impensa, consecrauerat, rotundo illi angulo, quod in occidentem vergit, inædificatum. *Rákóczius* itaque, & sua ista coniux, *Topoltsaniorum* opus, vetustate fatiscens, restaurauere; id quod, marmor rubrum, portæ inædificatum, loquitur, in hunc modum:

Castellvm hoc proprivm instavravit
Illvstrissimvs Comes Ladislavs Rákóczy de Felsö-Vadász,
cvm consorte sva carissima
Elisabetha Bánffy de Nagy-Mihály.
Anno MDCLXII.

Sed, vti est tempus edax rerum, *Rákócziana* hæ substructiones, passim vitium cœperunt facere, reddique, ad ruinam, proclives: vt necessum habuerit, *Comes Carolus Zichy*, ad quem hodie ditio tota pertinet, pro ea, qua est, elegantia, non tantum redintegrare molem veterem, sed reddere etiam, ex seculi more, augustiorem. Possessores varii fuere. Sanctio, quam supra recitauimus, *nobilium de Topolcbán*, meminit. Itaque, nobilibus primum viris paruit, quibus, simul cognomen tum communicauerat. His, siue emortuis, siue in gentem, nomenque aliud transeuntibus, simul dominos oppidum castellumque, permutauit. Venere enim in eius possessionem *Rákóczii*, *Erdödii*, *Zichii*, *Balassii*, Comites: quorum iura, nihil adtinet expromere. Istud palam est; *Paullum* quidem *Balassam*, nuptiarum lege, ad oppidi dominationem accessisse; quod *Adami Zichy* filiam, *Catharinam*, *Caroli*, quem laudauimus, sororem, in matrimonio haberet. qua, anno MDCCXXIX. e viuis excedente, morientibus item, quos ex ea susceperat, sexus vtriusque liberis, ad *Carolum Zichium*, ex pacto, loci, bonorumque possessio, rediit.

possessores loci.

§. IV.

Oppidi facies:

Ad faciem oppidi, quod adtinet, oblonga ea est, totaque, ita comparata, vt satis adpareat, non tam ad luxum, quam rusticationis opportunitatem, substructum id esse. Aedes sacra, medio oppido, consedit, loco, & laxo, & opportuno, nisi adlabentis riui eluuionibus, murorum fundamenta, contemerarentur. Vicina huic est *Parochi* domus, heri impensa, haud pridem, eleganter, atque ad habitandum commode, excitata. Inest oppido & *Xenodochium*, ab *Elisabetha Bánffy*, cuius meminimus, fundatum, ac locupletatum reditibus. Inter heriles opportunitates, piscina, laxa ea, & vario referta seminio; tum & hortus, pulchre consitus, referuntur; vtraque, inferiore oppidi parte posita. Aedium oppidanarum capita, habitaculis constant, diligentius hic, segnius alibi, factis. Quod inde procurrit, stabulis partim, partim horreis, instructum est: latiore area, vicinos a vicinis, interstinguente. Huc, quidquid habent, seu segetis, seu foeni, conuehunt incolæ,

colæ, alii aliis, pro agri portione, copiosius. Ceterum, inopes sunt multi incolarum. Meliuscule habent, qui rusticationi, artes alias adiungunt. Nam, ita situm est oppidum, vt, & agro sit præditum, ad agricolandum idoneo, & commoditatibus aliis, quibus rem sustentare familiarem, augereque possint ciues, si adsiduitatem, frugalitate tueantur. Isthuc, nundinæ loci faciunt, in annos singulos, vetere instituto, quater frequentatæ. Aguntur enim, *Epiphania Domini*; diebus *SS. Philippi & Iacobi*; *Iohannis Baptistæ*; atque *S. Catharinæ*. Alioquin, incolarum plerique omnes, *Slaui* sunt, idiomatis Hungarici non ignari. Dissidet oppidum, a *Fano S. Benedicti*, duobus, in aquilonem, milliaribus. Hic, & prouinciæ comitiola, congregationes vocant, adulto more, plerumque haberi accepimus. quod ad oppidi celebritatem pertinet.

nundinæ:

incolæ Slaui:

prouinciæ comitia ibi hic aguntur.

II.

Arx Hrvssow.

Gnotæ originis fatorumque (*f.*) castrum, insedit vni montium *Hrussouiensium* iugo, a quibus, aut accepit nomen, aut certe iis commodauit. Quod celso, præruptoque loco est, latissime, in occidentem & meridiem despicit, estque, ob saxa, & petras, impedito accessu. Proxima circum regio, siluis, & varie se miscentium iugorum implexu, asperatur. Portam, ab aquilone habet, cuius tamen pons, iniuria tempestatum solutus, superari amplius nequit, vt si arcem adire velis, celsior scala sit admouenda. In abside portæ, adhuc inscriptum legas: C. L. Rákóczy. 1662; vt proinde, eodem, quo castellum *Topolcsanense*, anno, arcem quoque oportuerit instaurari. Cingitur prealtis mœnibus, quæ turritis propugnaculis, maxime in meridiem, præfulciuntur. Intra hæc, prætorium est, difficilis, ob ruinas, accessus. Quæ insunt, hypocausta, fornices & cellaria, validissimarum licet fuerint concamerationum, rimas tamen agunt, ob ruinam tectorum. Puteo caruit, cuius inopiam, laxa profundaque cisterna, media area depressa, egregie pensabat. Alioquin, commune, *Topolcsanensis* ditionis non solum, sed adsitorum etiam vicorum, perfugium erat, cum res trepidæ imminebant: vt, vel ob hanc opportunitatem, dolenda sit arcis hæc, in quam præcipitauit, vastitas. Atque notantur omnino hodieque, cæci fornices, neque, nisi arcis præfectis, cogniti; in quos plebs, rebus dubiis, supellectilem familiarem, condebat. Cum facta esset, tabularium *Barschiensis Comitatus*, isthic adseruabatur. quod, fatiscente arce, in *Topolcsanense* castellum, inde, *Aranyos-Maróthum*, translatum est. Censetur, in eadem, cum *Kis-Topolcsáno*, ditione, dissidetque inde, mediocri, inter aquilonem & orientem, milliari.

Arcis Hrussouiensis origines, fataque ignota:

eius habitus, priscus, & hodiernus.

f.) Mentionem eius legas, in Sigismundi diplomate, quo gratiam offensarum promulgauit, in Decreto, p. 64. fine.

III.

Fanvm S. Benedicti.

§. I.

Cœnobii conditor:

S. Benedicti fanum, monumentum est pietatis Geysae I. (g.) qui id, a. MLXXV. constituta isthic *S. Benedicti* familia, liberaliter posuit, atque, *Conuentum S. Benedicti de iuxta Gron*, voluit adpellatum. Nam, ad arcis modum, in eleuatiori petrosaque *Grani* ripa, ad occidentem consedit, loco, vti amœno, ita, non satis idoneo ad defensandum. Amœno inquam, cum enim imminens *Grano* petra, tristem, primo obtutu, aditum præbeat, fauces has subeuntibus; reliqua inde vallis, aduerso amne, in septentrionem porrecta, mirificam habet voluptatem; non modo, quod irrigua sit perpetim; sed etiam, quod agris, pratisque, pro loci ingenio, excolatur. Moles, ædem sacram habet, *S. Benedicto* dedicatam, planeque ita factam, vti est ædes *Budensis*, *S. Stephani* nomine insignita; præterquam, quod huic gemina sit turris, non item *Budensi*. Augusta in ea sunt omnia, & sculpturis decora antiquis. Ad dextrum summi altaris latus, *Tabularium* est, prisca lege, cœnobio huic, tamquam *loco authentico*, creditum. *Archiuum* alias dicimus, in quo familiarum tabulae, & diplomata, magna cura, at fide maiore, custodiuntur. Sunt, qui non sine ratione existiment, monumentorum adparatum, qui isthic habetur, longe omnium esse instructissimum; eo quod, cum ab incendiis, tum rapinis, ad nostram vsque ætatem, integer perdurauit. Pone templum, cœnobium exædificatum, instructumque hypocaustis est, haud inelegantibus. Coluntur ea, a *Canonicis Strigonienſibus*, quos, *Conuentuales* sigillatim, vna omnes, *Conuentum* vocant. Qui rebus, cum dignitate præest, *Præfectus* dicitur: reliquis, *fratres*, ex more, sunt munia, cum sacris faciundis, tum curandæ etiam rei familiari, destinata. Aedificiorum residuum, fornicibus, valido concameratis opere, granariis, cellisque, absoluitur. In his, cum bellis *Turcicis* infesta fuit regio, & miles degebat, & commeatus necessarius adseruabatur.

situs amœnus:

ædes sacræ:

archiuum:

cœnobium:

ædificia reliqua.

§. II.

Fuit olim & Martis domicilium:

Enim vero, præter rem diuinam, *Martis* quoque domicilium fuit, fanum nostrum. Lubet, peregrinatoris Tollii (*h.*) loci hanc laudem expromsisse. *Est*, inquit, *hæc Abbatia, in colle modico, aduersus Turcarum præcipue vim, eximie munita, quos sæpe, ante & post, sed præcipue anno a N. C. MDCLXIV. ad triginta millia,* Ujvarino, siue Neüheüselia, Leventzio, & Nitria, *captis, fortiter*

g.) Ita Cardinalis Pazmany, ad Synodum Strigoniensem, Appendice II. p. 102. in *Strigon.* dicœcesi.

h.) Epistola Itineraria V. p. 194.

Turcarum & Tökölianorum clades:

ter præsidiarii reiecerant. Nec melior hoc bello Hvngarorvm *fortuna fuerat. Ili, cum, duce* Tökölio, *Vienna reuersi, portis successissent, rogati, vt acceptis vini panisque xeniis, abirent, cum spe prædæ, quæ hic plurima erat rusticanæ supellectilis, vim inferrent, simulato primum metu, mox ex improuiso dissolsis tormentis bombardisque, ita excepti sunt, vt intra quartam horæ partem, ducentis suorum desideratis, reliqui præcipites, per caput & pedes, in flumen agerentur, & ne exspectatis quidem cœnæ huius mensis secundis, quam ocyssime aufugerent.* De Tökölianis, non vna clade hic adflictis, res certa est. Sed, quæ de triginta Turcarum millibus reiectis narrat, quia in Svsae illam expeditionem inciduut, qua is *Lévam* recepit, videre, quid verum sit, oportet, atque, vti res fuit, edicere. Post *Zernoviczianam* pugnam, cuius supra meminimus, *Turcæ* profligati, iamque ex pugna reduces, *Regiomontum*, fœdissime euastarant. In itinere, valle hac descendentibus, *S. Benedicti* fanum obiiciebatur, quod non potuerunt non, rabidi, ex accepta clade, hostes, iteratis adsultibus, tentauisse; siue spe prædæ ducti; siue, vt castrum reuera sub potestatem mitterent. Tunc vero, octo admodum millium *Turcarum* fuit exercitus, mille plus minus, ad *Zernoviczium* deletis. Itaque, metu famam augente, tenuior ille exercitus, *triginta* fuisse *millium*, vulgo creditus est. Alioquin, eadem hac tempestate, sequutus hostem Svsa, castra hic communierat. Ita Wagnervs: (*i.*) *Impositis* (Lévæ, quam ceperat) *præsidiariis quadringentis*, Neühutho *præfecto*, *strenuo centurione*, *ad* S. Benedicti fanum, *copias reduxit.* Exstat hodieque castrorum vestigium, fossa, & agger, ab vno montium, sinistro illo, aduerso amne, ad *Granum* vsque protensus, & a cœnobio, ad grandioris tormenti iactum, in aquilonem submotus. Alioquin, in iis munimentis, connumeratum fuisse *S. Benedictum*, quæ arcendis, a montanis vrbibus, *Turcis*, acri tenebantur præsidio, ne Tollivs quidem, hac profectus, ignorabat. *Postquam*, inquit, *receptum cum* Nitria, Leventzium, *si quando a præsidio* Neüheüsseliano, *quod oppidum quinque tantum milliaribus, ab hac fano distat, vis fieret, tribus tormentorum bellicorum explosionibus*, Leventzium *præsidiarii signum dabant, qui duabus rursus respondebant, & mox equis consensis, Turcas inuadebant, ni se matura fuga periculo subducerent. Hoc, vna cum* Carponensi *præsidio, semper montanas fodinas, a* Tvrcarvm *inuasionibus, tutas præstitit.*

castra Suæ, & horum vestigium:

præsidiariorum excubia, atque virtus.

§. III.

Munitionum fundatio:

Itaque, ad eum modum muniri oportuit fanum, vt se non tutari modo; sed retundere etiam hostes, vim molientes, posset. Inter occidentem, & aquilonem, porta est, ponte versatili, & qui, pro re nata subduci queat, instructa. Hanc, turris præmunit validior, quam celsior, in cuius fastigio, ænea tympana, statis diei tempo-

i.) Historia Leopoldi M. Lib. II. p. 149.

temporibus, more reliquarum *Hungariæ* arcium, pulsantur. Inde, templi latus alterum init, e cæso lapide, coagmentatum, & columnis suffultum. Qua vallem prospicit moles, gemino propugnaculo, succingitur. Minus alterum est, ac fere in hypocausta distinctum; grandius alterum, idemque in orbem, firmo solidoque opere, subductum. Tormentorum hic sunt suggestus, vnde patens late vallis, & montis vtriusque dorsa, globorum iactibus, defensari possunt. Idem fere habitus est, earum quoque munitionum, quæ ad solem orientem & meridianum spectant, præterquam, quod cæ, recto latere, in montis cliuum, adsurgant, atque illic in nouum, sed exilius priori, propugnaculum desinant. Tergum arcis, vallo muro, fossaque, in petra excauata, præcingitur; situ tamen importuniore: quod mons, cuius lateri inædificatum est cœnobium, altius inde, atque ad eum modum surrigatur, vt castri interiora, lapidibus inde peti queant. Id, vt arceretur, neque temere munitiones, ab hoste subiri quirent, ante lustra aliquot, murum, toto cœnobio circumduxere, non eum quidem celsum, firmum tamen, neque inutiliter factum. In montis cacumine, specula fuit, ex qua, late, in regionem, patebat despectus. Perpetui, in ea, belli temporibus, excubatores vigiliæue, habebantur, quæ hostium impressiones obseruarent, admonerentque periculi, cum præsidiarios, tum vicos, varie, hinc atque illinc, sparsos. Sed *iam rudus & ipsa est*, quod alta pace, nihil opus est ea sollicitudine.

situs, ad defensandum importunitas:

specula montis cacumini imposita.

§. IV.

Quomodo, in potestatem Capituli Strigoniensis, *venerit?*

Diximus, *Benedictinorum* ordini, a Geysa I. cœnobium fuisse traditum; at enim, quomodo eorum ditione exemtum? *Benedictinos*, nempe, bella disiecere: in quorum locum *Strigoniense Capitulum*, anno MDLXV. successisse, Timon auctor est. Tollius, (*k.*) ex *Canonicorum* credo sermonibus, qui eum hic diuertentem, liberaliter acceperant, ea de re, ad hunc modum: *Hoc cœnobium, a Monachis desertum est, ob bella; postea Imperator, illud* Capitulo Strigoniensi, *quod Tyrnauiæ residet, donauerat. Id* Capitulum, *vt appellant, singulis biennis, huc mittit Canonicum, tamquam curatorem, & inspectorem prouentuum, qui, Prælati huius Abbatiæ, nomine gaudet, & salutatur.* Hæc ille. Sed, nos certiora dare cupieremus, & fide diplomatum confirmata; tametsi, curam eam, aliis, haud illubentes, permittamus. Iucunde vero Tollius, Canonicorum, qua perfruitus est, hospitalitatem descripsit. *Sequenti*, inquit, *die Dominico, quum Zernouicii pernoctassem, circa meridiem, ad* S. Benedicti Cœnobium, *deueni; quod explendi animi caussa, adeunti, obuius in porta fuit,* Reuerendissimus Dominus Emericus Pongrátzius, Dominus de S. Nicolao & Óvár, Archi-Diaconus Ecclesiæ Huntensis, Canonicus Strigoniensis, *& huius* S. Benedicti Abba-

Tollii relatio:

laus hospitalitatis Canonicorum.

k.) Vide Notas, ad Epistolam Itiner. V. num. 63. p. 235.

Abbatiæ ad Granum, Prælatus. *Is, comiter sane, quod proficiscendum sibi ad thermas esset, semet excusauit, quod non ipse me, pro mea, vt aiebat, dignitate, posset tractare: verum, sacellano suo, viro perquam officioso*, Antonio Lucæ Huslouichio, *huius rei curam demandauit. Cum* illustrissimum Abbatem (*l.*) *de* Abbatiæ *bibliotheca interrogarem, festiue respondit:* vnum se tantum habere codicem, per quam bonum, qui & me, sine dubio, sicut ceteros homines, delectaturus esset; *simul, in cellam vinariam, quæ in conspectu erat, digitum intendit. Hoc igitur codice, licet non manuscripto, hilare inter prandendum, vbi sumus, memores, inter pocula, tam benigni, facetique hospitis.* Habent omnino, propriam, *Conuentuales S. Benedicti*, laudem hospitalitatis, raroque accidit, vt peregrinos se inuisentes, quique alicuius *sint* dignitatis, impransos aut incœnatos, dimittant: prisco *Hungarorum* ritu, quem toties commendauimus.

§. V.

Habitus, & vici oppidi:

IAm, quod ad oppidum adtinet, vico id gemino constat. quorum alter, in eam vallem abit, qua *Granus* delabitur; alter, qua riuus huias deiicitur. Vterque, sub conspectu cœnobii est. Colitur, ædibus, e cemento quidem, sed fere agresti more, factis; si lautiores quosque excipias, exquisitius habitantes. Incolæ, agri- *incolarum labor:* colationi student, vnde etiam agrestis quidpiam moris, participant. In primis vero, cultu distinentur vineatico. Primus enim ager huias est, qui vitem, post asperos retro montes, benignius incipit alere. Tota ea montium regio, quæ occiduo partim, partim meridiano *soli*, mitescentibus iugis opponitur, vinetis culta est. De quorum fructu, id accepimus: bibi posse, singulari gustus adprobatione, si annuus sit; ætatem, quæ vltra processit, ægre ferre: quod, *in* eo soli cælique rigore, creditu facile est. Incolas ipsos, *eorum asperitas:* inhospitalitatis accusant multi: quod crimen minus iam obiectabunt, diuersorio educto, in quo, si quid tecum habeas, quod edas, sine sumtu possis hospitari. Mirum est nobis visum, in tanta herorum, erga peregrinos, benenolentia; esse posse in subditis, qui alio sint ingenio. Nuper, *Iudei*, habitatum isthuc confluxerant, iamque tabernis excitatis, gentis instituto, mercatus cœperant instituere. Ve- *Iudæorum colonia deiecta.* rum, quod propius, ad vrbes montanas, accesserunt, quam id lex permittat, amoti hinc sunt ante, quam potuissent radices egisse. Iam eorum domicilia, longo ordine substructa, opifices incolunt *Christiani.*

l.) Pongratzivm abiturientem, ita, ex sua opinione adpellat. Neque enim, quod sciamus, *Abbates*, sed *Præsidi* salutantur, qui isthic rebus præsunt: quod quidem nomen, & dignitatis est, & muneris.

IV.

Oppidvm Aranyos Maróth.

§. I.

Maróthi nomina:

Maróth, vetuſto iure, in oppidis cenſetur: cognomen autem *Aranyos* (*m.*) nuper accepit, quando, cum vniuerſa dominatione, illuſtris vir, *Georgius Paluska*, ſuis id iuribus, indulgente, rege, adſeruit: credo, vt diſcriminaretur ab aliis, eiusdem vocabuli, ſeu vicis, ſeu oppidis. Slaui *Moraueze* adpellant, forte quod colonia *Morauorum* fuit, quorum olim fines, ad amnem vsque *Nitriam*, protendebantur. Ita & Germani *Morawetz* dicunt. Sitſitus agricolationi idoneus: tum eſt loco, ad agricolandum, in primis idoneo; rure enim circumfunditur, cum omnis generis ſegetum, tum tritici, maxime feraci. Horreum bonorum *Paluskyanorum* diceres, ita hic blanda *Ceres* amat hoſpitari. Antequam in ditionem veniſſet *Paluskyanorum*; *Gymeſienſi* enim arci, antehac paruit; exile fuit admodum, habitaturque ruſticanis caſis. Iam, ſpeciem cultioris oppidi induit, ornatumque eſt, non vnis ædibus, etiam vrbibus idoneis. Gemino hæ, laxoque ordine, ab oriente æſtiuo, *in occaſum poſitæ* ſunt. Quod inter vtrumque ſpatii intereſt, forum occupat, *in* cuius medio granarium inſedit, molis non modo, ſed fabricæ etiam exquiſitæ. Quadrato id opere, ſed prorenſo longius, atque, *in* plures contignationes, eductum eſt. Imam partem, fornices occupant, mercatoribus accipiendis facti; mediam, & ſummam, concamerationes, frequentibus feneſtris inſtructæ, vt commode in iis frumentum condatur. Plane ex M. Terentii Varronis (*n.*) ſententia: *Triticum*, inquit, *condi oportet, in granaria ſublimia, quæ perflentur vento ab exortu, & ſeptentrionum regione, ad quæ nulla aura humida, e propinquis locis adſpiret.* Et, optandum ſane eſt, vt huiate exemplo, *plures* adducantur poſtea, ad fruges, eadem hac diligentia, conſeruandas. Nam quod tota fere *Hungaria*, Capadocum Thracumque ritu, ſub terris habere granaria malint villici; magna id ſæpe, cum frugum iactura accidit, dum, aut pluuialibus aquis, ſuffuſi, (*o.*) corrumpunt, quidquid ingeſtum eſt; aut ſubterraneis fœdisque (*p.*) halitibus, ita frumentum inficiunt, vt panis inde fiat, ſi non prorſus improbi, moleſti tamen ſaporis. Meminimus, præpoſtera hac, condendarum frugum, conſuetudine, annonæ aliquando caritatem patriæ inuectam fuiſſe. quod metuendum haud eſſet, ſi tutius reponeremus fruges; contra, ex facili foret, Persii illo præſcripto, viuere:

Iam nunc adſtringas, iam nunc granaria laxes.

cultus oppidi renaſcens:

inſignes granariumque:

auctoris, de adſeruandis, eadem diligentia frugibus, deſiderium.

m.) Id quod Hungaris *Aureum Maróth* ſignificat. Egregii ominis cognomen.

n.) De Re Ruſtica, Lib. I. Cap. LVII. p. 223. editionis Gesneri, forma quadripart. Lipſiæ A. MDCCXXXV.

o.) De Siris, legantur Scriptores ruſtici, Varro Lib. I. capite & p. nunc indicatis. Et Columella, Lib. I. Cap. VI. edit. laudatæ pag. 405. In Hungaria, familiariſſimum granarii hoc genus, ita fit. Locus deligitur, ſi fieri poſſit, elevatior, quique humo ſit ſolida, ac fere argillacea. In hanc, puteus deprimitur orbicularis, & qui, ſacco frumentario transmittendo, ſufficiat; altitudine pedum circiter quatuor. Tunc laxari puteus incipit, ad modum ventroſi vrcei cauatus, capacitate tanta, quantam ſibi villicus propoſuit. Antequam indatur frumentum, parietes, ſtramine conueſtiuntur, ad palmi craſſitiem, vt humum contingat trumeatum. Poſt, vbi plenus eſt ſirus, os *illud*, ſubdico fulcro ligneo, eadem qua egeſta eſt, terra, ſtudioſe obturatur, tum ad aperiendum, cum *ad vſum*, expromendum erit aliquid.

§. II.

Herile prætorium, elegantiæ factum:

Eo latere oppidi, quod aquiloni, granarioque obuerſum eſt, prætorium viſitur, decore non minus, quam ſolide, exædificatum. In ſuperiore ædium parte, herilia ſunt conclauia, omni eo adparatu inſtructa, qui eſt, ad commode, & cum elegantia habitandum, neceſſarius. Reliquum, partim bonorum procurator, partim familiares alii colunt. Meridionali oppidi regione, quaque apertum *rus init*, nouum ſubſtrui caſtellum conſpeximus; facileque erat, ex parietibus, qui tunc excitabantur, coniicere, molem fore, dum conſummabitur, haud alibi, iſta ora, obuiam. In oppoſitam plagam, villa ſecedit, recenti opere, atque ita exædificata, vt præter molam frumentariam, officinam ſimul *cereviſiarum*, *braxatorium* vulgo dicunt, habitationesque, longo ordine poſitas, habeat. Atque, hæc quidem herilia fuere ædificia, quæ, ſi incolæ, pro facultatum portione, ſicuti cœperunt, perrexerint æmulari, breui futurum ſperamus, vt oppidum vniuerſum, habitum induat, vrbiculæ haud abſimilem. Ciues, quos habet, plerique opifices ſunt, a loci domino, egregia prouidentia, iſthuc arceſſiti, vt inſuetas, hac ora, officinas inſtruerent. Itaque, eo iam, in lanificio cum primis, profecere, vt pannos texant, exoticis ſuppares, noſtris autem hominibus, multo etiam gratiores. Neque artes reliquas deſideres, cum ruſticationi neceſſarias, tum etiam elegantiæ. Ad quas res, hero non minus vtiles, quam regioni circumpoſitæ, mercatus accedunt, qui hic aguntur frequentius, puta: *Die Purificationis B. V. Mariæ; Die Martis poſt Dominicam Palmarum; S. Georgii; SS. Petri & Pauli; S. Michaelis; Omnium Sanctorum;* ac denique *S. Thomæ*. quos ſingulos, petuaria fora, ex more, præcedunt. Sedet oppidum medio fere, inter arcem *Gymes*, & *S. Benedictum*, itinere; reduciturque *Kis-Topolcsáno* modico, ad profluentem *Zitvam*, in meridianum ſolem, milliario. Suum fecit oppidum, cum admenſa dominatione, *Georgius Paluska*, multarum laudum vir, dum rebus humanis intereſſet.

moleſtramentaria, cum opportunitatibus villici:

SECTIO

p.) Tam hi ſunt noxii, non raro, vt, niſi, vno alterove die, aperti ſiri, exſiccent, conceptos iſtiusmodi halitus, immiſti, ad exhauriendum frumentum, ſine vitæ periculo, vix poſſit quisquam. quod nos triſte experimentum aliquando condocuit, dum puer, intempeſtiuius demiſſus, ante præfocatus eſt, quam haurirem, frumento admouiſſet.

SECTIO II.

DE

Vicis Proceſſus Kis-Topolcsanenſis.

VIci huiates, in tria *Dominia* diſpertiti ſunt hodie, poſteaquam *Maróthum*, peculiari iure, genti *Paluskyorum* adtributum eſt. Sunt enim, *Kis-Topolcsanenſe*; *S. Benedictenſe*; & *Aranyos-Maróthenſe*. quæ ſingula adibimus.

I.

Vici Dominii Kis-Topolcsanensis.

Szkiczow, in vltimum, dominationis *Kis-Topolcsanenſis*, aquilonem, retruſus, ea valle, cui *Léves* nomen eſt. Agros circum habet, poſitus collini. Hos montes obſident, calui partim & ſiticuloſi, partim opacis ſiluis conueſtiti. Itaque, lignationem habet inexhauſtam. In caluis illis, *Welky-Wrch*, quod magnum montem ſignificat, famam habet præcipuam, cum ob figuram *cenicam*, inquam celſus ſurrigitur, tum ob inſignem ſcaturiginem, quam orientali parte, vberem adeo fundit, vt, molæ vrgendæ, ſufficere poſſe videatur. Nempe, foramen eſt, duorum pedum ambitu, quod limpidiſſimum iuxta & ſaluberrimum laticem, ſuaui ſtrepitu, eructat: ſyringem diceres, nulli non arte facto anteponendum. Eſt & monti *Kruſſi* ſingularis ſcaturigo: quippe quæ, rigente bruma tepet; gelidiſſima contra eſt, cum ſunt feruidiſſimi Syri. Vterque fons, prona valle *Léves*, pone arcis *Hruſſow* radices, demanans, *in riuum*, haud inopem aquarum, coit, atque per *Topolcsan* prouolutus, ad oppidum, *Zſitwæ Szkiczovienſi*, coadunatur. Qua montes collesque ſubſidunt, valles ſe aperiunt, pratis irriguis herbidisque, niſi inundarentur ſæpius, amœnæ. Montium, quos diximus, ſaltuoſi receſſus, copioſas alunt feras; in quibus *carniuoræ* illæ, moleſtæ non raro ſunt incolis. qui *Slaui* hic ſunt, iique ſcrupuloſi agricolatores.

2.) *Fennyő-Koſztolány*, a ſilua abietina, cui vicinus adſedit partim, partim, vt diſcriminaretur, a vicis, eiusdem vocabuli, aliis, ſic cognominatus. Intra montes, iniquiore loco poſitus; agros certe, per collium latera ſuſpenſos habet, operoſæ ideo ruſticationis, neque tunc reſpondente colono, cum largiter, arationibus lætamen adſperſit. Intra montes, qui ad *Welikó-Pole* vergunt, turris, incognitæ ætatis, rudus viſitur, fabulis accolarum famoſum. quibus inde volunt fidem conciliare, quod nummos illic repererint veteres, qui parietinas ſcrutabantur. Vallis, quæ eadem ora, in occaſum procurrit, *Zſitwa* dicitur,

citur, riuum cognominem deuehens. Is demum, in molam deriuatus materiariam, verſus *Ebedecz* curſum tenet, & prope *Hizér* cum *Zſitwa Szkiczovienſi*, coadunatur.

3.) *Kis-Lehota*, montanæ, atque ideo poſitionis improbæ, vicus. Neque enim perpetuo ædium tractu, ſed diſſitis paſſim, tuguriis caſisque colitur. quarum propemodum ſingulæ, tantum habent admenſum agri, quantum tenuior ruſticationis modus requirit. Proinde, neceſſe eſt, late porrigi vicum, habitarique anfractuoſis ſitibus. quorum indolem, & ager ſequitur, aſper omnino, atque, ſine larga lætificatione, plane infœcundus. Ergo, cum re agraria nequeunt proficere coloni, ouilia curant, & caprarum greges, quos æſtiuis & hibernis ſtabulis, diligenter alunt, per opportuna montium. Ea cura, & victum ſibi parant, & veſtitum: ille enim caſeus eſt, & lac, cum crudum, tum in *Zincziczam* excoctum; iſte, lacerna vilis, e lana craſſiore, arte ruſtica, confecta. Sunt autem, & robuſti & viuaces adeo, vt non raro, ſæculum viuendo ſuperent. Id in moribus eorum ſingulare eſt, quod cum apud prætorem agreſtem, *iudicem* vocant, conſulendum aliquid in commune eſt, diſperſos longe lateque vicinos, non oſtiatim, quod fit alibi, ſed alta voce, cum boatu, conuocet prætoris vicarius. Collem is, reliquos altitudine præceſſentem, aſcendit, atque illic, tamdiu, vociferatur in omnes vici regiones, dum auditum ſe ab omnibus poſſit exiſtimare. Et ita omnino ſanxerunt inuicem, vt audito ſtentore illo, ad ædes prætoris, nil cunctantes, adcurrant. *Slauum* & hic genus regnat, ad montes, & ſalebroſa quæque loca habitanda, vnice factum.

4.) *Nagy-Lehota*, maiorem dicunt, vt a minore, quam nunc vidimus, *Lehota*, diſtinguerent. Secedit intra montium concaua, agro præditus collino, & ob ſituum hanc iniquitatem, effœto: quin & imbrium damnis obnoxio, qui vbi vehementiores deciderunt, exaratos agros, vna cum facta ſemente, profunde deluunt. Incolæ proinde, quia nequeunt agricolatione proficere, montanis vrbibus locant operas, referuntque ex iis ſudoribus lucelli quidpiam. Ex vici territorio, riuulus oritur *Wojſzniczky-Potok*, poſt prima capita, a quibus demanat, piſciculorum minutorum bene patiens. qui, vbi cum *Kis-Lehotenſi* altero, cui *Na Doline*, nomen, in vnum coiuit alueum, amniculum efficit, *Zſitwa-Koſztolanenſem*, qui inde, prope rudera turris, ad *Fennyö-Koſztolán* memoratæ, delapſus, trutis iam eſt hoſpitalis. Secedit, a *Kis-Lehota*, in meridiem, habetque ab *oriente*, *Ujbanyam*, vrbem metallicam, collimitaneam, in ſiluoſis montibus illis, quibus *Cſervená-Studna*, a ſcaturigine, rubram habente glaream, nomen tributum eſt. *Meridiem*, Ebedeczenſis; *occidentem*, *Fennyő-Koſztolanenſis*; *ſeptentrionem*, ager *Kis-Lehotenſis*, definiunt.

5.) *Kereſzt-Úr*, vicus eſt, arci *Hruſſow*, inter orientem & meridiem, ea in valle, ſubſitus, per quam *Zſitwa* amnis, collectis in ſe riuulis, delabitur. Ager frumentarius, egregie ſterilis, in occiden-

tem porrigitur; in orientem prata, commoda, & vberis fœniſecii futura, niſi ab eluuionibus infeſtarentur. Agger iſthic obſeruatur, ab vno collium, ad alterum, valido tramite, deductus, cuius obiectu, riuus hac interlabens, in piſcinam olim colligebatur, laxe diffuſam. Aedes ſacra, in memoriam *S. Crucis* dedicata, medio vici, ſitu paullo eleuatiore, inſedit. Incolæ, *Slaui* ſunt, gnauum, in ruſticando, genus, ſi reſponderet induſtriæ cæli ſolique aſperitas. Clauditur vici territorium, ab occidente quidem, *Hruſſovienſi*, vetitæ lignationis ſiſua, terreno item *Szkiczovienſium* montano ſaltuoſoque. Septentrionem, *Fennyó-Koſztolanenſe* collimitium, in ſiluis, *Peſtolnicze nad Mlinom*, pratisque *Lomatinyecz* vocatis, definit. Ab oriente, *Ebedeczenſibus* ſiluis, vſque ad *Cſelár*, & agris, quos *na Winiczno Pokogisko* dicunt, præcingitur. Meridiem denique, hinc poſſeſſio *Maholány*; illinc oppidum *Topolcsány*, deſignant.

6.) *Maholány*, orientalis *Topolcsáno*, vicus. Hinc prodiiſſe gentem cognominem, inde arguunt aliqui, quod hodieque ſuperent ex ea conſanguinitate, non plane nulli. Adhuc montoſo ſitu eſt, ex cuius ingenio, ager quoque, per colles montanaque, ſpargitur: agricolationis, oppido, difficilis, quam tamen ſcrupuloſe faciunt *Slaui* incolæ. Medium vicum, *Koſztolanenſis Zſitwa* intercurrit, quæ hinc prolapſa, ad *Hizér*, *Szkiczovienſem Zſitwam*, recipit, dum, ad vicum *Födémes*, pernicioſi amnis *Csétény*, illapſu, ad iuſti fluminis modum increſcat, poſteaque, quod ſupra in fluuiis diximus, ad *Zſitwa-Torokum*, Danubio intimetur. quas quidem *Zſitwæ* acceſſiones & decurſus notaſſe iuuat. *Circumſidetur* ager *Maholyanenſis*, ab oriente *Cſarádienſi*; a meridie, *Perlepenſi*, *Apathenſi*, & *Knyeſiczenſi*; ab occidente *Topolcsanenſi*, & *Kereſzturenſi*; denique ab aquilone *Ebedeczenſi*.

7.) *Knyeſicz*, vicus haud quidem incultus; ſed qui parte tantum altera, dominationi *Topolcsanenſi*, accenſetur. quod ab ea eſt reliquum, *Dioſſii*, aliique nobiles, poſſident. Terrenum vici, partim montibus ſaltuoſis, partim collibus horret, per quorum deuexa, agri ſunt frumentarii, ruſticationis duræ quidem; verum ob incolarum, qui ſunt *Topolcsáno* adſcripti, ſolertiam, haud infructuoſæ: nam, quæ nobilibus tenentur, negligentius habentur, colunturque, fere herilibus tantum operis ac villis. Rigat vicum memoratus toties *Zſitwa* amnis, trutarum iam, & cancrorum probi ſaporis, diues. Incingitur, ab oriente *Keletſenyenſium*; a meridie *Aranyos-Marothenſium*; ab occidente *Kis-Topolcſanenſium*; ſicuti a ſeptentrione *Apáthenſium* finibus.

8.) *Zawoda*, alias *Kis-Valkócz*, bihorii itinere, *Kis-Topolcsáno*, intra meridiem, & orientem, ſeiunctus. Subſedit amœnum collem, multaque arbore veſtitum; ad cuius pedem amniculus labitur, *Slauis* incolis, *Olichocsky-Potok*, dictus, varii generis piſciculorum, atque inprimis fœtura *lampertarum*, quas PLINIVS, Libro XXXII. Cap. VII. *occulatas* vocat, inſignis. Agro eſt, multo, quam erant antegreſſi, fertiliore:

tiliore: quippe qui, aperto ſitu procurrens, & arationes habet faciliores, & indendi lætaminis proniorem commoditatem. Id damnares, quod campo paſcuo, deſtituatur. quam ideo opportunitatem, in vicinorum aruis, pretio redimant, neceſſe eſt. Haud pridem, vitem ponere cœperunt incolæ, ea ruris portione, quæ, ſitu erectiore, meridici obiicitur. quæ res, quo ſit ſucceſſu itura, dies docebit. Prætor vici, non vti ſolemne eſt alibi, in annos, ſed in hebdomadas ſingulas, peculiari ac veteſto inſtituto, deligitur. vnde fit, vt vagabundum, hoc, quidquid eſt, muneris, in ipſa hac plebe ruſtica, iam pridem, vltra modum, euiluerit. Habet ab oriente, *Nagy-Valkócz*, quod & ab aquilone, ſitu viciniſſimo, prætenditur; a meridie *Nemſchitz*; ab occaſu *Wozokány*, ſeu *Nagy-Vezekény* & *Keletsény*, collimitaneos.

9.) *Kis-Györöd*, altius, & ad tria fere milliaria, intra orientem & meridiem, *Topolcsáno* recedit, media ſui parte, ditioni *Topolcsanenſi*, adſcriptus. Territorio gaudet collino eo, ſed, fertili, & cultus ſimul vineatici, patiente: quod *Hungari*, admixtis ſimul *Slauis*, excolunt. Adſident vico, ab oriente quidem *Uj-Barſch*; a meridie, *Nagy-Györöd*; ab occidente, *Patyi* prædium, & *Czifár*, inſignis vicus; qui ei, & a ſeptentrione ſimul, cum *Moby*, obſidet. Quod prope eſt ad pontem *Barſchienſem*, commeantis vltro citroque militis frequentia, multum, ex crebris hoſpitiis, hic, & adfines vici, detrimenti capiunt.

10.) *Malonya*, ſecedit *Topolcsáno*, in meridiem vltra milliaris ſpatium, ſedetque in *Zſitwæ* occidentali margine. Agro lætatur fertili, quodque poſitionis ſunt eleuatioris, ſecuro ab eluuionibus. quod aliter ſe habet in pratis: quippe quæ, *Zſitwa & Kocſinka*, confluentes, in huiate agro, fluuioli, non raro inundant, & fœniſecia corrumpunt; cetera, piſcium minutorum, & cancrorum, ſaporis eximii diuites. Pontem, quo amnium vterque conſtratus heic eſt, prouinciales magiſtratus curant; eo quod regiam transmittat, *Nitriam* ducentem. Herilis mola, vico proxima, villa item ruſtica & fructuaria, egregiorum ſunt redituum. Quia dumetis, & id genus opacis lucis, ager vici paſſim infeſſus eſt, locum facit, & aucupiis, & venationi: niſi hanc luporum, illud *dendrofalconum*, miluorumque frequentia, imminueret. Obſidetur vicus, ab ortu, *Nagy-Vezekényo*, & *Kis-Vezekényo*; a meridie, *Kis-Faludo*; ab occaſu, *Nagy-Hereſtényo*; denique ab aquilone, *Hecſe*, & *Teſſavo*, vicis.

11) *Zſikawa*, inſedit ſub montibus, qui *Topolcsáno* ad ſolis occaſum obiacent, poſitu haud ſane iniquo. Ager ei, frequentibus riuulis, quos montes proximi, & perennes, & vberes demittunt, irriguus eſt: qui poſteaquam ſupra vicum, in vnum alueum coiuere, medium eum intercurrunt. E vico, vbi molam frumentariam, ad incolas ipſos adtinentem, rotauerat, egreſſus, agrum bipartito ſecat, dum ad vicinos exeat: cancrorum, ſi quis alius, ferax. Coloni, laudem habent, eximiæ in agricolando, induſtriæ. Circumcingitur, ab oricente

ente & meridie, rure *Kis-Topolcsanenſi*; *Geſzticenſi*, ab occidente; ſed a ſeptentrione *Krncsa*, *Nouejſza*, *Geſtowecz*, *Kolos*, & *Szkleczow*, vicis definitur.

12.) *Lócz*, priori propemodum ſimilis, ſed agris non æque ruſtico benignis. Hæreſcit, vallis lateri, habetque vberem adeo ſaturiginem, vt non incolis tantum, ſed pecudi etiam adaquandæ ſufficiat, poſteaque in riuum collecta, in proximum torrentem incurrat. Terminatur *Zſikawa* ab oriente; *Geſztowecz*, a meridie; ab occidente *Kraſin* & *Zſerensk*; denique ab aquilone, *Geſztowecznenſi* partim, partim *Noueiſzenſi* & *Zlathoienſi* agro. Iter hac, ad *Szolcsán*, arduum illud & montibus impeditum, deducit. Reliqui dominationis vici, puta:

13.) *Szolcsány*,

14.) *Kraſznó*, & prædium *Hornyán*, in *Comitatu* ſunt *Nitrienſi*, vbi eorum, inter vicos *Proceſſus Bajmoczenſis*, numero VII. & XIII. recurret mentio. Atque hæc de *Kis-Topolcsanenſi* dominatione, dicenda erant.

II.
Vici Dominii S. Benedicti.

Zeleptsén, aquilonaris, *S. Benedicto*, vicus, a quo ſeſqui milliari ſubmouetur.

2.) *Teſzár*, eadem ora poſitus, priorique ſuppar.

3.) *Ebedécz*, altius, in ſeptentrionem retruſus.

4. *Nagy-Vezekény*, in occidentem, duobus milliaribus ſepoſitus, agro vbere, frequentibusque colonis.

5.) *Rohoczniczka*, propius, eadem plaga, ad *S. Benedictum* accedit.

6.) *Valkócz*, priori vicinus, & frumenti ferax.

7.) *Kovácſy*, Slauis *Kozárowcze*, eximius vicus, & cum incolarum frequentia, tum agri præſtantia, in primis memorandus. Inſedit viam regiam, medio in occidentem milliari, vltra eum montem, *S. Benedicti*, cuius lateri cœnobium inſedit, ſecretus.

8.) *Nemcsén*, ſitus collini, ſed opportuni ad agricolandum. Poſſidetur, partim a *Capitulo Strigonienſi*, partim a nobilibus quibusdam.

9.) *Kis-Apáthi*, &

10.) *Peſzſzér*, in ſeptentrionem abeunt, ſuntque propinquo ſitu. Vicorum reliqui in *Comitatu Hontenſi*, occurrent.

III.
Vici Dominii Aranyos-Maróthensis.

Iſſalu, ſeiungitur ab oppido, modico, ad ſolem meridianum, milliario, eſtque ſitu ſegetibus amico. Habet vineas, & vberes, & fructus haud ſpernendi.

2.) *Cſarád*, ad orientem, eo itinere, quod ad fanum

fanum *S. Benedicti* ducit, milliari ſepoſitus, agroque ſegetum feraci partim, partim montibus ſiluoſis circumfuſus.

3.) *Geſztócz*, ad occidentalem plagam, medio ab oppido milliari ſeiunctus.

4.) *Fekete-Kelecsen*, in meridiem, ad duo fere paſſuum millia repreſſus, agrum inſedit fœcundum, & nemoribus interſtinctum.

5.) *Hecse*, ad ſolem occiduum reductus, colonoque perquam idoneus.

6.) *Hezér*, vicinus, ad oppidum adſedit, ideoque, agro eodem, quo eſt oppidum, præditus.

7.) *Szent-Márton*, bis mille circiter paſſus, aquilonem verſus, reductus, idemque agricolationi opportunus.

8.) *Nagy-Manya*, cum prædio *Gödör*, multæ ad ruſticandum opportunitatis. Diſſidet *Maróthо*, milliaribus duobus, vno *Verebélyo*, habetque pontem *Zitvæ* impoſitum, quem herus vici inſtruit, ideoque ius telonii, regis indulgentia, conceſſum habet. Iam, Iosepho Koller, Cæſaris, Regisque in Aulica Hungariae Cancellaria, conſiliario, iure hæreditario paret, in titulis ſimul eius relatus, vt de *Nagy-Manya* dicatur.

9.) *Szencse*, profundius in meridiem, & ad bis mille circiter paſſus, vltra *Nagy-Manyam*, ſepoſitus, nullo non beneficio, quod eſt ad agricolandum neceſſarium, præditus. Eiusdem heri vicus.

10.) *Kis-Koſzmály*, ſeſqui milliario, ab oppido *Maróth* ſeiunctus, *Granoque* adpoſitus. Pollet feraci ſegetum agro, ac pratis, ſed quæ exundans, non raro, amnis, corrumpit. Vinearum, quas habet, laus eſt præcipua; vini autem tota hac ora, ingens adprobatio; ita, & ſalubritatis eximiæ eſt, & ſubacti guſtus, dum annus fauit fructui.

11.) *Nagy-Koſzmály*, aduerſo *Grani* margine, *Szőlőſiö*, Archiepiſcopali vico, limitaneus, priori, naturæ beneficiorum egentior: nam & vitis inops eſt, & quem habet agrum frumentarium, prataque, eluuionibus *Grani* ſunt infeſta.

Vici reliqui, eidem huic ditioni accenſi, *Nagy-Hind*, *Nagy-Kaláſz* & *Babindál*, in Comitatu Nitrienſi ſunt, illic memorandi.

IV.
Vici Variorvm.

Imethi, haud infrequens vicus, iuribus *Archi-Epiſcopi Strigonienſis*, adſcriptus, & dominationi *S. Crucis*, accenſus. Territorio eſt, collino partim, partim montoſo. Fauet ager, & *Baccho*, & *Cereri*: niſi vineas vrſi ante deprædarentur, quam vindemia poteſt cogi. Illabuntur hi, ex monte, cui

Kis-Inowetz, nomen eſt. Iſthinc amnis *S. Benedicti*, collectis, hinc illincue riuis, deſicitur.

2.) *Mankócz*, poſſeſſio cœnobii *Elephantenſis*, egregii reditus; cuius quidem partem alteram, *Petrus I. Forgách*, ſolemni *faſſione*, quam inter adparatus habemus; alteram *Felicianus*, & frater ſuus *Albertus Forgách de Gymes*, ad altare *SS. Trinitatis*, tanquam futurum, ſepulturæ ſuæ locum, perenni iure, cœnobio illi donauerunt. Iſta, ex monumentis genealogicis vetuſtiſſimæ *Forgáchiorum* familiæ adſcripſiſſe placuit. Ceterum, *Albertus Forgách* A. MCCCCXCVI. *Felicianus* autem A. MDIII. improles obiere, conditique ſunt, ad idem *Altare S. Trinitatis*, quod altera vici *Mankócz* parte dotauerant. Adde his, (*a.*) ANNALES Eremitarum, vbi donationis huius hiſtoriam legas, non ſine laudibus *Petri*, deſcriptam, ex diplomate SIGISMVNDI Regis. quod is *Petro* A. MCCCC. *Szakolczæ, die B. Nicolai Epiſcopi*, indulſerat, cuiusque nos fragmentum, in arcis *Gymes* hiſtoria, exhibebimus.

3.) *Veres-vár*, paret *Franciſco Beliczaj* & *Paullo Bacskády*.

4.) *Weleſicz*, itidem *Forgáchiorum* hæredium, quod iam *Paullus* iunior poſſidet.

5.) *Gymes-Koſztolán*, priori vicinus, quem hodieque *Forgáchii* tenent.

6.) *Belad*, eſt in poteſtate variorum, vicus haud omnino inique poſitus.

7.) *Kis-Hereſtyén*, priori, & ſitu adfinis, & agri ingenio, paretque diuerſis nobilibus.

8.) *Nagy-Hereſtyén*, ſeiungitur *Maróthо*, duobus in occidentem milliaribus. Poſſidetur a ſucceſſoribus *Ladislai Malyonyai*.

9.) *Kis-Szelesén Adami Tajnay*.

10.) *Nagy-Szelesén*, vicus, oppido eximius; ſed quod ius hæreditarium, ex æquo, ſexus eſt vtriuſque, inter plures heros diſpertitus. Habet *Locum Articularem* Auguſtanæ Confeſſioni addictorum.

11.) *Kis-Vezekény* itidem, a *Paullo Bacskády* & aliis nobilibus varie poſſeſſus. Accedit *Maróthо*, vno, in occidentem, milliari.

12.) *Néved*, tenetur a pluribus heris, quorum plerique, vxorum ſe iuribus tuentur. Nam & hic ſexus vtriuſque hæreditas eſt. Sunt autem in poſſeſſoribus, præter *Ladislai Petény* viduum, *Comes Oudaille*, & *Stephanus Tapjay*.

13.) *Perlep*, modico, in orientem, milliari, ab oppido *Maróth* ſubmotus, in plurium eſt poteſtate: quippe ſexui etiam femineo obſtrictus.

14.) *Zlatno*, pariter, iisdemque iuribus, inter plures poſſeſſores diuiſus. Recedit *Maróthо*, vno, verſus occidentem, milliari.

15.) *Kis-Faiud*, nomen ipſum, tenuem vicum ſignificat; ſed qui tamen, haud inique conſedit. Eſt gentis *Radvanſzkyanæ*.

Hactenus *Proceſſus Kis-Topolcsanenſis* fuit.

MEM-

a.) Lib. II. Cap. XVII. p. 186.

MEMBRVM IV.
DE
Proceſſu, & Sede Verebélyienſi.

PROOEMIVM.

DUplici nomine, oram hanc, inſigniuimus; *Proceſſus* altero; *Sedis* altero. quod vtrumque, cum ratione, expromendum eſt. Nimirum, *Sedes Verebélyienſis*, Hungarice *Verebélyi-Szék*, adpellatur, ob peculiaria, *Archi-Epiſcopi Strigonienſis*, & *Nobilium*, quos vocant, *Prædialiſtarum*, iura, quæ hic obtinent. Vetere enim inſtituto, ea, in ſede hac, præſulis auctoritas eſt, quæ alias regum eſſe conſueuit. Non modo enim ſummus *Nobilium Prædialiſtarum* (*a.*) magiſtratus eſt; ſed bona etiam, deficientibus familiis, pro eo, ac lubet conferre, perenni iure poteſt. Quin, ad totius regni ſimilitudinem, peculiaris *Sedi Palatinus* eſt, atque minutiores magiſtratus alii. Hi demum, ſi quid occurrat litis, dirimunt, & rem publicam, ex communium legum præſcripto, adminiſtrant. Itaque, nihil Comitatui, in *Prædialiſtas* iſtos, *iuris eſt*. Hanc vero illi prærogatiuam, bellica olim virtute meriti ſunt, tenebanturque ſuis ſtipendiis, quoties res poſcebat, ſub *Archiepiſcopi* ſignis militare. Perſcripta hæc eorum iura ſunt, publico, anni MDLXVII. (*b.*) decreto. *Statutum eſt*, inquit, *ex clementi annuentia Maieſtatis ſuæ, vt Prædiales quarumcunque eccleſiarum, qui in Hungaria & Sclavonia, iisdem fere prærogatiuis, ſemper vſi ſunt, quibus alii poſſeſſionati nobiles, & quorum homagia & iuramenta, æqualiter ſemper cum aliis nobilibus fuerunt æſtimata,*

a.) Egimus de iisdem hiſce *Prædialiſtarum*, & originibus, & prærogatiuis, in Comitatu Poſoniensi, ad *ſedem Pajkenſem*. Operis Tomo II. p. 284. ſequ. vbi, citata, ad notam §. III. b., ſic emenda: anno MDXLVII. Art. XXVI.

b.) Artic. XIV. Colligas ex hoc Articulo, & *Prælatis* aliis ſuos fuiſſe *Prædialiſtas*. quod ad *Abbatiam Székſzárdenſem* ſuo loco adnotabimus.

non dicentur : potiſſimum, quando cum iis Dominis Prælatis, & Baronibus, in quorum bonis reſident, perſonaliter, ſineque ſumtibus, ſimili cum aliis nobilibus onere, exercituare teneantur. Sed, multum, ex ea prærogatiua, detractum eſt, cum Anno MDCXLVII. (c.) iidem *Prædialiſtæ*, in cenſum redacti ſunt. non id quidem nouo prorſus inſtituto ; iam tum enim anno MDXCIX. idem legas decretum ; *(d.)* ſed vero, ad eum modum, vt a ſuis ipſorum magiſtratibus *taxarentur*: *Prædiales Domini Archiepiſcopi Strigonienſis, taxabunt Palatini & Vice-Comites eorundem Prædialium, in quantum non ſunt armales, aut alibi ſeſſionati nobiles non fuerint.*

Cui quidem legi, *Prædialiſtarum Verebélienſium*, querelæ, quas anno ſuperiore, regi detulerant, occaſionem præbuiſſe, cenſendæ ſunt. Didicimus id ex WLADISLAI tabulis, quibus diploma SIGISMVNDI, Verebélienſibus datum, anno MDXLVIII. Budæ recognouit, ratumque habuit. Iam tum, nimirum, SIGISMVNDO rerum potiente, fuere, qui iura *exercituantium* Verebélienſium, audebant contemerare. a quorum iniuriis, vti, non tutos modo præſtaret, ſed adfirmaret etiam priſcorum regum, de libertate eorum editas ſanctiones, vrgente momentoſam adeo rem, JOANNE II. de Kaniſa, Archiepiſcopo Strigonienſi ; diploma id perſcribendum ſtatuit. *Volentes*, inquit, *Eccleſiaſticas immunitates, ex debito noſtri officii manutenere, de cetero inuiolabiliter, ab omnibus obſeruandum decreuimus ; vt præfati nobiles vniuerſi dicti Archiepiſcopatus, in dicto Comitatu Nitrienſi commorantes, ſemper, vt antea, iuxta antelatam ipſorum antiquam prærogatiuam ; ſeu iuramentis deponendis, homagiis emendandis & repetendis, ceterisque proceſſibus, atteſtationibus, affirmationibus, faſſionibus, & cauſationibus, in iudicio, & extra, per omnia, eodem modo & iure, quo veri nobiles regni, ac-*

c.) Articulo XXVI.
d.) Articulo VIII.

ceptentur & reputentur ; eorumque iuramenta, teſtimonia & homagia, cum illis vero titulo nobilitatis inſignitis, æquale pondus ſortiantur. Ad tributarias vero ſolutiones, ad quas veri nobiles non tenentur, nullatenus exiſtant peramplius obligati, nec ad ipſa ſoluenda, per quempiam compellantur, eorum antiqua libertate prænotata, ſimiliter exigente. Quocirca, vobis fidelibus noſtris, reliqua. *Datum Poſonii in feſto B. Dionyſii Martyris, anno Domini, milleſimo quadringenteſimo vndecimo.*

Fas erat exiſtimare, ceſſaturas *Verebélyienſium*, quibus cum conflictabantur, iniurias ; maxime, quod WLADISLAVS, inſtaurandam eorundem libertatem, recognito SIGISMVNDI hoc diplomate, ſtatuerat ; at enim vero, ea, reliquæ nobilitatis, aduerſum *Prædialiſtas* fuit commotio, vt ne tunc quidem ceſſarint adflictare vtile reipublicæ hominum genus, cum bella ex bellis ſererent *Turcæ*. Ergo, nouis, rerum ſuarum calamitatibus, nouæ parandæ fuerunt medelæ. Euenit hoc, anno MDXLIII. cum pro-Palatini munere, *Franciſcus de Réva*, fungeretur. Huic enim, tabulas *Sigismundi*, a WLADISLAO confirmatas, obtulere iterum, vti moleſtiis ſuis, quas ſubinde cumulabant prouinciales, modum poneret, ſeque, pro ea, qua pollebat, auctoritate, tutos præſtaret, recenſitisque, optimorum regum tabulis, caueret apud poſteritatem, ne iuribus ſuis porro fraudarentur. Atque, ſuſtentauit omnino *Révaius*, cum vniuerſo Prælatorum, Baronum & Nobilium, quod tunc Piſonii coegerat, concilio *Prædialiſtarum* cauſſam ; perſcriptumque eſt ab eo *Transſumtum*, vtriuſque, SIGISMVNDI & WLADISLAI, diplomatum, anno MDXLIII. feria proxima poſt Dominicam *Judica* in *Octaualibus iudiciis*, Poſonii celebratis, vt ſarta tectaque, iterum ac tertio, libertas *Verebélyienſium*, adſtrueretur.

Sed, quemadmodum ſunt hominum ingenia, vt eo fortius nitantur in vetitum, quo validioribus

auctoramentis, reprehendi, & ad ius æquumque reduci deberent; non ceſſauere mala *Verebélienſium*; dum a CAROLO III. anno MDCCXII. tertio menſis *Martii*, editis, ad ſeptem Comitatus, tabulis, retunderentur. Longum foret, grauiſſimas litteras, & plenas, iuſtiſſimæ, in *Verebélienſes*, benignitatis, expromere. Id certum eſt, laborantibus *Prædialiſtarum* rebus, nihil, eo edicto, accidere potuiſſe, opportunius; ſiue CHRISTIANI AVGVSTI, *Cardinalis de Saxonia*, præſulis tum Strigonienſis, in adſerenda eorum prærogatiua, vigilantiam; ſiue, noui regis clementiam, ſpectes, ante præſtitam quiritantibus, quam diademate Hungarico, redimiretur. Quæ demum res, publicis comitiis, agitari cœpta, interceſſionc, *proteſtationem* vocant, eiusdem *Cardinalis de Saxonia*, conſopita, ſuaque, *Verebélienſibus* adſerta eſt libertas. quam eis perpetuam intemeratamque ex animo precamur.

Quod, a *Verebélienſibus*, reliquum per prouinciam, ſeu nobilium, ſeu plebis eſt ruſticanæ, id, ad *Comitatus* iura pertinet, & *Proceſſus Verebélyienſis* nomine cenſetur. Vnicum hic oppidum, cum dominio; vici plures, occurrunt, varie poſſeſſi.

I.

DE

OPPIDO VEREBÉLY, EIVSQVE DOMINIO.

Erebély, Slauis *Wráble*, militare olim oppidum, valido aggere, foſſis, vallisque communiebatur. Quadratum opus fuiſſe, (*e.*) cuius angulos, vaſta committebant propugnacula, ex detritis ruderibus, quæ aliquando ſpectauimus, coniiciebamus. Et erat profecto, eximio, ad defenſandum, poſitu. Laxa enim amœnaque valle, ad *Zſitvam* exædificatum fuit, cuius aquis munitionum foſſæ, ſubluebantur. Illud damnoſum putaris, quod ædes oppidi, ex materia eductæ omnes, & partim arundine, partim ſtramine contectæ, flammis concipiendis, alen-

e.) Icona eius, apud ORTELIVM, Parte II. videas, quo fuerit anno MDCLXV. habitu.

alendisque idoneæ fuerint. Itaque, ne hoſtis, ſiue clam, ſiue palam, ignem tectis poſſet iniicere, extra interiores eas munitiones, amplo, circunquaque ambitu, palis, denſo ordine defixis, incingebatur. quæ intercapedo, atrium quaſi oppidi fuit, quorſum hoſte ingruente, homines, armentaque, ex agro refugerent. Sed, quando inerme oppidum, operibus militaribus incingi, communirique cœperit, dictu eſt difficile. Si ex publicis ſanctionibus, quæ curam muniendarum arcium, adulto illo more, inter *Comitatus* diſpertiuntur, argumentum capere oporteat, *Bethlenianis* tumultibus, opus cœpiſſe oportuit. Anno enim MDCXXV. primam *Verebélyi* mentionem reperio: (*f.*) *Proceſſus*, inquit, *Záhora in Comitatu Trenſchinienſi, ad præſidium Verebély, eſt deputatus.* Quæ poſtea ſanctio, ſingulis propemodum comitiis (*g.*) confirmabatur. Miles certe præſidiarius, qui iſthic aduerſus Turcarum impreſſionem excubabat, acris erat, & crebris, cum hoſte, congreſſibus, laudatiſſimus. Inerant vero, tercenti equites, neque pauciores, qui pedibus ſtipendia merebantur. Horum numerus, prout res belli poſcebat, nunc augebatur, nunc diminuebatur iterum. Sui illis præfecti fuere, quos *Capitaneos* vocant: quo quidem munere, fortiſſimos quoſque viros, perfunctos fuiſſe, in eorum temporum commentariis, reperimus. In his *Nicolaus Nadány* (*h.*) fuit, vir, & manu fortis, & promtus conſilio, poſt deditum ABBAFFIO. *Neográdum*, iſthuc delatus. Ceteroquin, quæ oppidi fortuna fuerit, colligi inde poteſt, quod ſemel iterumque, fruſtra tentatum a *Turcis* fuit. Ceſſit eorum furori, cum anno MDCLXIII. *Ujvarino, Nitria, Lévâque* interceptis, late graſſabantur. Præſidiarii enim, viribus diffiſi, retractis clam tormenis, inane reliquerant oppidum. Adfuere mox inſanientes *Turcæ*, qui æquatis ſolo mœnibus, ædium materiam, *Ujvarinum* deuexerunt, vt eius loci ruinas, ex nupera, acceptas, obſidione, quam ocyſſime repararent. At ſimul, *Nitriam, Lévam*que, *Suſa* recuperauit, renaſci *Verebélyium* occepit, tenebaturque præſidio, dum *Ujvarino* Turca depelleretur. Poſtea, hoſte ex vicinitate, quin *Buda* etiam, & reliqua regione, deiecto, ceſſauerunt *Verebélyienſium* excubiæ, atque munitionibus deiectis, iterum inerme factum eſt oppidum. Hodie frequentibus incolis habitatur, vixque habet, quod ex priſtino flore oſtentet, præter qualemcunque rerum, a præſidiariis geſtarum, memoriam. Protenditur oppidum a ſeptentrione in meridiem, inſtructumque eſt domibus, ritu factis agreſti, ſed ruſticationi commodo. Itaque, *Marte* profligato, *Cereris* iam eſt horreum. Commoditatibus oppidi accenſueris, mercatus annuos, qui hic *Dominica Sexageſimæ; die Viridium; Miſericordias Domini;* atque *die S. Catharinæ* feſto, qualicunque celebritate, agun-

f.) Articulo XIX.
g.) Vide Anni MDCXXXV. Artic. XCII. Anni MDCXLVII. Artic. CLII. Anni MDCLXXXI. Art. VII.

h.) Imaginem eius æri inciſam, videſis, apud laudatum ORTELIVM, in iconibus, illius ætatis celebrium virorum, Tab. XII. num. V.

aguntur. Iam, & diuerſorium ſeptentrionali oppidi angulo, poſitum habet, eo maiore itinerantium opportunitate, quod difficile admodum fuerat, nocturna hoſpitia, ab incolis impetrare. Traiicitur heic *Zſitva*, ponte vimineo, quem amnis eluuiones, haud raro, deiiciunt. Diſiungitur oppidum, duobus *S. Benedicto*, in occidentem brumalem, milliaribus.

§. II.

De Vicis Sedis Verebély.

AD dominationem *Verebélienſem*, præter oppidum nominis eiusdem, quod nunc expendimus, pauciores, quam reris, vici in *Comitatu Barſchienſi*, pertinent. Sunt autem in his:

1.) *Tétd*, aliis *Titt*, paſſibus circiter bis mille, ab oppido, in orientem ſeiunctus. Agro eſt plano, & patiente ſementis; at ſiluis tenuioribus.

2.) *Aba*, in eandem plagam, ab oppido, mille paſſibus ſecedit. Territorium ei obtigit, priori ſuppar.

3.) *Ledécz*, limitaneus *Nitrienſibus* vicus, atque interlabente riuo, ita diſcretus, vt pars orientalis, *Barſchienſibus*, occidentalis *Nitrienſibus* adſcribatur. Subſedit a meridie arcem *Ghymes*, eſtque media tantum ſui parte *Verebélyienſis Dominationis* proprius.

4.) Præter hos, ad idem iſtud *Dominium* referri accepimus, *Pográny*, *Cſiſtek & Nagy-Kér*, de quibus in Comitatu Nitrienſi.

§. III.

De Vicis Variorvm.

HOrum nomina ſitusque, ſic ſe habent:

1.) *Nagy-Looth*, diſſidet, ab oppido, ſeſqui milliario, verſus occiduum ſolem, eſtque agro, ad ruſticandum eximio. Poſſidetur per *Prouincialatum Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ.*

2.) *Kis-Looth*, ob tenuiorem vici habitum, quam eſt alter ille, minoris nomen indeptus, milliari, ab oppido, in occaſum, ſubmouetur. Eſt *Adami Tajnay.*

3.) *Cſeke*, eſt in ditione *Sallaienſi.*

4.) *Bellek*, eodem tractu ad oppidum adiacent, rurecque circumſidentur, ſegetum feraci. Paret, eidem, quem nunc diximus, *Prouincialatui.*

5.) *Óhaj*, mille, circiter, ab oppido *Verebély*, paſſibus, aduerſo, in ſeptentrionem, *Zſitva* amne, orientali eius margine, ſeiunctus. Vicus omnino eximius, atque frumenti non minus, quam vini, diues.

Itaque, gemino hoc prouentu, proficiunt incolæ *Hungari*, egregie rerum ſuarum ſatagentes. Sunt in poteſtate variorum nobilium.

6.) *Cséfar*, opimus vicus, milliari ab oppido, in orientem brumalem, ſecedens. Paret ſeminario *S. Stephani*, Regis Hungariæ.

7.) *Tehély*, gentis *Hunadyanæ* poſſeſſio, ſitu, in occidentem, ad vnius milliaris interuallum ab oppido reducto.

8.) *Poſzka*, fuit olim in *Stephani Balogh* poteſtate, iam inter eius hæredes diſpertitus eſt. Sciungitur *Verebélyo*, modico, in occidentem, milliari.

9.) *Baraczka*, diuiſa, inter complures nobiles, poſſeſſio. Itidem, milliari in occidentem recedit.

10.) *Fakó-Vezekény*, inſignis quidem vicus, ſed inter plures diuiſus poſſeſſores. In eandem, cum priore, plagam, ad ſeſqui milliare, ſecluditur.

11.) *Beſſenye*, Venerabili Capitulo Strigonienſi obſtrictus.

12.) *Huly*, iuris eſt inclytæ familiæ *Moteſchiczkyanæ*, medio milliari in occidentem, ab oppido ſeiunctus.

13.) *Rendue*, ad eosdem *Moteſchiczkios* pertinet, neque longe a priori abeſt.

14.) *Mettek*, eſt *Seminarii S. Stephani*, milliaris interuallo, in occidentem *Verebélyo* ſubmotus.

15.) *Füſs*, iam a *Baloghianis* ſucceſſoribus tenetur. Poſitu cum prioribus, eodem.

16.) *Valkaz*, variis poſſeſſoribus obnoxius vicus, medio milliari *Verebélyo* ad occidentem ſepoſitus.

17.) *Beſſe*, in meridiem, ſeſqui milliario demerſus, nobilibus quibusdam familiis adſcriptus.

18.) *Tajna*, locus, vt vocant, *taxalis*, idemque natalibus inclytæ *Tajnaiorum* gentis, cui & cognomen mutuauit, nobilitatus. Reducitur *Verebélyo*, vno, in meridiem milliari.

19.) *Nagy-Sári*, tenuis oppido locus; ſed cuius poſſeſſio poſt *V. Capitulum Strigonienſe*, in heros diuiſa eſt complures.

20.) *Eny*,

21.) *Sötét-Kút*, &

22.) *Faj-Kiert*, veſtigia vicorum ſunt, quæ noſtri homines *prædia* dicunt. Adiacent ad vicum *Ohaj*.

23.) *Lehota-Gyarmath*, eſt in poteſtate *Martini Majtényi*.

Atque hæc, de *Comitatu Barſchienſi*, dixiſſe iuuit.

TABVLA ITINERARIA COMITATVS BARSCHIENSIS.

I. *In Comitatum Zolienſem.*

1.) CREMNITZIO, per vaſtum montem, *Neofolium* - mill. 3.
2.) *E Fano S. Crucis*, per fauces *Butſenſes*, & vicum cognominem, *Neofolium.* - - - - - mill. 4.

II. *In Comitatum Nagy-Hontenſem.*

1.) CREMNITZIO, ſecundo amniculo *Cremnitzienſi*, in oppidum *S. Crucis*, inde per vicum *Opatovecz*, SCHEMNITZIVM. - - - - - - mill. 4.
2.) *Verebelyino*, per vicum *Cséfár*, *Barſchinum*, vbi, ponte traiecto *Grano*, vel per traiectum *Macska-Rév*, BAKABÁNYAM - - - - - - mill. 4.

III. *In Comitatum Nitrienſem.*


1.) *Oſzláno*, ad *Kis-Ugrócz*, & hinc per *Nagy-Boſsány*, vel *Zámbokréth*, in oppidum NAGY-TAPOLTSÁN, mill. 3.
2.) *E* FANO S. BENEDICTI, per *Kovácsj*, *Ohaj*, *Verebély*, *Örménynm.* - - - - - - mill. 3.
aut *Ohaj*, *Nitriam* - - - - - mill. 4.
3.) *Kis-Tapoltsáno*, *Nitriam.* - - - - mill. 2.
4.) *Aranyos-Maróthо*, per vicum *Ledicze-Nitriam.* - mill. 2.

IV. *In Comitatum Thuróczienſem.*

1.) CREMNITZIO, per *Thureſek*, *Stubnam* & *Haj*, *Moſoczinum.* - - - - - - mill. 2.
2.) *Oſzláno*, traiectis montibus, ad *Krikehaj.* - mill. 2.



CO-



COMITATVS NITRIENSIS, PARS GENERALIS. MEMBRVM PRIVS PHYSICVM,

DE

Situ, Natura, & Opportunitatibus Comitatus Nitrienſis.

SYNOPSIS.

Nitrienſis *Comitatus denominatio: eius forma, fines, & amplitudo; montanus, iuxta & campeſtris ſitus.* §. I.

Montes, *quos habet, e* Carpatho *propagati: horum, qui ſint celebriores:* Kráſzná-Lipa: Jaworina: Oſztry-Wrch: Zalofztná: Kitſchera, & Stribrnjk: Inowecz: *Mons* Radoſchienſis: Hawran: Homola: Klag: Ghymes: Thábor: Kozlicza: Zobor. §. II.

Nemora, ſiluæque regionis. §. III.

Campeſtris prouinciæ ora. §. IV.

Præcipui regionis Fluuii: Vagus: Nitra: Zitwa: Liwina: Blaua: Holeſchka: Mijawa: Chwognitza: *riui minores.* §. V.

Fontes, *indolis variæ: gelidi, & cibi excitantes adpetentiam: ſulphurei.* §. VI.

Thermæ *prouinciæ:* Bajmoczenſes, *& harum opportunitates: prodigium, quo notatas vulgo perhibent:* Pöſtinenſes: Beliczenſes. §. VII.

Soli, cælique ingenium: montanum aſperius: campeſtre felicius: regionis laus & ſegetes. §. VIII.

Vini prouentus ingens: vineta celebriora. §. IX.

Hortorum cultus: ruſticanus, exquiſitior: croci præſtantia. §. X.

Res pecuaria Nitrienſium. §. XI.

Metallorum veſtigia: foſſilia reliqua: antrum inſigne. §. XII.

§. I.

Nitrienſis Comitatus denominatio:

NITRIA, Epiſcopalis, cum arce, ciuitas, nomen *Comitatui Nitrienſi* impertiuit, a fluuio præterlabente acceptum: nam, ita moris, apud maiores noſtros fuiſſe, alibi docuimus, vt ab amnibus arces, & ab his demum, integras prouincias, denominarent. Regio ampla, & arcuato flexu, a *Moraui*æ limitibus, inter plures Comitatus, vſque ad *Comaromienſium* fines, procurrens, formam quodammodo refert *cornu copiæ*, anguſto incipientis turbine, ſed laxatis poſthac interuallis, quaſi in calathum deſinentis. Nimirum: *Eius formam, fines & amplitudo:* incingitur, ab oriente *Barſchienſi;* ab aquilone *Thuróczienſi*, & *Trentſchinienſi;* ab occaſu, *Moraui*æ limitibus partim, partim *Poſonienſi;* denique a meridie, *Poſonienſi*, iuxta & *Comaromienſi*, Comitatibus. Colligas hinc de amplitudine prouinciæ. Qua ad aquilones, ſolem occiduum, atque orientem, vergit, montibus diſcreta regio eſt, qui e *Carpathi* iugis, hinc inde propagatis radicibus, decoram reddunt atque eximie ſalubrem. Sed, qua ſe in meridiem diffundit, in campos abit patentes, & rei frumentariæ non minus, quam pecuariæ, commodos. Procurrit autem a limitibus *Moraui*æ, vſque ad collimitia *Comaromienſium, milliaria Hungarica*, plus minus duodecim; latitudine, non vbique æquali: nam, cum alibi ad ſex pluraue milliaria diffundatur; alibi, tam eſt iterum arctus, vt vix *duorum* milliarium habeat intercapedinem: anguſtiſſimus ſit, ad *Sámbokrét*, vbi, hinc quidem, a *Trentſchinenſi*, illinc vero a *Barſienſi Comitatu* preſſus, arctiſſime, ac fere ad quadrantem milliaris, coit. Sed iuuat ſingula perluſtrare ſigillatim.

Montanus, iuxta, & campeſtris ſitus.

§. II.

Montes, quos habet, e Carpatho propagati:

MONTES, quos occidenti, & ſeptentrioni prætenſos habet, propagines ſunt *Carpathi*, e *Comitatu Poſonienſi*, vbi is caput habet, ludentibus iugis dorſisque, huc protruſi. Nomina his indita ſunt, pro ſituum varietate. Recenſebimus aliquos, atque eos po-

potiſſimum, quibus iam pridem celebritas eſt conciliata. Principem in his locum merentur: *Horum, qui ſunt celebriores: Kráſzna Lipa:*

I. KRÁSZNÁ LIPA, quaſi *venuſtam tiliam* diceres. Ita nuncupatur, quod, illo genere arborum, in primis lætetur. Mons omnino memorabilis, & diuaricatis, longe lateque, iugis, varie procurrens. Qua inter *Verbouiam*, & *Brezouiam*, verſus *Cſeitham* porrigitur, non arce modo *Cſeitenſi* inſignis eſt; ſed tuetur quoque nomen, a tiliis acceptum, donec miteſcentibus pedetentim iugis, pone *Vágh-Ujhely*, penitus deſinat. Dextrum iſtud montis iugum fuit, ſiniſtrum *Sobotiſchtinum* prorepit, arce *Bercncs* ſuperbicns. Quæ quod rotundum montis verticem occupauit, & ſiluoſis nemoribus incincta eſt, iucundum, e longinquo, adſpectum præbet. Inde, iuga eadem, *Szakoltzam* vſque *continuantur*, non quidem perpetua, & æquali altitudine; ſed ea tamen, quæ ſatis prodat *Carpathi* naturam, hic petris & ſcopulis, alibi ſiluis opacis, extra modum horridam. Vltra *Szakoltzam* vrbem;

Jaworina:

II. JAWORINA ſurrigitur, a *platanis*, quibus luxuriat, ſic dictus. Celſitas montis tanta eſt, vt *Hungariam* hinc, *Morauiam* illinc, grandemque *Auſtriæ* portionem, quaſi e ſpecula luſtrare poſſint, quibus volupe eſt, ſumma eius cacumina, conſcendere. Præter platanos, *fagum* etiam, certa montis regione dominari, accepimus, Sed nec *querceta* deſideres, paſſim, per montis radices, præcipuo arborum incremento, conſpicua. Ad infamiam montis referunt, quod latronibus infeſtus eſt hodieque, eo atrocioribus, quo ſunt luſtra montis, occultando iniquiſſimo generi, commodiora. Diutinæ ei niues ſedent, qua re fit, vt circumiecta vtrinque regio, frigidior ſit, & longiori brumæ obnoxia. Eadem iſta regione viſitur:

Oſztry-Wrch:

III. OSZTRY-WRCH, latine, *acutum montem* vocaueris, inter vicos *Werbócz* & *Turalukam* ſitus. Geminam, denominationis rationem, reddi video. Altera eſt, montis forma, in acutum quodammodo deſinens; altera, frigus acutum, cuius cauſſas in niuoſo illo *Jaworinienſe* habitu, ponunt. Vnde accidere ſimul credunt, vt amœniſſima etiam anni temperie, rara hic, a ventis ſit ceſſatio. Vltra hunc,

Zaloſztná:

IV. ZALOSZTNÁ ſedet, non ſine omine, ea voce adpellatus. Latinis *mons triſtitiæ* diceretur, ob periculoſum, & letalis triſtitiæ plenum iter, quod ex vico *Verbócz*, vnius interuallo milliaris, pone limites Moraniæ, *Szakolczam* ducit. Eſt id plerumque a latronibus ſanguinolentiſſimis ſubſeſſum. Neque enim *Moraui* tantum limitanei, auidum genus; ſed accolarum etiam multi, rapto, cædibuſque viuere, in lucris ducunt. *Turolucenſibus* vero imminet:

Kieſchera, & Stribrnjk:

V. KITSCHERA, cum adfini alio, quem STRIBRNJK, ſeu *montem argenteum* nuncupant; non, quod metalli eius ſit diues; ſed quod arenis abundet, colorem referentibus argenteum. Alii, ad herbam nominis rationem referunt, cui *Anſerinæ* nomen, quam *Stribrnjk* Slaui, hoc eſt, *argentinam* dicunt. Ante duo hæc, & quod excurrit, ſecula,

cula, tota ista regio, quæ inter *Szobotischte*, & *Ó Thuram* interiacet, siluis opaca, ac propemodum impervia fuit; sed quam *Turolucenses* primum, mox & *Mijauienses*, succidere cœperunt, vt sedes sibi nouas isthic elaborarent, constituerentque vicos, hodie, sic satis copiosos. Illud mirere, potuisse eousque siluas eas exstirpari, vt iam, lignorum penuria, vicus vterque laborare occipiat. Certe, quæ *Mijauienses* querceta habent, ea, ex industria educari necesse est. In istis montibus, *Swehla*, latronum ille dux, ab *Ó Thurenſibus* interceptus est: qua de re infra, vbi locus fuerit, BONFINIVM audiemus. Fuere isti montes, qui occidentale *Vagi* latus præmuniunt, trans eum amnem:

Inowecz: VI. INOWECZ adtollitur, intra limites *Comitatus Trentschinensis* sese abdens; sed meridionali tamen parte, regioni nostræ adscriptus. Est altitudinis eximiæ, atque illic, vbi celsissimus exsurgit, fonte perenni ac gelido, nobilis. Sedet supra arces, *Beczkouiensem*, in Comitatu *Trentschiniensi*; *Nagy-Topolcsanensem*, & *Temetuinensem*, in *Nitriensi*, positas. Eius pars altera, secundo *Vago*, in meridiem se porrigit; altera, a thermis *Pöstinensibus* incipiens, versus vicum *Radoschin*, exspatiatur, diciturque:

Mons Radoschinensis: VII. RADOSCHINSZKÁ-HORA, seu mons *Radoschinensis*, vnius milliaris latitudine, atque siluarum vastitate, memorabilis. Multa hic fagus quercusque prouenit. Ad eiusdem montis iuga pertinet, suo tamen nomine insignitus, celsissimus vertex,

Hawran: VIII. HAWRAN; sed cur ita montem dixerint; *coruum* enim vox illa significat; vix hariolando adsequare: nisi forte, aut corui speciem referat, aut coruorum fœtura, diues sit. Sunt, & aduersus *Trentschinensem Comitatum*, oræ huic nostræ, montes eximii, qui regionem vtramque disterminant. Huc referas:

Homola: IX. HOMOLA, miræ rotunditatis montem, cum radicibus, quæ latissime serpunt. Surrigitur is, inter *Porubam*, & *Belam*, vicos. Porro, limitaneus eidem tractui est:

Klag: X. KLAG, rupibus horrens, quæ vastitatem *Carpathi Kesmarkienſis*, æmulari posse videantur. Parte sui maxima, in *Barsiensium* regionem se immergit. Neque ignobilem, censueris:

Ghymes: XI. GHYMES, cum arce inædificata, qui tametsi nudus siluis est, qua tamen versus *Barsiensem Comitatum* excurrit, vastæ molis esse incipit. Circa arcem, castaneto lætatur. Hinc, inter aquilonem & orientem:

Tabor: XII. TÁBOR, eleganti rotunditate se commendat, ex cuius vertice, longe patet prospectus. Id nominis, a *Hussitarum* castris, fertur accepisse. Imminet vico *Krentsch*, subluiturque, a riuo, cancrorum feraci.

Kozlicza: XIII. KOZLICZA, ingens mons, *Barsiensibus* limitaneus, idemque, transitu arduus. Pedem montis, vineæ *Krentschenses* vberem reddunt, & adspectu iucundum. Neque silendus est:

Zobor. XIV. ZOBOR, arci *Nitriensi*, trans amnem, eleganti, & celso po-

situ, ab ortu solis, obiacens, atque per plures *Comitatus*, e longinquo, conspicuus. Multa sunt, quæ montem fecerunt celebrem. Nam, *Sanctus* quidem STEPHANVS, cœnobium isthic instruxerat, Ordini *S. Benedicti* traditum, & *S. Hyppolito* dedicatum. Quod iam, familia *Camaldulensium* obtinet colitque. Vinum, quod montis latera gignunt, inter generosiora *Nitriensium*, referunt accolæ, quodque mensis, etiam vnctioribus, idoneum est, rhytmo vulgari celebrant: *Vinum Zobrense, decus est, & gloria mensæ.*

§. III.

Nemora siluæque regionis.

ISti montium præcipui fuerunt: singulos enim recensere, sicuti non vacat, ita res molestiæ, quam frugis, futura esset, maioris. *Nemora*, & sparsæ, per accliues colles, *siluæ*, montibus passim subsident, aut planam regionem, iucunda varietate, interstinguunt. Innumera horum sunt, sed quædam ita comparata, vt mereantur omnino commemorari. Est in his, pineum illud, quod ab oppido *Szeniczensi*, in aperta fere planitie, versus *Posonienſium* limites, excurrit, & parte sui quadam, *Nitriensium* fines stringit. *Buor*, siue *Bory*, quomodo *Pinetum*, vulgus *Slauicum*, vocat. E longinquo adspectantibus, obtutum præbet iucundum, quod & perenni virore lætetur, & quasi ad regulam consitum videatur tonsumque. Intus, densæ ei sunt arbores, & quod nemus, loco est fabuloso, multa pice turgentes: nam, huiusmodi solo, istud picearum genus, in primis gaudet. Consimile huic, *Holicsense* nemus, dixeris; nisi, quod situ minus sit amœnum, neque laxe adeo protensum. Vtrique, *Baymoczense* addas, elegans quidem illud; sed fructus, quam illa, exilioris, eo, quod, regione ista, lignatio minoris venit. Quin, & *Nitria*, nemoribus ac siluis querceis, vicina est; nam, & ab oriente, colles ei obiiciuntur, quercetis obsiti, &, qua occidentem prospicit, silua exstat, vasta ea, & *Galgotzinum* vsque procurrens: vt *lucorum*, qui sunt ista regione, varietates, taceamus.

§. IV.

Campestris prouinciatura.

HEusque, oram *Comitatus*, montanam potissimum, vidimus; campestris nunc mentio iniicienda erit: neque enim, ita montibus exasperatur regio, quin, passim interposita planitie, mitescat. Certe, infra *Nitriam*, perlibrata init planities, eaque, gemino amne, *Nitria* hinc, illinc *Zitawa*, irrigua. Nam, vbi primum colles, oppido illi circumpositi, subsiderunt, elegans se æquor aperit, collibus quidem nullis, lucis autem interstinctum rarissimis. Verum, quia decliuiore situ, totus ille est tractus, fit non raro, vt deuoluti, ex montibus, quos diximus, amnes, vbi ex imbribus increuerunt, totum, quam late patet, inundent. Quod, cum alias frequen-

quentissime, tum in primis, anno MDCCXXV. semel iterumque, magno incolarum damno, euenisse, recordamur. Adde his, eas planities, quæ montibus circumseptæ, tametsi arctius diffundantur, tamen, eo plus amœnitatis referunt, quo, naturæ opificis varietas illa, animum aduertit efficacius. Et nemora enim, passim sparsa habent, & errantes varie riuos, quos inter, vici consederunt, obtutu, si e loco excelsiore despicias, omnium iucundissimo. Est, & *Nitriæ* ac *Zitvæ* amnium, conuallibus, per quas labuntur, hilaritatis plurimum. Præterquam enim, quod vicis insessæ sunt, & copiosis, & frequentibus; hic quidem agris frumentariis, pratis alibi, lætantur. Sed, quia de amnibus obrepsit nobis mentio, eos iam describemus.

§. V.

Præcipui regionis Fluuii.

NImirum, non sola ea *Comitatus Nitriensis* est opportunitas, quam illi, siue montes pariunt, siue positus campestres. *Fluuios* etiam habet, multæ omnino vtilitatis, nisi dimanent ex alueis. In his sunt:

Vagus. I. VAGVS, Liptouiensium montibus editus, (*a*) postquam *Thúróczienſem*, ac *Trentſchinenſem* Comitatum emensus est, nostro huic, infra *Beczkouiam*, oppidum *Trentſchinenſium*, se infundit, non similis modo sui, hoc est *vagus*, & pronus ad eluuiones; sed incursu etiam, plurium fluuiorum, ferocior factus, vehemens ac præceps fertur. *Meandrum* crederes, ita quæsitis, quasi ex industria, flexibus, sinuosus labitur. Certe, alueum sæpius migrat, & nunc istam, nunc aduersam ripam, impulsa aquarum mole, subradit. Adfunditur oppidis: *Vág-Ujhely*, cui & cognomen impertitur, *Pöſtény*, *Leopoldopoli*, & *Galgoczio*; celebrioribus autem vicis, *Luka*, *Brunócz* & *Szokolócz*. *Galgotzio* digressus, *Nitriensem*, & *Posoniensem* Comitatus, disterminat, duplici ponte, apud *Galgóczium*, vulgo *Freyſtädel*, vnico ad *Semptauiam*, iunctus: sublicio vtrobique, quos ideo, veris cum primis inundationes, propemodum quotannis, lacerant. Pisces alit, vernas eosdem, quorum in reliquis Comitatibus mentionem habuimus. Sed, qua *Danubio* sit propior, peregrinos etiam admittit, antaccorum potissimum, minutius illud genus, quod plerumque aduerso amne, altius enatat. Incurrit in *Danubium*, altero, supra *Comaromium*, lapide. Alioquin, frequenter exundat *Vagus*, estque inter præcipuos agri *Nitriensis* vastatores, per ea loca, qua fertur, censendus. Ac, dubium sane facit, vtiliorne sit prouinciæ, an pernicioſior,

Nitra: II. NITRA, post *Vagum*, in primis nominari debet; tum, quia domesticus amnis est; tum, quia nomen habet, cum regione, commune.

a) Designauimus, hæc eius capita, Tomo operis II. in Historia *Comitatus Liptouiensis*, Parte Generali, Memb. Physico, §. VI. p. 525. sequ. Atque procursum, apud *Thúróczienſes*, ibidem, p. 300. num. I. Item, apud *Trentſchinenſes*, eodem hoc Tomo IV.

mune. Geminum huic caput, alterum, supra *Teuto-Prónam*, in altissimis montibus, qui ista ora, *Trentſchinenſes*, a *Nitrienſibus*, discriminant; alterum, intra iuga vici *Walaſzká-Bela*, quod *Nitricska* vocant. Fontium vterque, largus admodum est: ille tamen copiosior, iste rapidior quidem; sed multis modis tenuior: vnde *Parua Nitra* dictus. Adsident ei, præter oppidum *Szkacsán*, vici: *Veſztenicz*, *Divék-Ujfalu*, *Divék*, & *Rudnó*. Posteaquam prope *Bilicz*, in eundem corriuati sunt alueum, amnem efficiunt streperum, velocemque, dum lentus manare incipiat, & qua crepidinibus haud coercetur, quasi in stagna abire, multa passim arundine conseptus. Adluit, postea *Teuto-Prónam*, *Bilicz*, vbi ponte ligneo insternitur, *Novakinum*, *Zambokréth*, *Nagy-Boſán*, *Baymotzium*, *Nagy-Tapoltſchánum*, *Szerdahelyinum*, *Kovártz*, *Ludány*, *Apony*, *Elefanth*, *Szalakuſz* & *Pereſzlény*, atque inprimis, *Nitriam* vrbem arcemque, Episcopatu insignem. Isthinc exspatiatus, lento aquarum tractu, (*b*) versus *Urvarinum* defertur, cuius fossis, aquas suffundebat, cum exstaret adhuc, arx validissima. Inde reflexo aliquantum alueo, in *Danubium* exit. Piscium varii generis ditissimus, nam, qua a fontibus propius abest, saxatiles vt plurimum, atque in his, trutas habet; sed, qua per apertos campos limosior vehitur, lucios, siluros, atque id genus, alit benignius. Labitur, a septentrione, in meridiem; eo infaustus accolis, quod frequenti eluuione, regionem late corrumpat.

Zitwa. III. ZITWA, fontibus variis, vltra *Kis-Tapoltſchánum* ortus, varieque fissis vallibus decurrens, tandem, vno coadunatus alueo, vbi campos subiit, stagnare potius videtur, quam labi. Est subinde exundatione noxius; sicuti vero ex imbribus, etiam non immodicis, opinione celerius, intumescit; ita plerumque, noctis vnius interuallo, subsidet, & intra ripas collectus, vadosus vbique fit, & sui similis. Intimat se *Danubio*, duobus, infra *Comaromium*, milliaribus, ad eum vicum, cui nomen *Zitwa-Torok*, latine *ostium Zitwæ*, Germanorum imitatione, *Zitwa-Münde*, dixeris, pace, cum Turca, anno MDCVI. inita, nobilitatum.

Livina. IV. LIVINA, priori, aquarum mole, nihilo minor; sed decursu tamen, in hoc *Comitatu*, breuior. Oritur, apud *Banoviczium*, Comitatus *Trentſchinienſis*, oppidum, &, cum nostra ista regione, vicos *Livina*, *Nadlitz*, *Rajcsán*, *Koroſſ*, occidentali latere subluisset, supra *Nagy-Topolcsánum*, in *Nitriam* incurrit. Et hi quidem fluuii, trans *Vágum* manant. Cis eum sunt:

Dudvág. V. DVDVÁG, vndosus amnis, & piscium diues. Habet capita, in montibus *Csejtenſium*, vnde prolapsus, concitatior primum manat; sed, vbi vltra oppidum *Csejte*, prouectus est, languescit sensim, &, qua per depressos situs vehitur, stagnans fere euadit, & sui dissimilis. Dum intra *Nitrienſium* limites voluitur, vicos adluit complures, in quibus nominatiores sunt: *Csaſzthócz*, *Otskó*, *Rakowicz*, *Bory*,

b) Adluit, hac regione, vicos, *Egyház*, *Ivanka*, *Berents*, *Szölös*, & oppidum *Komiáthi*.

Bory, *Petőfalva*, *Koſztolán*, & *Ujváros* oppidum. Infra quod, ponte inſternitur, ob late diffuſum alueum, longo, & a præſidiariorum *Leopoldopolis* excubiis, inſeſſo. Hinc digreſſus, ad *Feſtő-Lócz*, in agrum *Piſonienſem* effunditur: vbi procurſum amnis, & exitum in *Danubium*, (*c*) deſcripſimus.

Blawa: VI. Blawa, amniculus, non tam longo aluei tractu, quam opportunitate, inſignis. Nam, vbi ex petra, arci cognomini ſubſita, pluribus ſcaturiginibus, ad ædem ſacram, ſolotenus effuſus eſt, ad teli iactum vix procurrit, cum molam, egregii fructus, perenni aquarum adlapſu, impellit. Hinc, per vicos, *Dejta*, *Radosótz*, *Maniga*, & *Butsán*, delatus, in *Dud-Vágum* defertur. Inſidetur pluribus molis frumentariis, quas, & rigidiſſima ſub bruma, ſine ceſſatione verſat: quippe, gelu impatiens. Vnde, & *Dobrá woda*, hoc eſt, *bona aqua*, ſcaturiginem eius dictam credunt. Sane, femellæ ruſticæ, linteas ſuas veſtes, acutiſſima hieme, in mediis aquis, nudatis genu tenus pedibus, haud ſecus ſuecurunt eluere, quam id æſtate fieri moris eſt. Alioquin, *Comitatum Poſonienſem*, a *Nitrienſi*, quadamtenus, diſiungit, vicumque *Dejtam*, ita ſecat, vt partem eius alteram huic, illi alteram, admetiatur.

Holeſchka: VII. Holeschka, inter oppidum *Brezowa*, & vicum *Krayne*, edito fonte deiectus, tantum aquarum vehit, quantum pluribus molis verſandis, ſufficit. Accolæ vſu didicerunt, cum riui ceteri, etiam copioſiores, cælo nimium ſicco, inareſcunt, molaſque male feriatas efficiunt; *Holeſchkam*, egregie, molendinis, quorum nouem inædificata habet, ſufficere. Quæ res, non poteſt non cum herorum vbere fructu, coniuncta eſſe. Milliaris vnius ſpatium, concitatiore curſu emenſus, in *Vágum* incurrit. *Trutis*, cum primis hoſpitalis eſt.

Mijawa: VIII. Mijawa, iis ortus montibus, qui *Hungariam*, & *Moraniam*, iſto tractu, diſcriminant, primo quidem *Mijawam*, vicum copioſum, cui & nomen impertiuit, interluit, inde *Turolucam* ſecans, montis, cui arx *Berents* inſidet, radices lambit, poſteaque, reducto alueo, *Pritrz* interlabitur. Hinc digreſſus, vico *Hluboké* ſe intimat, atque *Iabloniczam* præteruectus, per pinetum illud, cui *Buor* nomen, *Schaſchinum* deuehitur, in cuius foſſis reſtagnans, *Moraua*, infra *Kuklyo*, *Poſonienſis* prouinciæ vicum, illabitur. *Muranarum* maximè diuitem, relatum accepimus. Quarum A. MDCCXXIV. tantam habebat copiam, quantam ab hominum memoria haud obſeruauerunt accolæ: quod eos tunc inter omina, neſcio quid portendentia, retuliſſe meminimus. Eſt & *fundulorum* ferax, *cancrorumque*, quos ſub arce *Berents*, præcipuæ magnitudinis, obſeruauerunt, qui eorum captura delectantur. *Trutarum*, quod iuſto eſt limoſior, impatientem ferunt.

Chwoynitze: IX. Chwoynitze, vltra pagum *Wrbowcze* natus, ſtreperus, & pernix, *Sobotiſchtinum* vſque voluitur, at, vbi montanam oram deſeruit, pla-

c) Tomo I. Parte Gen. Memb. I. Phyſico, §. V. Num. I. pag. 17.

placidus manare incipit. Leniore igitur aquarum mole, *Szenitzium* adlapſus, prope *Holitſch*, a *Moraua* excipitur. In primis, cluuionibus, damnoſus eſt qua delabitur Anno certe MDCLXXII. pluuiis diuturnioribus, tantopere intumuerat, vt *Sobotiſchtenſium* ædes plurimas, vehementi ſubrutas incurſu, rapuerit ſecum. Qua quidem amnis exundatione, XC. ex incolis, abſorptos fuiſſe, annoſiores meminerunt. De aquarum, quibus turgeſcebat, altitudine, inde capi argumentum poteſt, quod ædem quoque ſacram, in edita ripa, ſolido opere ſubſtructam, inundauerit.

riui minores. X. Riuos prouinciæ conſectari, eo fuerit impeditius, quo maior eorum eſt, vtraque *Vági* parte, numerus: quia enim, diſcreta paſſim eſt regio vallibus ſcaturiginoſis, nequit euenire aliter, quam vt riuos emittat, *vndoſiores* hic, *ſiticuloſiores* alibi; ora potiſſimum *Comitatus occidentali*. Enim vero, vix eſt viculus, qui non amniculi quidpiam habeat. Quod in occaſionem vertemus, cum vicorum enarrabimus poſitus, riuorum vna commemorandorum. Nunc, citeriores aliquot deſignaſſe ſuffecerit.

1.) Zlatnicska, quaſi *aureolum* diceres, riuus omnino copioſus, e radicibus montis *Inowecz* ortus. Adluit vicum cognominem, *Liviną* amni, prope ad eiusdem nominis vicum, adfuſus poſtea: eo memorandus, quod *Comitatum Trentſchinienſem*, a *Nitrienſi*, quadamtenus, diſterminet, *Borchau* vicum autem, ita interſecet, vt, pars eius, ad *Trentſinium* vergens, eidem *Comitatui*, pars altera, prouinciæ *Nitrienſi* obuerſa, iſti adſcribatur.

2.) Kocsina, eiusdem montis *Inowecz* ſcaturiginibus, varie per conualles ſalientibus, editur. Manat hic quoque, per *Trentſinenſium*, & *Nitrienſium* collimitia, dum *Nagy-Iácz*, & *Kis-Iácz*, *Tavarnok*, item, præteruectus, in *Tapolcſanenſi* agro, *Nitriæ* commiſceatur.

3.) Bajnensis amniculus, fontes in monte cognomine habet. Inde deiectus, *Bajnam* oppidum, vicumque *Kis-Doworan*, præterlapſus, e regione *Nitra-Szerdahely*, in profluentem *Nitram*, inuehitur.

4.) Szeptencz, tenuis quidem, ſed perennis eſt riuus, qui vbi, peculiari fonte, vici *Belez*, ſcatere cœpit, fertur verſus *Ujfalu*, cui ideo *Szeptencz-Ujfalu*, nomen inditum. Hinc digreſſus, riuulum *Lipownjk*, prope ad *Sarluſka*, intra alueum recipit; tum *Paczolaj* vico adlapſus, nouo iterum amniculo, a *Sárſó*, penes *Nagy-Répén*, augetur, dum *Bodokenſi* alio, factus copioſior, ad *Isbégh*, fluuiolo *Radoſnyenſi*, coadunetur.

5.) Radosnyensis amniculus, ex *Inowecz*, & *Radoſnyenſibus* montibus delapſus, atque oppido *Radoſnya* immerſus, nouis hic ſcatebris, ex ingenti ſalientibus petra, augeſcit. Tenet poſtea curſum, verſus *Aſſa*, & *Ablántz-Kürth*, vicos; dum ad memoratum *Isbégh*, cum *Bodokenſi* illo, corriuatus, *Nitræ* alueum, aduerſus vicum *Darás*, ſubeat. Denique ſilendus haud eſt:

6.) Wychodná, vbere & vario fonte, ex petris *Koloſſenſibus*, emiſ-

emissus, cum geminum eiusdem nominis vicum, posteaquam *Tükés-Ujfalu*, & *Ianofalva*, rigauisset, prope *Praznócz*, in *Nitram* elabitur. Hæc, non neglexisse, satis est.

§. VI.

Fontes *indolis variæ*:

AQuæ hæ fluuiatiles erant; fontium vero, & limpidissimarum scaturiginum, nemo, vel numerum inierit. Sunt in his, *glaciem* frigiditate æmulantes, quales passim, montana regione, saliunt. In primis celebratur gelidissimus fons, in iis montium iugis, *Walaská-Belensibus*, per quæ, ad *Závada*, vicum ditionis *Zay-Ugroczensis*, iter ducit; eius ingenii, vt cibum, summa ingestum auiditate, opinione celerius consumat, denuoque adpetentiam vescendi, accendat: id quod, non itinerantes modo, cibi præterea auidiores; sed hi quoque adfirmant, qui fontem hunc, experiundæ efficacitatis caussa, potauerunt. Neque fontes *sulphurosos* desideres, quos heic potui, alibi balneis adhibent. Et prioris quidem generis, in agro *Mijavienſi*, ac passim, copiosi scatent. In his autem, fons potissimum *Ekbelensis* est, natura, longe frigidissimus; sed multo sulphure, olidus. Huius aquas, in ahena diffusas, concalefaciunt, qui lauare cupiunt, atque cadis balnearis acceptas, egregio successu, lotionibus adhibent, in iis morbis quam maxime, qui lauando, si non domari, saltem mitescere consueuerunt. Accolæ viciniores, eundem fontem doliis haustum, si æger adesse nequeat, auehere solent, vsibus, modo, quem diximus, adhibendum. Sunt & *acidæ*, in agro vici *Onor*.

gelidi, & cibi excitantes adpetentiam:

sulphurosi:

acidi.

§. VII.

Thermæ *prouinciæ*: Bajmoczenſes, *& harum opportunitas*:

SEd, nec THERMIS regio *Nitrienſis* caret. In his sunt *Bajmoczenſes*, arci & oppido cognomini, adsitæ. Aedes, intra quas ebulliunt, pro herorum magnificentia, splendidæ sunt, & tripartito discretæ; nempe, vt lauantium, cum dignitati consulatur, tum corporis habitui. Proinde, lauacrum insignius, *magnatibus*, & qui sunt loco nobiliore editi, destinatum est, laxum id, & ad omnem factum commoditatem, aquas habens eximie temperatas, vt neque nimium caleant, neque parum. Pone illud, solo pariete discretum balneum, *rusticos* accipit; capacitatis propemodum maioris, neque non ita adparatum, vt ne ab his quidem iure possit fastidiri, qui sunt indolis cutisque delicatioris. Priori tamen illo, calet feruidius, quod, cum rustica natura, dura ea, neque facile subigenda, egregie quadrat. Vltimum *mendicos* habet, & si qui sunt, quorum morbi, vel contagionis habent quidpiam, vel fastidii. Vulgi narratiunculis perhibetur; olim, a lauantibus, numum balnearium, magna heri seueritate, at sordidie longe maiore, exactum fuisse. Quod tributi genus, *inusitatum* antea, cum vulgus recusaret pendere, ideoque, ab vsu thermarum arceretur; male hero, thermisque, imprecatum fuisse aiunt, euenisseque, vt non calidæ modo, a pristina indole *penitus* degenerarint;

prodigium, quo notatas vulgo perhibent.

rarint; sed pecuniæ quoque, quas auarus calidarum dominus, auide corraserat, in lapidem abierint. Ita vulgus, nihil non fingere solitum. Id certum est, ingens, in proximo editoque colle, stagnum esse, naturæ, cum thermis, propemodum consimilis, balneis tamen inutile; vt iam macerandæ cannabi, insigni operarum compendio, adhibeatur. Nam, iniecti manipuli, biduo, triduoue post, tam celeriter matureſcunt, quemadmodum id in stagnis aliis, vix plurium hebdomadarum interuallo, fieri posse, vsus condocet. Fit autem ea re, vt, quidquid tota circum vicinia, cannabis, aut lini educat, omne id, ad stagnum istud, haud sine fœnore, deuehatur emacerandum. Atque hunc quidem lacum, thermas illas fuisse aiunt, quas heri sordities, inutiles fecerit. Vt vero fides prodigio sit tutior, degeneres, & lapidescentes numos, isthic ostentant. Lapilli sunt, pecuniarum instar rotundi, molis variæ; nam alii quidem *crucigeros*, *grossos* alii referunt. Sunt etiam, qui maioris moduli numos, quales sunt *floreni*, & *imperiales* solidi, ex amussim æmulentur, signa quædam ostentantes, imitatione litterarum, enata. Nolim, religioni huic vulgi, contraire: id nequeo silere, naturam lasciuientem, hos istiusmodi lusus, numos mentientes, edere potuisse. Sed de thermis suo loco, dedita opera.

Præter has, PÓSTINENSES, præcipuam, & laudem merentur, & admirationem; eo damnandæ, quod, quia *Vágo* adfederunt, *vagæ* sint & ipsæ. De his ISTWÁNFFYVS: (*d.*) *Sunt thermæ vltra flumen Vagum, quæ* PESTHENIAE *vocantur, salubres pellendis languoribus, & aquarum natura admirabili. Nam, egesta humo, tanto e scrobibus feruore prosiliunt, vt sustineri nequeant, nisi satis longo temporis interuallo, intepescant, aut frigida infusa, temperentur*: Vago *autem crescente, recedunt, & cum decrescit, sequuntur, nec in frigidiore fluminis fundo, si suffodiatur, ebullire desinunt. Creduntur autem aduersus quoslibet, etiam diuturniores morbos, sed potissimum cutaneos, saluberrimæ, & testante sæpe experientia, efficacissimæ esse.* Hæc ille, quæ iam recitasse sufficiat. Nam elaboratiora alii loco (*e.*) adseruamus.

Pöstinenſes.

Neque silentio prætereundæ sunt, calidæ BILICZENSES, non, quod ædificiis superbiant; sed quod adhibeantur, magna accolarum adprobatione, vario morborum generi edomando. Id dolcas, discriminari frigidas scaturigines, a feruidis, haud posse; tametsi tentatum id fuerit sæpius, a thermarum heris: qui sunt *L. Barones Mednyanſzky de Medgyes*. Quod si effici posset; næ ego, *Biliczenſes* calidas, *Bajmoczenſibus*, si non anteferre, saltem æquiparare, sustinerem. Accepere nomen, a vico *Bilicz*, quarta miliaris parte, supra *Nagy-Topolcsánum*, posito.

Biliczenſes.

§. VIII.

d) Lib. XXXI. pag. 744.

e) Vbi professa opera, THERMAS HVNGARIAE, expromemus. Vide infra, Parte Spec. Memb. IV. Sect. I. Num. IV. Hist. Oppidi PÖSTENY, & fusiorem illic, calidarum, mentionem.

§. VIII.

Soli, cæliqus ingenium:

AD soli, cælique ingenium, quod adtinet, facile est ad conii-ciendum, in tanto terrarum tractu, diuersos vtriusque habitus, pro situ regionis, esse oportere. Montana certe ora, qualis ea est, quæ arcuato procursu, hinc in occidentem, illinc in septentrionem desinit, multum, ex indole *Carpathi*, & huius propaginibus, trahit austeritatis. Quod istud fere est; vt, & ventis perfletur austerioribus, & hiemes maturius admittat, diutius postea duraturas. Sed, istud vitium, si quod tamen est, montes editiores, proprium habent: nam, qua mitescunt iuga, mitiores sunt simul, cæli vicissitudines, solum autem foecundius. At, qua in meridiem, per *Barschienſium*, atque *Posonienſium* fines diffunditur regio, eximiæ est fertilitatis, eo forte infelix, quod, quia depresso est situ, si *Vágus*, *Nitra*, & *Zitwa*, ripas supergressi fuerint, totam late regionem, inundent. Quod anno in primis MDCCXXV. ineunte vere, ac iterum adulta iam æstate, nos ipsi, hac profecti, geminatis periculis, experti sumus. Nempe, quam longe oculorum prospectus, ex iis collibus, qui sunt inter *Nitriam*, & *Vágum*, interiiti, in meridiem, & occidentem, patuit, omne id aquis erat obrutum; vt mirum fuerit, immani ea illuuione, vniuersam regionem in pelagus, haud abiisse. Est tamen, *Nitrienſium* prouincia, iis accensenda, quibus nihil natura negauit, quod ad vitam, cum opportunitate degendam, pertinet, modo humani cultus diligentia accesserit. *Triticum* præstantissimum illud, & quod farinam optimæ notæ præbet, in agro *Galgotzienſi*, *Tapolcſanenſi*, *Szenitzenſi*, *Vágh-Ujhelienſi*, & *Verbouienſi*, collino situ, prouenit: reliqua regio, quæ campestris est, tritici quidem vbere fructu lætatur; sed quod gluma crassiori est, neque medulla proba adeo. *Siliginem*, nulli non situs ferunt. Loca alia, sola *auena* delectantur; illa nimirum, quæ solum habent exsuccum, & minus fausti positus. Quale fere est intra montes retrusum, in *Walaſzkó-Bela*, vbi ne auenam quidem, intempestiuæ pruinæ, sinunt matureſcere. Cecinit, regionis vbertatem, NICOLAVS OLÁHVS (*f.*) in epistola, quam ad *Kábaium* suum dedit:

campestre felicius:

regionis laus & fegetes.

Est, inquit, *locus Hungariæ, Cereri ſacratus alumnæ,*
Matthæo *veteres hoc tribuere ſolum.*
Nitria *cum* Vágo, *celeri quam proluit vnda,*
Intrantes Hiſtrum *quisque fluore ſuo.*

§. IX.

Vini prouentus:

VIni præterea eximius est prouentus, quod passim gignitur, ea profecto bonitate, quam in illis montibus, haud exſpectaueris. Celebrantur in primis, colles viniferi, vt eos ex alpha-

vineta celebriora:

f.) Apud TIMONEM, ad annum MDXXX.

phabethi ordine recenseamus: *Atrakienſes*, *Berentſienſes*, *Boynenſes*, *Buſthanenſes*, *Cſejtenſes*, *Cſornokienſes*, *Emükienſes*, *Fornóſzegienſes*, *Galgotzienſes*, *Kakasfaluenſes*, *Kelemenfaluenſes*, *Kérienſes*, *Kunouienſes*, *Kürthenſes*, *Nitrienſes*, *Oreſſanenſes*, *ſiue Tót-Diósenſes*, *Pógranienſes*, *Radoſtuienſes*, *Rowenſcenſes*, *Semptienſes*, *Soboſtſichtenſens*, *Szent-Pétrenſes*, *Tót-Sókienſes*, *Udvarhelyienſes*, *Ujhelyienſes*, *Ürményenſes*, *Vásárdienſes*, *Verbouienſes*, *Wilkoczenſes*, atque *Zobrienſes*. reliqui. Neque tamen, quos recensuimus, colles, vinum omnes fundunt, æque probum. Nam, *aliud* quidem, agresti tantum palato se probat; aliud, notæ præstantioris est; atque vrbanis etiam conuiuiis idoneum; denique aliud, ne mensas quidem refugit vnctiores. *Ujhelienſi* profecto, ea laus tribuitur, quæ *Budenſi*, *Agrienſi*, *Szekſzárdienſi*, aut rubello alii. Duplicis enim *generis* vinum prouenit, *rubrum*, & *album*. Illius, maior est adprobatio, æstiuis potissimum mensibus, cum potus adpetentia fit ardentior; istud, vulgarius habetur. Idem, & de *Cſejthenſi*, quod de *Ujhelenſi*, dictum velim. Raro autem, vina, nostrates isti, senescere volunt; siue, quod ægrius toleratura essent ætatem; siue, quod vulgus recentibus magis delectetur. Atque, sunt omnino, in vulgo, fastidioſi adeo palati homines, vt cicutam se bibituros putent, si vetustum vinum potandum sit. quod ego consuetudini illi tribuo, dum mustum, ante quam in vinum deferbuerit, auidissime ingerunt, *Liberi Patris* alumni: hinc nauseant postea, quidquid vetustatis aliquid, seu odore præferat, seu sapore; coloris, qui est in vino κρίσιμον haud contemnendum, penitus incurioſi. Quia præterea, hordei ferax est regio, lupulique, nullum facile vicum reperias, cui non sit *cereuiſiæ* coctura, vario, vti fit, successu. Commendatur præcipue *Priuidienſium*, *Vág-Ujhelienſium*, & *Wittenczienſium*, in isto potus genere adparando, cum diligentia, tum felicitas. Ab his, qui *Cereris*, quam *Bacchi* donis, delectantur magis, *Martialis* potissimum *Priuidienſis*, ingenti gustus adprobatione, bibitur. Genus est cereuisiæ, mense fere *Martio* excoctum, & vulgari illo pinguius, quia vberiore polenta, lupuloque, decoctum; sed ideo crassum, & facile tentaturum caput, neque, nisi his salubre, qui stomacho sunt vegetiore. Salse, non nemo, *Priuidienſium* huic potui, *Henrici Abricenſis* Nortmanni, HENRICI III. Angliæ regis poetæ, versus adfricuit:

cereuiſiæ coctura:

Neſcio quod Stygiæ monſtrum conforme paludi,
Creuisiam *plerique vocant*, *nil ſpiſſius illa.*
Dum bibitur, nil clarius eſt dum mingitur, vnde
Conſtat, quod multas feces in ventre relinquat.

Est & *Szenitzenſi*, atque *Szobotiſchtenſi*, laus quædam saporis eximii. Intra montes, ea circum regione, vbi *Bela* vicus consedit, insalubrem coquunt & foeculentam; tametsi, ob vini inopiam; probatissimam deberent. At, vbi vini copiosior est reditus, *cereuiſia* negligentius habetur, neque, nisi ab his bibitur, quibus paupertas leges tulit parsimoniæ. *Vino* denique *factitio*, montium incolæ, non ipsi modo de-

le-

lectantur, sed aliorsum etiam auehunt, quæstus faciundi caussa; nescio, an semper bono cum fructu: quippe, tantum de panis copia, suis detrahentes, quantum frumenti, impendiosa illa arte, prodigitur.

§. X.

Hortorum cultus:

EX his, quæ dicta sunt, coniici posse existimamus, cum vinearum operis, hortorum cultum, coniungi a *Nitriensibus*. Varie autem hos instruunt. Nam, agrestes quidem, in ea re, non tam cultui student, quam vtilitati. Proinde, beatos se putant, si vulgaria illa, & vbique obuia, fructuum, herbarum, radicumque genera, in hortis queant habere. *Pomum* nempe serunt, *pyrum*, & *prunum*, quæ quidem arbores, passim ad eam vbertatem inualescunt, vt habeant incolæ, præsertim solertiores, quod, & suis vsibus sufficiat, & alienis. Reliquus hortorum prouentus, totus, ad domesticos vsus destinatur. Nisi, quod *brassicarum*, lætior alibi procreatio, agresti cuidam mercatui, locum faciat. Nempe, vbi pro soli ingenio, oleris genus, nostrorum mensis familiarissimum, felicius increuit, huc cum curriculis aduentat, quos eo anno prouentus iste fraudauit. Emunt autem, singula centena capita, nunc minori, nunc maiori etiam pretio, raro autem vltra numos quinquaginta. Isti rusticorum fuere horti; neque alia fere nobilium est ratio, quam quod *ii*, cultum soleant adhibere, paullo exquisitiorem. *Viridaria* vix alibi repereris, quam vbi heri prætoria habent, aut æstiuos secessus. Alioquin, vbi vitem alunt colles, hic, & fructuum hortensium (nisi eos cæli iniuria diminuerit) ingens copia esse consueuit. Hoc in primis laudi est *Nitrienſi* regioni, quod *crocum* ferat nobilissimum, & cilicio cuiuis anteponendum. Egregia, in eo conserendo, solertia, *Veszteneziensis* (*g.*) cum primis, versantur, quod postea collectum & resiccatum, passim, & per vicinas regiones, diuendunt: eo vsi compendio, vt, quod præclaræ huius mercis, domi non sufficit, id *Viennæ* comparent, posteaque per fora, vicosque circumferant. Illud miramur, croci hunc prouentum, non propagari a *Nitriensibus* vlterius, cum palam sit, raro operas, quæ impenduntur, frustrari, solum autem *Hungaricum*, quin pluribus locis, huic cultui idoneum sit futurum, nullum est dubium. Itaque, exilimo, laboriosum, culturæ istud genus, videri nostris hominibus: quippe, quod curam requirat adtentiorem, cum in bulbis pangendis, tum, in fructu, vbi matureſcere cœpit, colligendo.

fusticanus:

exquisitior:

croci praestantia.

§. XI.

Res pecuaria Nitriensium.

EXimia hæc sunt omnia; neque deterior, quæ ad expromendum restat, *res pecuaria Nitriensium*. Variat ea, pro situum regionis diuersitate. Montes enim, pecus enutriunt, exilius, versicolor,

g.) De huius *Croci* cultu, data opera, in, de *Re Rustica Hung.* P. II. Cap. I. §. 16. agemus. De *Cilicio Croco*, vide PLINIVM, Lib. XXI. Cap. VI. COLUMELLAM Lib. IX. Cap. IV. 4. edit. GESNERI, pag. 667.

sicolor, & male detortis curtisque cornubus, inficetum; fructuosum tamen, & cum labori agresti tolerando, tum fundendo etiam lacti, & cogendo butyro, idoneum. Caussam rei, alibi dedimus. Quæ hæc fere est; quod montanum pecus herbis, fœnoque vescatur teneriore, quam campestre illud, cureturque etiam impensius. Eadem, & *equorum* ratio est. Maxime familiares montibus Nitriensium, *oues* sunt, minutiores illæ, Hungaris *Bohemicæ* dictæ. Quas, qua diligentia alant, non adtinet recensere, cum id in reliquis huius tractus Comitatibus, cum cura iam fecerimus. Qua montes, in nemora subsident, pecus generosius esse incipit, neque tamen *Hungarico* illi suppar. Infra *Nitriam*, campestribus, circa *Ujvarinum*, locis, felicior pecoris prouentus est. Nimirum, tota ea regio, *Jatton* præcipue, *Esterházíorum Comitum* prædium, pingui gramine lætatur, estque armentorum *non* minus patiens, quam campestris *Hungaria*. Quia enim, superioribus bellis, ager *Ujvarino* circumfusus, longe lateque euastatus fuit, quidquid illic vicorum erat, in solitudines abiit. Quas nostri *prædia* vocant, eo quod, heris, ad quos pertinent, prædiorum vices præstent, eo vsque, dum nouis coloniis instaurentur. Itaque, desolata, ad eum modum, regio, pascuis reddita est opportuna. Hic vero, non domesticum modo pecus, sed mercatorium etiam, & quod, partim in *Moraviam*, partim *Viennam* propellitur, hginari solet. Quidquid enim *Posonienses*, *Tyrnauienses*, & vicinarum vrbium, lanii, in mercatibus *Vaczauiensibus*, *Pestiensibus*, atque *Szegediensibus*, pecoris coemere, isthuc compellitur, abigendum, vbi id mercatuum rationes suaserint; tametsi, iam pascuus ager, arctior esse incipiat, quod vici passim constituuntur, quorum territoria multum demunt ex ista opportunitate: hoc vero, an sit cum publici quæstus vtilitate coniunctum, alii dispiciant.

§. XII.

Metallorum vestigia:

RElIquæ, prouinciæ *Nitriensis*, commoditates, modici, aut nullius fere sunt prouentus. Huc equidem venas metallicas retulerim, passim notatas, sed hucusque, aut neglectas, aut cultas remissius. Ad vicum *Csæwoy*, operas huiusmodi, ante complures annos, inchoauere, qui eius agro potiuntur. Mons est editissimus, que actis cuniculis, atque depressis puteis, cauabant, ob mineras auri argentique. Has, vbi in officinis, quibus *Hámry* nomen, perpurgauere, qui sunt operis destinati, ad vrbes montanas deuehebant, liquandas illic, & in moneram procudendas; at quo reditu, non habeo dicere. Si proverbio *Csæwoyensium* fides adhibenda sit, oportet omnino montem laudatum, auri argentique diuitem esse. Aiunt enim, sæpe lapidem, in bouem, loco pellendum, iactum, pretii maioris esse, quam iumentum, cui impactus est. Quidquid eius sit, *Csæwoyensium* certe operæ hæ, quod non reddebant impensas, desertæ sunt consulto. Illud negari haud potest, reperta aliquando esse auri [illegible] virgulta, etiam extra fines *Csæwoyensium*,

ſium, in agro *Koſtelnenſi*. Nempe, anſerinos pullos, extra vicum, ancillula, ex more paſcebat. Quas dum garritu laſciuientes, ſolito longius, per nemoris gramina ſectatur, in culmum incidit, micantem eum, atque e ſaxi rimula pullulantem. Ignara, quid eſſet rei, culmum euellit, & ad herum ſuum, vici *Parochum*, defert. Ille, vti erat chymiæ gnarus, locum veſtigat ſollicitiſſime, neque tamen, ob puellulæ incurioſitatem, amplius reperit: aurum interea, igni exploratum, puritatis, quaſi multa arte excoctum eſſet, prorſus eximiæ fuit, ac pene incomparabilis. Etſi autem, ex natiui huius auri fructibus, non ſemper argui poteſt, diuites illic venas, vbi ſuccreſcunt, latere; eſt enim id fallax oppido indicium; ſicut hoc, ad collem *Vetuſolienſem*, aureis ſatis famoſum, (*b.*) docuimus: tamen, non omne prorſus, locis huiuſmodi, metallorum ſeminium, ſaltem halitus, iis concipiendis idoneos, temere negaueris. Ad foſſilia cetera, *cretam*, & *rubricam* referimus. Quorum magna copia ad vicum *Banka*, thermis *Poſtinenſibus*, aduerſa *Vagi* ripa oppoſitum, erui ſolet. Illic, & lapicidina eſt, egregii reditus: probantur enim, lapides hic cæſi, architectis. Sunt, & in agro *Szobotiſchtenſi* venæ cretaceæ, in profundis collium hiatibus, eo itinere, quod ex oppido, ad arcem *Berencs* deducit. Neque dememiniſſe decet, inſignis antri, quod in monte, thermis *Poſtinenſibus*, & vico *Radoſſin*, interpoſito, pone viam, aperitur. Inſignis eius eſt capacitas: quippe quæ, XXIV. paſſus in longitudinem, arctius paullo in latitudinem, protendatur. Concameratio ita facta eſt, vt cellarium referat, ſed adparente tamen naturæ opificio. Solet quandoque, aurigarum eſſe diuerſorium, ſi eos iſta regione, aut nox deprehenderit, aut imber. Certe, gregem CCCC. ouium, commodiſſime capit. Vulgus, *Cſertowá Pecz*, ſeu *furnum diaboli*, ob rei qualemcunque ſimilitudinem, adpellat. Atque hæc, de opportunitatibus *Comitatus Nitrienſis*, dicenda erant.

foſſilia reliqua.

MEMBRVM POSTERIVS POLITICVM.

DE

INCOLIS, MAGISTRATIBVS, DOMINIIS ET FAMILIIS,

Comitatus Nitrienſis.

SYNOPSIS.

Incolæ Comitatus Nitrienſis: *Hungari: Slaui: Germani.* §. I.
Nationum ſingularum mores: Hungarorum: Slauorum: Germanorum. §. II.
Incolarum occupationes: montani, ouilia curant: & rem frumentariam: campeſtres, quid occipiant, quoue fructu. §. III.
Opificum operæ. §. IV.
Supremorum Comitum *axioma, penes* Epiſcopos Nitrienſes: *Magiſtratus reliqui: inſignia prouinciæ.* §. V.
Familiæ illuſtres: nobiles: & ditiones vtrorumque: Bajmoczenſis: Cſejtenſis: Berentſienſis: Korlatköienſis: Holicſenſis, & Saſſinenſis: Jóköienſis: Nagy-Tapolcſanenſis: Galgotzienſis: Nitrienſis. §. VI.

b) Tomo Operis II. p. 379. ſeq.

§. I.



Incolæ Comitatus Nitrienſis.

Ntiquos regionis huius incolas, in vicino *Poſonienſium Comitatu*, (*a.*) vidimus; vt iam eo remittendus omnino ſit lector. Nempe, fuit aliquando, eximia regni *Vanniani* portio. At *Vannio* profligato, in gentium, quaſi diuerſorium quoddam abiit. Manſit tamen, poſt euictos *Marcomannos*, *Quadoſque*, eius poſſeſſio, penes *Slauos*, qui HAJECZIO teſte, lætam vtrinque *Vagi* ripam, late inſederunt, ad ea vſque tempora, quibus ab *Hunnis*, *Auaris*, denique & *Hungaris*, in ſocietatem adſciti, his ipſis gentibus, miſceri ceeperunt. Neque enim, niſi qua montibus horret, regionem hanc, auerſati ſunt *Hungari*. Hinc, a primis ſtatim gentis exordiis, *Hungaros*, campeſtrem huius quoque prouinciæ oram, habitauiſſe, certum eſt: relicto *Slauis*, montano aſperoque, in occidentem & aquilonem, tractu. Itaque, ſunt hodieque in *Comitatu* noſtro, *Hungari*, *Slaui*, quin *Germani* etiam. De *Hungaris* frequentius dicendum hucuſque fuit. *Slauis*, ſubinde *Bohemi*, & viciniores *Moraui*, ſe miſcuerunt: id quod, bello *Huſſitico*, non minus, quam ELISABETHAE, atque FERDINANDI II. temporibus, euenisſe, alibi docuimus. Et reſtat omnino, eius rei documentum penes noſtros *Slauos*, dialectus nimirum *Bohemica*, quam hodieque, per *Morauiæ* confinia, non ſecus loquuntur, ac ſi in media *Marcomannia*, *Bohemiaue*, nati eſſent: quum alias, lingua *Slauorum*, multum abſit a Bohemicæ, cum elegantia, tum etiam copia. In primis, culte, *Slaui Vágh-Ujhelenſes*, & *Szakolczenſes*, loquuntur: quod acceptis in ciuitatem *Bohemis*, tribuendum. Qui FRIDERICO PALATINO, a vſurpatione regni eius deturbato, exſules huc venerant. Reliqua regione, quam colunt *Slaui*, vulgaris eius linguæ dialectus, obtinet. Hæc de *Slaui* certa ſunt. Sed quomodo *Germanos*, huc commigrauiſſe dicamus? non facile reperio. Cauſſas eius rei, in *Comitatu Thuróczienſi*, expoſuimus. Nempe, & mores ipſis, & ingenium, & lingua, propemodum peculiaris, neque *Saxonicæ* dialecto, quæ in vrbibus montanis viget, adfinis eſt. Nolim equidem, in re dubia, audaciter coniectare; ſed tamen, ita exiſtimo; niſi *Saxonum* propagines credamus; quod quam ſit difficile, nunc diximus; forte, non iniuria, origines,

Hungari.

Slaui.

Germani.

a) Tomo I. Operis, Part. general. Membr. II. Politico p. 45. ſeq.

nes eorum, ad *Quados*, priſcos illos prouinciæ habitatores, retulerimus: erant enim *Quadi* priores, ciuitatis *Germanicæ* populus. Habitant autem *Germani*, de quibus ſermo eſt, in limitibus *Thúróczienſium*, & *Barſchienſium*; caput coloniæ *Teuto-Pronæ* habent. Qui, ſi cum adſitorum *Comitatuum*, quos iam nominauimus, confinibus vicis, in vnum corpus cogerentur, ſpeciem, qualiscunque coloniæ, ſaltem reliquias populi alicuius, poſſent referre. Nam, præter *Nitrienſis* huius oræ incolas, apud *Thúróczienſes*, ſeptem vicos habitant; neque forte pauciores, apud *Barſchienſes* fuerint.

§. II.

Nationum ſingularum mores:

Hungarorum:

CEterum, ingenium moreſque, trium, quas recenſuimus, nationum, & iſthic multum habent diuerſitatis. Nam, HVNGARI, quod diximus ſæpius, tenent adhuc, inſtituti veteris imaginem, ſuntque gentilitii decoris, tutatores eximii. Ex bellorum perpetuitate, quæ duobus retro ſeculis, media hac regione, datis ſæpe, acceptisque cladibus, cum *Turcis* gerebantur, hæſit militaris indolis quidpiam, *Hungaris* noſtris, vt hodieque, excelſioris ſint animi, quam reris: viri nobiles potiſſimum, qui referunt omnino, primi, quam reris: ſci moris inſigne decus.

Slauorum:

SLAVORVM indoles, ingenium refert, quale horum eſt, qui montes habitant. Diximus de eo, apud *Poſonienſes*, & alibi. Illi ii ſunt, qui aliquando exercitibus integris reſiſtere, ſaltem remoram potuerunt iniicere; id quod hiſtoria partim, partim noſtra ætas, loquitur. Qui oppida colunt, caſtigati his ſunt mores, conſuetudines multum ferentes elegantiæ, conuictus, cum hilaritate, iucundi; nuptiæ, etiam tenuiorum, ad pompam factæ, pro gentis more, decoram non minus, quam iucundam. Verbo, *Slaui* vrbici, moratiores illi, exemplar quoddam ſunt, vitæ, quantum eius ſperare poſſis, inculpatæ.

Germanorum.

GERMANORVM, hac ora, gens, onerum tolerans eſt, & reipublicæ vtilis. Viuunt paruo, perpetuis laboribus durati, atque, ita rem curant familiarem, quam qui diligentiſſime. Lingua iis aſpera, & ad eum modum comparata, vt diſputari haud poſſit, ruditatisne plus habeat, an incuriæ; apud hos in primis, qui, ab elegantiorum hominum conſuetudine, ſunt ſecreti. Quod nobis, hominum dialectum veſtigantibus, occaſionem illam dedit, cogitare; annon *Quadorum*, qui hic colebant aliquando, reliquiæ ſint dicendi. Quod & ita remur omnino.

§. III.

Incolarum occupationes:

IAm, ſi de incolarum *Comitatus* occupationibus, dicendum ſit aliquid: plerique omnes, diſtinentur agricolatione, quæ, ſicuti late patet, ita hos quidem, res pecuaria, alios frumentaria, vineaticus cultus alios, delectat. Montium incolæ, adtentiſſimi ſunt opiliones. Hinc

montani ouilia curant:

Va-

Valaskó-Bela, nomen accepit, quod nullus illic propemodum inquilinus reperiatur, niſi ſit opilio, hoc eſt, gregis ouium, ſi non herus, ſaltem paſtor. Illis vero, ex caſeo & lana, victum amictumque parari, ex facili coniicias. Certe, qui caſas incolunt ſilueſtres, per editiſſimos colles, hinc atque illinc poſitas, agrum, non quidem remiſſe colunt, at impenſius tamen, greges ſuos curant. Cibus illis, cum lacte, panis hordeaceus eſt, duorum altitudine digitorum, ſpithamæ latitudine. Crederes, toſtum cineribus laganum eſſe, ita depreſſus, & limoſo cortici ſimilis eſt. Gens nuſquam cibi, tametſi craſſi, adpetentior. Haud pauci, offæ genus amant, quod ipſi *Csir* nominant, Aruenſes *Gulaſcham*. Eſt id, ex craſſiore farina, an polenta, ſimplice aqua ſubactum, & igne luculentiore, ad modum bituminis, excoctum. Huius grandem ollam, vbi iam detepuit, lacte frigido, vbertim *perfundunt*, atque veſcentes, cochleari tam grandi, quantum os capere poſſit, auidiſſime ingerunt. Infartum cibum, vel frigida perluunt, vel decocto ſero, quod ex ſitu acorem (*b.*) contraxit. Illis vero cupediis, tam robuſte inualeſcunt, vt ſi occaſio ferat, ne cum vrſis quidem congredi, detrectent. *Opiliones* hi fuere, & quos greges vtiliſſimæ pecudis, oblectant. Qui ſerendis, conſeruandisque frugibus, dediti ſunt, ita anni operas diſpertitas habent, vt nulla ipſis temere, ſine ſua quadam occupatione, diſluat. Quod ager tulit, cutatiſſime cogunt in horrea, atque, quam poſſunt, maturiſſime excuſſum, ad oppidorum mercatus deportant. Sunt, præterea, quibus auium & ferarum mercatura, in lucris eſt. Fit certe, vt feris, & auium ſilueſtrium genere vario, perſæpe, integros currus, conquiſitis paſſim mercibus, onerent, ac *Viennam* deuehant. Immo, non reformidarunt, montium iſti habitatores, *Imperatorem* ipſum, huiusmodi muneribus, honorare. Quod, ſicuti in ruſtico hominum genere, inſolitum fuit; ita, non potuit non prouocare *Cæſaris* benignitatem, iuxta & admirationem omnium. Quin & id cognitum habemus, ouis gallinaceis, currus clathratos impleri, & ad fora *Viennenſium* deuehi: vt *butyri*, *caſei*, *lanaque* præſtantioris prouentum, taceamus. Iſta, gentis laborioſiſſimæ, oppido honeſta, & vtilis in commune, occupatio eſt. Qui ab vrbibus remotius degunt, ſegnius hæc iſtiuſmodi compendia, ſeu poſſunt, ſeu volunt, conſectari. Omnis eis reditus, ex frumento eſt, atque pecude, ſi quam educare potuerunt. Pauci, in campeſtri prouinciæ ora, alendis armentis, poterunt inualeſcere: quod agri pars opimior, plerumque herorum eſt, ideoque, agreſtium vſui ſubducta. Ex vino autem, quam tenues, in paupere, & pecuniarum inope regione, ſint prouentus, nemo non exiſtimare poteſt. Sane, multi, quod improbo labore coegerunt vinum, aut ære exiguo ante, quam maturuerit in doliis, prodigunt, aut, ſi id nequeant, quod ſæpe fit, mutuis id conuictibus, ne plane

et rem frumentariam:

campeſtres, quid occipiunt, quoque fructu?

b.) Sua lingua, *Kyſzli-Zincziza*, vocant, de qua apud *Zolienſes* diximus, Tom. II. p. 398.

ne fugiat, exſorbent. Scilicet, tanti eſt, non habere, quo, cum aliquo fructu redigas, naturæ matris & operoſæ ruſticationis, beneficia atque opes.

§. IV.

Opificum operæ.

AGreſtes hi labores fuere. Non deſunt, qui opificiis, pro regionis ingenio, communibus iis, & vnice neceſſariis, diſlineantur. *Anabaptiſtæ*, aut potius horum reliquiæ, ſingulares ſunt *mechanici*, & illiberalium artium ſtudioſi. Superant eorum familiæ quædam, apud *Sobotiſchtenſes*. Quarum aliæ, *cultros* procudunt, non in eleganter factos, aliæ *ſutrinis*, aut *ſigulino* opere, occupantur. Modeſtum alioquin genus, & nemini facile noxium; ſiue id, ex ſuæ religionis præſcripto faciant, ſiue diſciplinæ, quam ſtrictiorem adfectant, iuſto metu. Apud *Szakolczenſes*, pannus fit, non contemnendæ compagis, ſi ex lana exquiſitiore texatur. Eſt hic, eius opificii numeroſum contubernium; quod valuit aliquando opibus. Nunc, quæ eſt temporum malignitas, pauciores ſuperant, quibus ſuus domi panis pernoctet, ne dicam, perennet. *Privigyenſibus*, præcipua *cothurnorum* laus tribuitur, quos illi ſcite conſuunt, & paſſim, venales per fora, circumferunt, *Teuto-Prona*, pellionum quaſi officina quædam eſt: nam & pelles egregie ſubigunt oppidani, & chlamydes ita fulciunt, vt vix alibi melius. Vt iam, *Miyavienſium* textrinas ſutrinaſque, nuper, ab optimo rege, iuribus donatas peculiaribus, taceamus.

§. V.

Supremorum Comitum axioma, penes Epiſcopos Nitrienſes:

PRouinciæ, quam hucusque deſcripſimus, iisdem legibus, quæ toto regno vigeſcunt, magiſtratus præſunt. Et *Supremorum*, quidem *Comitum* axioma, penes *Epiſcopos Nitrienſes* eſt, ante plura ſecula iis adtributum. Vetuſtiſſima tamen monumenta, paſſim *Comitum Nitrienſium* meminerunt, quos tiara eccleſiaſtica inſignitos haud fuiſſe, conſtat. Huc referas, *Laurentium*, Judicem Curiæ, & *Comitem Nitrienſem*, cuius nomen, in monumento (*c.*) quodam *Varadinenſi*, paſſim reperio. Qui, ſi idem eſt, quem *Catalogus Judicum Curiæ Regiæ*, ad ætatem LADISLAI II. hoc eſt, annum MCLXXII. reiicit, coniici inde poteſt, inſtituto *Epiſcopatu*, quod vulgo GEYSSAE II. tribuitur, peculiares prouinciæ fuiſſe *Comites*; cum *Laurentii* huius ætas, ab inſtaurato *Nitrienſium Epiſcopatu*, tribus tantum luſtris diſſideat. Indidem *Salomonis* quoque, *Comitis de Nitra*, mentio iniicitur, qui ANDREA II. regnante, rebus potiebatur. Adde, ex eodem *Catalogo Judicum Curiæ Regiæ* (*d.*) LAMBERTUM *Comitem Cſanadienſem, & Nitrienſem*, qui ab anno MCCCXVII. vsque ad annum MCCCXXIV. ea

c.) Cui titulus: EXPLORANDAE VERITATIS, per geſtationem ferri candentis, in Adparatu noſtro, ad Hiſt. Hungariæ, Decadis I. Monumentum V. dum hæc excuduntur, *Poſonii* editum.

d.) Adnexus is eſt, Coronæ Hungariæ *Stri de Réva*, auctore *Caſparo Jungerano*, quem citamus ſæpius.

ea dignitate, ſub CAROLO ROBERTO. Potiebatur quem id honoris, ob victum *Matthiam Trentſinenſem*, a CAROLO accepiſſe, colligimus. *Matthias*, inquiunt eruditi Tyrnauienſes (*e.*) *a Lamberto duce, ſic cæſus eſt, vt ne pellem quidem integram referret.* Plures, in diplomatibus reperio, quæ iam non vacat recognoſcere: vt fas ſit exiſtimare, poſtea tempora, *Nitrienſibus Epiſcopis*, eximiorum ſubinde meritorum viris, regum indulgentia, collatam eſſe eam dignitatem, amplam omnino, & faſtigio ἀναντιῤῥήτῳ, haud indignam. Reliqui magiſtratus, a *Vice-Comite*, huius item *vicario*, *Judicibus Nobilium*, & ab *Aſſeſſoribus Tabulæ Judiciariæ*, haud ſecus geruntur, quam id in aliis *Comitatibus* dictum eſt, diceturque, in operis progreſſu, ſæpius. Reſtaurantur magiſtratus, nunc rarius, iterumque frequentius: vix tamen vltra triennium iidem eſſe permittuntur, ita, nimirum ferente lege publica: niſi forte, *in* eos incidiſſent viros, quorum ſpectata, in adminiſtrandis rebus, fides atque ſolertia, inſtaurationem non neceſſariam fecerat. Comitiola prouinciæ, plerumque *Galgotzii*, rarius alibi, celebrantur. quæ tunc indicuntur, quum id adminiſtratio rei publicæ, requirit. *Inſignia* S. LADISLAVM referunt cataphractum, atque, dextra quidem ſecurim militarem, ſiniſtra ſcutum tenentem, *Hungariæ* lemmatibus diſtinctum, qui genu dextro, *Cumano* barbaro, humi proſtrato, innititur. Id quod, virtutis bellicæ documentum præbet. Qua in primis excelluiſſe *Nitrienſes*, ſupra monuimus.

Magiſtratus reliqui.

Inſignia prouinciæ.

§. VI.

Familiæ illuſtres:

ILluſtrium familiarum, nunquam non ferax fuit regio *Nitrienſis*. Et, vt earum quæ deſierunt, nomina taceamus, in primis florent hodie: Comites PÁLFFY *ab Erdőd*; Comites ERDŐDY *de Monyorókerék*; Comites FORGÁCH *de Ghymes*; Comites CZOBOR *de Czobor Szent-Miháły*; Comites NYÁRY *de Bedek*; Comites *de* RÉVA: Barones ZAY; RÉVAY; MAJTÉNII; UJFALUSII; APONII; MEDNYANSZKY; (*f.*) SÁNDOR. Nobilium ad hæc, flos inexhauſtus, quorum decora, quod ea nos latere voluerunt, aliis relinquimus expromenda. Ceterum, illuſtres, iuxta & nobiles familiæ, diſpertitam, in ditiones, regionem, varie poſſident. DOMNIA vulgo dicimus, quæ iam ſunt memoranda.

Nobiles, & ditiones vtrorumque:

I. *Baymoczenſe*, opimum eſt, & non vicorum modo numero, ſed incolarum etiam, in re facienda, adſiduitate; quin, & regionis, per quam ſpargitur, opportunitate eximia, reliquis anteponendum. Nomen, ab arce *Baymótz* inditum, quam ditio ipſa circumfundit. In hac numerantur oppida: *Baymócz, Prividia, Tento-Próna*; vici item inſigniores: *Chrenowecz, Ráſtotſchné, Sebedráz, Koſs, Lazány, Poluſſe, Lehota, Handlowá, Czigel, Tuzina, Lipnjk, Nedozar, Brezany, Gei-*

Baymoczenſis:

e.) In CVRIA IVDICVM Regni Hung. p. 31.

f.) De his vide, Hiſtoriam Comit. Trentſchinenſis Parte Generali, Memb. II. §. VIII. fine. Familias reliquas, ſuis locis memorauimus. Quas ideo ſuperuacuum ducimus recognoſcere.

Geidei, reliqui. Poſt *Thurzones*, in *Pálffyorum* venit poteſtatem, iure primum *hypothecario*, quod a fiſco regio obtinuerant; donec anno MDCCXXVI. iure *hæreditario*, in gentem, multis, de rege & patria, meritis illuſtrem, *Cæſaris* CAROLI VI. indulgentia, ſolemni diplomate, transſcriberetur.

Cſejtenſis: II. *Cſejtenſe*, nec minus late porrecta ditio; ſed inter plures iam pridem diuiſa. Huius ſunt: *Cſejta*, *Ó Tura*, *Varbouia*, & *Brezowa*, culta, laxaque oppida; vici præterea complures, in quibus cenſentur: *Myawa*, *Krayné*, *Wagyocz*, *Koſtelné*, *Podolj*, *Koritná*, *Koſztolány*, *Cſaſzkócz*, alii.

Berentſienſis: III. *Berentſienſe:* olim gentis eiusdem, nunc mire diſcerptum, & arci cognomini ſubſitum. Huc referuntur: *Szenitzium*, & *Sobotiſchtinum*, copioſa oppida; vici item: *Turá-Lúka*, *Werbócz*, *Bukócz*, *Pritrz*, *Kunow*, *Rybky*, *Cſacſow*, *Rohow*, *Chropow*, *Cſaſtokow*, *Rowenſzko*, *Smrdák*.

Korlátkőienſis: IV. *Korlátkőienſe*, cuius caput eſt arx *Korlatkő*, montibus albis, ab occidente, adſita. Accenſentur ei: *Sándorff* oppidum, commoditatis eximiæ, cum vicis: *Leskow*, *Czerowá*, *Rozbeby*, *Jablontza*, *Hluboká*, & vici *Oſuska* pars altera. Eſt id familiæ *Lapſánſzky* de *Lapſi*, cui ab arce *Korlátkő*, celebratum ſcriptoribus nomen, *Korlatkőy* adhæſit.

Holiſchenſis, & Saſſinienſis: V, *Holicſenſe*, & *Schaſchinenſe*, adunatæ Comitum *Czobor de Czobor Szent Mihály*, ditiones, partem maximam, alieno ære obrutæ. Iam, diſſoluto eo, in poteſtate ſunt *Magni Ducis Hetruriæ*, *Ducis Lotharingiæ & Barri*, *Regni Hungariæ Locumtenentis*, STEPHANI FRANCISCI. Feliciter! Pertinent eo: *Holics*, *Schaſchin*, *Ekbel*, oppida. Quæ vici ſequentes circumſident: *Koptſan*, *Unin*, *Letniczy*, *Stráze*, *Radimow*, *Cſary*, *Brodiské*, *Hutské*, *Katow*, *Weska*, *Tynowecz*, *Wydowany*, *Oreſka*, ceteri.

Jókőienſis: VI. *Jókőienſe*, habet, præter *Hradiſto*, vici *Oſuské* partem alteram.

Nagy-Tapolcſaienſis: VII. *Nagy-Tapolcſanenſe*, arci ejusdem nominis admenſum. Tenet oppidum *Nagy-Tapolcſán*; pagos vero, *Tovarnok*, nunc dominii caput, *Podhradie*, *Zéwoda*, *Praſicz*, *Teſzár*, *Witkócz*, *Nagy-Jácz*, *Kuznicz*, *Nemſchicz*, *Aranyos*, ſeu *Zlatniky*, *Weluſchócz*, *Pochabas*, *Nagy-* & *Kis-Vendég*, & *Felső Rédek*.

Galgoczienſis: VIII. *Galgoczenſe*, cum integrum eſſet, ſub *Thurzonibus* primum, poſtea vero ſub *Forgáchiis*, diues erat vicorum. Nunc, reliqua ſui parte diminutum, in poteſtatem *Comitum Erdődy*, conceſſit. Eius ſunt: *Galgócz*, inſigne olim oppidum, dimidia pars oppidi *Pöſtény*, *Neoſtadium* ad *Leopoldopolim*, oppidum item *Bayna*; & vici: *S. Peter*, *Udvarnok*, *Ujlak*, *Vereſvár*, *Berekſzék*, *Páſztho*, *Drakócz*, *Madunicz*, alii.

Nitrienſis. IX. *Nitrienſe*, quod Epiſcopi eſt. Varie id ſpargitur, ſuis ideo locis, huc accenſendum. Quod regionis reliquum eſt, id nobiles poſſident, quorum mentionem, pro eo, ac ſupperent notitiæ, ad vicorum deſcriptionem, ſumus habituri.

PARS

PARS SPECIALIS,

DE

Proceſſibus Comitatus Nitrienſis.

PROOEMIVM.



AMpla hæc, quam generatim deſcripſimus, *Nitrienſium Prouincia*, quinque PROCESSIBVS definitur, *Nitrienſi* nempe, *Ujhelienſi*, *Bajmotzenſi*, *Bodokienſi*, & *Szakolczenſi*, quem & *Szeniczenſem* vocant. Iam ſingulos peragrabimus, arcibus, vrbibus, oppidis, viciſque, pro more noſtro, deſignatis.

MEMBRVM I.

DE

Proceſſu Nitrienſi.

REgionem is habet, partim, *Nitra*, & *Vago* amnibus intercluſam, partim, vltra eos, hinc in orientem, in occidentem illinc, porrectam, eſtque, cum arcibus & oppidis, tum vicis in primis, frequens.

SECTIO I.

DE

Arcibus Proceſſus Nitrienſis.

I. Arx, & Oppidum Nitria.

SYNOPSIS.

NITRIAE *antiquitas: eius Epiſcopatus, inter primos cenſendus.* §. I.

Huius, connexa, cum rebus Moravicis, *fata.* §. II.

Eadem porro enarrantur. §. III.

Quamdiu Epiſcopatus Nitrienſis, *deſertus iacuerit: an* S. STEPHANVS *eius inſtau-*

rator dici possit? auctoris disputatio. §. IV.
Episcoporum Nitriensium *catalogus.* §. V.
Diœcesεos Nitriensis *ratio: ædes cathedralis: Episcoporum palatium: reliquiæ in sacra æde adseruatæ.* §. VI.
Canonicorum *collegium: eius sedes.* §. VII.
Arcis Episcopalis situs. §. VIII.
Prima arcis mentio, in rebus S. Stephani *occurrit, captiuitate* Vazulis *memorabilis: eius, sequutis temporibus, incrementa, & prima, ab* Henrico, *& Salomone, obsidio intentata.* §. IX.
Quæ Matthiae *temporibus arcis fata exstiterint: fit* Casimiri *Poloni perfugium, & laqueus: conciliata inde loco celebritas.* §. X.
Recentiores arcis, & oppidi conuersiones: sub Borskajo: *sub* Bethlenio, *&* Rákóczio: *capitur a Turcis, vindicatur a* Susa. §. XI.
Reliqua loci decora: oppidi habitus, priscus, & recens: PP. Piarum Scholarum *Collegium, Gymnasium, & Nobilium Conuictus.* §. XII.

§. I.

Nitriæ *antiquitas:*



NITRA, & terminatione latina, *Nitria*, arx, *non vetustate minus, quam* situs amœnitate, insignis. Antiquitatem, inde metiri possis, quod iam tum seculo IX. annales, potissimum ecclesiastici, *Nitriæ* meminerunt. Enim vero, circa annum *octingentesimum vigesimum quartum*, non Christi tantum fidem admisit, sed *Episcopen* simul habuit. Et memínit sane, Inchofervs ad annum DCCCXXV. Episcopi *Nitrauiensis*, seu *Nitranensis*, id est *Nitriensis*, cui *Alcuuino*, *Albino*, *Aldeuino*, seu *Aleuino* nomen: varie enim scribitur, vt adparet, ex epistola Evgenii II. Pontificis, quam laudatus Inchofervs, ex *Lazio* recitat. Audiendus in eam rem Bohvslavs Balbinvs (*a.*) *Passauiensis*, inquit, *antistes, Ludouico pio regnante, circa annum Christi DCCCXXVI. nomine Vrsus, vel Trolsus, postulante* Maymaro, *vel* Mœmaro (non Morauiæ totius, sed partis alicuius duce, qui Christianam religionem profitebatur) *duos, e suis, ablegauit, prius episcopos consecratos:* Adelvinvm, *seu* Alevinvm, *&* Methodium; *illum*, Nitrauiensem, *id est Nitriensem, hunc Iulio-Montanum, vt vocat* Aventinvs. *At* Evgenivs *Pontifex, in litteris Apostolicis, Methodium episcopum Speculi-Iuliensem, seu Sorigutturensem, adpellat. Eas vrbes duas, iam pridem, dum Quadi & Daci, ea loca incolerent, episcoporum sedes fuisse, ait* Aventinvs; Evgenivs *vero* II. *Pontifex adfirmat, iam Romanorum, Gepidarumque*

sius Episcopatus, *inter primos censendus:*

a.) Epitome Histor. Rerum Bohemicar. Lib. I. c. III. in notis p. 12. qui locus, cum cura legendus est omnino.

que temporibus, Laureacensem Metropolitanum, septem episcoporum parochias, in iis locis habuisse. Ergo Eugenius, latus hisce Euangelii Christiani progressibus, Trolso Passauiensi, Archiepiscopalem dignitatem restituit, eique, pallio misso, legationem & vices suas, in Pannonia, Hvnnia, *&* Moravia *delegat.* Ista, ex Balbino adduxisse placuit, diligentissimo scriptore, vt doceatur, Morauiæ, ea ætate, adscriptam fuisse regionem hanc, vna cum *Nitria*; vtque simul patescat, ista *Hungariæ* parte, *Episcopatum Nitriensem*, omnium esse antiquissimum.

§. II.

Huius, cum rebus Morauicis, fata.

POst ea tempora, coniuncta erant, toto propemodum seculo, episcopatus nostri fata, cum iis, quæ Morauorum Ecclesiæ, cogebantur subire. Enim vero, *Methodio* priore, natione Illyrio, qui cum *Adeluino*, in episcopen missus erat, anno DCCCXL. mortuo, *Adeluinum* superuixisse oportuit. Interea, dederat molestiæ aliquid, lis inter Episcopos, de limitibus diœceseos, intempestiue coorta. *Leipramus* enim, *Iuuauiensis*, seu *Salisburgensis* episcopus, intellecto, *Passauiensium* præsulem, *Morauis* antistites misisse, palam, inuasos diœceseos suæ terminos, profiteri, atque accusare *Passauiensem* occœpit, tanquam, qui in alienam messem, falcem immitteret. Et effecit sane, suis istis querelis, vt ea templa omnia, quæ *Brynno*, Morauorum regulus, bene multa exædificauerat, ritu solemni, consecraret dedicaretque; quin, missa legatione, a Gregorio IV. summo pontifice, sub Ludovico pio, anno DCCCXXXVI. pallium Archiepiscopale obtinuerit, habueritque, ab eo tempore episcopos *Morauiæ*, puta: *Sorigutturensem*, & *Nitriensem*, suffraganeos. Tunc vero, diuini fratres, Methodivs II. & Cyrillvs, ex *Græcia*, annunciandi Euangelii Jesv Christi, ardore exciti, in *Morauiam* venerunt, tanto sancti laboris successu, vt merita, seu *Passauiensium*, seu *Salisburgensium* antistitum, propemodum oblitterarint; gente *Morauorum* vniuersa, Christo vendicata, constitutis passim episcopatibus, quibus *Welehradensis* Archiepiscopus, (*b.*) Pontificis Romani auctoritate, præesset. Atque istis quidem temporibus, floruisse oportuit *Episcopen Nitriensem:* quippe, gemino iure, ciuili atque ecclesiastico, *Morauiæ* accensam. Interea, dum istis successibus ecclesiæ *Morauorum* increscunt, non potuerunt, hanc tantam, nouorum antistitum felicitatem, & gloriam, præsules, cum *Bauari*, tum *Germani* ceteri, æquo animo ferre. In primis, questus est apud Pontificem, *Hatto Moguntinus*, vti id ex litteris, quas Gevoldvs, & Goldastvs exhibent, liquido constat. Neque potuit *Theotmarus Salisburgensis*, quin litem, olim, ab antecessoribus motam, redintegraret; missis, ad Johannem IX. litteris, quas *Goldastus*, cum fide recitat. Verum, adeo conquisitis querelis istis,

b.) Lege, Baronivm in Annal. Eccles. post annum DCCCLVI. Cromervm Lib. III. rerum Polon. Gevoldvm, in Diplom. Pontif. Lazivm Lib. XII. de Repub. Rom. Denique, Hvndivm in Metrop. Passauiens. atque ex recentissimis, Marcvm Hansitzivm S. I. in Germania Sacra.

istis, nequiuerunt, aduersus pientissimos præsules, proficere, vt iura eorum, his controuersiis, etiam constabiliuerint. Certe, anno DCCCLXXX. *Wichinus*, Nitriensivm Episcopus, qui potuerat omnino *Aldeuino*, cuius meminimus, successisse, non ecclesiæ modo, quam, pro eorum temporum ingenio, docuit, sine querela, præfuit; sed iussus est etiam, *Methodio*, Morauorum Archiepiscopo, a Johanne VIII. Pontifice Romano, subesse; quemadmodum Inchofervs, ad annos DCCCLXXX. & DCCCLXXXIX. meminit. Res est istiusmodi: *Morani*, vna cum regibus suis, inde a seculi huius exordio, religionem Christianam professi fuerant, confirmati postea, a *Methodio*, & *Cyrillo*, fratribus. Aegrius id episcoporum, quos nominauimus, ali qui, tulerunt, accusato simul *Methodio*, quasi ex suo arbitrio, rem sacram, apud *Morauos*, factitaret. Proinde, Romam, a *Johanne* Papa, euocatus *Methodius*, postcaquam doctrinæ suæ rationem dedisset, non modo, ab omni, cum vitæ, tum doctrinæ labe, insons habitus; sed eximiis simul laudibus, a *Morauorum* principe, *Suatopluge*, summo Pontifici, commendatus fuit. Atque, eadem ista occasione, *Wichinus* hic, quem Johannes, in Episcopum ipse inauguraverat, *Ecclesiæ Nitriensi*, præsul datus fuit.

§. III.

Eadem, per vniuersam Europam, turbarum tempora.

Hvcusque intemeratus mansit *Nitriensis Episcopatus*. Quæ, inde ab anno DCCCLXXXIX. sequuta sunt tempora, cum rebus publicis luctuosa, tum in primis *Ecclesiæ* tristia exstiterunt. Arnvlphvs enim, rebus, in imperio occidentali, potitus, cum *Moraviæ* Principem *Suatoplugum*: quippe, cuius suspectam habebat potentiam; sub iugum mittere vellet; *Hungaros*, gentem feram, & a Christo alienam, exciuit. Aderant *Hungari*, sed magno postea, occidentalis imperii, atque ecclesiarum, malo. Nam, cum *Arnulphus* stipendia, quæ pactus fuerat *Hungaris*, bello iam confecto, soluere, aut non posset, aut nollet, tristem, toti Germaniæ, cladem accelerauit. Atque tunc *Morauorum* simul ecclesiæ conuulsæ sunt. Dederat *Arnulphus*, *Suatoplugo*, filium eius, suum ex sorore nepotem, *Swatocopium* successorem, qui demum, siue sua ipsius impietate, siue suorum inductus ferocia, *Methodium*, sancti moris virum, crudeliter insectatus, ex suis ditionibus pellit, quosque habebat *episcopatus*, nefarie lacerat. In his, pars *Hungariæ* cis Danubiana, vsque ad *Granum* amnem, censa fuit, ipseque adeo *Nitriensis Episcopatus*. Itaque, decedendum erat e statione sua *Wichindo*, (*c.*) dum ab Arnvlpho, digna, imperatore Christiano, pietate acceptus, primus vrbe *Passauiensi* donaretur. qui postea, loci eiusdem creatus episcopus, rerum

c.) Legi merentur omnino, quæ de Wichindo isto habet, Casparvs Bruschivs, in tractatu, de *Laureaco Veteri*, & *Patauio* Germanico, ac vtriusque loci Archiepiscopis, ac Episcopis omnibus, Lib. I. pag. 86. sequ. vbi tamen *Nitriensis Episcopatus*, nullam legas mentionem; tametsi ex *Nitriensi*, factus sit *Passauiensis* Episc.

rerum quidem suarum felici vsu est conuersione; sed coniuncta ea tamen, cum occasu, *Episcopatus Nitriensis*.

§. IV.

Quamdiu Episcopatus Nitriensis *desertus iacuerit?*

Ista, sub exitum seculi IX. accidere. Desertus inde iacuit *Episcopatus Nitriensis*, vsque ad tempora, *Christianorum Hungariæ* principum: *Morauis* hinc, illinc *Hungaris*, furentibus: dum gente vniuersa, fidem Christi sequuta, instauraretur denuo. Dubitant aliqui, an id a S. Stephano factum sit; ego, cur id faciam, non reperio; tametsi haud negauerim, serius forte, quod sit, & lentis profectibus, ad eam, qua nunc est, celebritatem pertigisse episcopatum. Atque, ita accipiendum puto, quod in vita Geysæ II. lego: (*d.*) *Nitriensem ecclesiam, e collegiata, cathedralem, dote auctiori facta, constituit, delecto, ad Episcopi munus*, Edvardo, *primo Ecclesiæ antistite*. Nimirum, destinatam *Nitriæ Episcopen*, a S. Stephano, & reditibus quantiscunque donatam fuisse, existimo; sed, quod omnibus ex æquo ecclesiis, haud suffecerit, optimus princeps: sequuti vero eum reges, nunc ciuilibus, nunc externis bellis, distinebantur; destinationem illam, Geysa demum II. A. MCLVII. perfecit. Ita, vt sentiam, plures me rationes inducunt. Ac primo quidem, certum est, S. Stephanvm, in monte *Zobor*, qui Nitriæ, ab oriente brumali, obiicitur, cœnobium excitauisse, (*e.*) antiquissimo *S. Benedicti* ordini, cui *Abbatis* dignitate primus Philippvs præfuit. Colligas vero hinc, non potuisse non meminisse, prisci huius episcopatus, pientissimum Stephanvm, cum vicinos montes, nouo cœnobio, exornaret. Nam, quod ignorarit, sedem heic, prioribus seculis, fuisse *episcopatui*, id vero, vt credam, induci nequeo: tum, quod viros apud se habebat Stephanvs, doctos sagacesque, qui id ei non potuerunt non detexisse; tum, quod ex se, ita solers fuit rerum Christianarum indagator, vt debuerit omnino, vel ipsa fama, pristinum episcopatus florem, cognitum habuisse. Atque, hoc si est, qua veri similitudine, sancto regi, eam negligentiæ notam impinges, vt noluerit, de *episcopatu* hoc redintegrando, cogitare? profecto, non video. Postea, ne hoc quidem nullius momenti argumentum est, quod Gysela, S. Stephani vxor, ædem sacram in arce Nitriensi, *S. Emmerano* dedicatam, & hodieque exstantem, fundauisse, donauisseque iis reditibus, qui instituto illi videbantur necessarii, perhibeatur. Quis vero credet, a femina, vinci se passum fuisse D. Stephanvm, religionis, cui deditissimus fuit officiis? Accedit, memorare Bonfinivm, & ex eo Inchofervm, *Besztertum*, vel *Besztertium* potius, *Nitriensium Episcopum*, qui cum *S. Gerhardo*, *Csanadiensium* primo antistite, eo tumultu, quem Andreas primus, propter auitam superstitionem, concitauerat, cæsum esse, & μάρτυρα factum. Tam vero notum est, quam quod maxime, *Gerhardum*

An S. Stephanus *eius instaurator dici meueatur? auctoris disputatio.*

d.) In Decretis Regum Hungariæ p. 39.
e.) Vide omnino, Eruditos Tyrnauienses, Celebr. Hung. Vrbium, P. II. p. 23.

dum eremo ſubductum, *Epiſcopatui Csanadienſi*, præfeciſſe S. Stephanvm: eccur proinde non credamus, idem & cum *Beſztertio* factum? Illa, opinor, egregie militant, pro noſtra ſententia, ſtatuentium, prima Εκκλησίας Nitrienſis fundamenta, a S. Stephano iacta eſſe, quæ lapſo inde ſeſqui ſeculo, Geysa II. conſummauerit. Sed hæc diſputent alii; nobis ſatis eſt, indicaſſe, quid de re, obnoxia opinionum diuortiis, ſentiamus.

§. V.

Epiſcoporum Nitrienſium catalogus.

VEnimus, in *Epiſcopatus Nitrienſis* opportunam mentionem: vt æquum iam ſit, hiſtoriam eius proſequi ante, quam arcis fata, commemoremus. Inſtaurato, a Geysa II. Epiſcopatu, primus ei præſul, Edvardvs præficitur, anno MCLVIII. Adtigit ætatem Belae III. quemadmodum eſt, in eius diplomate, anno MCXCIII. edito: ſi tamen *Ebrandus*, ſicuti illic legitur, idem ſit, cum *Eduardo*. Tabulæ, ad *Szúlyó*, vicum Trentſinienſem, recognoſcentur. Hunc, quantum eruderare potuimus, exceperunt:

Johannes I. qui floruit anno MCCV.

Vincentivs I. cuius mentionem reperio, in Decreto Andreae II. ad annum MCCXXII.

Jacobvs, ſub eodem Andrea II. anno MCCXXVI. Fundauit *Abbatiam* de *Rupibus*, hodie *Szkalka* dictam, Andrea Hieroſolymitano conſentiente.

Adamvs I. a Tartaris, ſub Bela IV. Hungariam depopulantibus, cæſus, circa annum MCCXLII. De eo accipiendus eſt, Roggerivs, dum cæſos antiſtites memorat, (*f.*) *Eccleſiæ*, inquit, *Nitrienſis Epiſcopus, qui fuerat laudabilis vitæ, & morum honeſtate præclarus.* Nomen *Adami*, haud quidem expreſſit; ſed ipſus eſt omnino.

Nicolavs I. præfuit, Bela IV. adhuc rebus potiente, ad annum MCCLIV. Legas eius mentionem, in diplomate eiusdem regis, quod ille *Andreæ Forgách*, anno MCCLVI. impertiuit; quodque infra exhibebimus integrum, cum in arcis *Ghymes* origines indagabimus.

Vincentivs II. ſedit, vltimis Belae IV. temporibus, circa annum MCCLXXI.

Petrvs I. incidit in Ladislai Cumani tempora, anno MCCLXXX. adhuc ſuperſtes.

Pascasivs, gubernauit epiſcopen, regnante Andrea III. anno MCCXCVI.

Johannes II. ſub Ottone, vel ante eum, ſub Wenceslao, tiara potitus, in primis fidem ſuam probauit Carolo I. quam ob rem, peſſime a *Matthæo Trentſinenſi* mulctatum lego. (*g.*) *Nitrienſem*, inquit, *Eccleſiam, ſepulchrum Diui Zoerardi, ex puro argento optime factum,*

f.) De Deſtruct. Hung. per Tartaros, Cap. XXX. p. 188. edit. *Hongarſiana.*

g.) In vita Caroli I. Decreto eius præmiſſa, in Corpore Iuris Hungarici, p. 45.

Etum ſpoliauit, & depeculatus eſt; ciuitatem ipſam Epiſcopi, primo aſſultu, vaſtauit. Hinc digrediens, Tyrnauia & Schintauia capta, reuerſus Nitriam, turres & mœnia, tegi a conflagratione auſa, ad ſolum vſque decuſſit, diruit. Johanni *Epiſcopo indignatus, propter ſeruatam* Carolo, *fidem, & execrationem, cenſuramque Eccleſiaſticam, qua digne in eum, ob patratum in Eccleſiam & ciuitatem ſuam, adeoque vniuerſam eius ditionem, ſacrilegium, animaduerterat.* Atque hæc quidem, poſt initia regiminis Caroli I. cueniſſe, ex hiſtoria tumultuum *Matthæi*, conſtat: de quo, apud *Trentſchinienſes*, plura.

Benedictvs, ſucceſſit *Joanni*, cum adhuc ſumma cum laude, res Hungariæ Carolvs moderaretur, ad annum MCCCXXX. De hoc amicorum nonnemo, adnotauit ex diplomatibus; veniſſe eum ex *Italia*, ſiue ſua ſponte, ſiue excitum a Carolo, vt partibus chirurgi, apud regem fungeretur. Quod ille munus, ita adminiſtrauit, vt ſatis proderet, obeundo ſacerdotio, ob eximiam doctrinam, idoneum futurum; cui a Lvdovico I. admotus, breui *Præpoſitus*, tandem *Epiſcopus Nitrienſis* crearetur; ſubinde, *Benedictus* de *Italia* vocitatus. Fratris hac fortuna, illecti vterini fui, *Bartholomæus*, & *Nicolaus*, familiam *Deméndy*, haud ita pridem emortuam, condiderunt. Qua de re, in *Comitatus Trentſchinienſis* hiſtoria, ad vicum *Prawoticz*, mentionem habebimus.

Johannes III. Seruarunt *nomen* eius diplomata, anni potiſſimum MCCCXXVI.

Mesko, a *Szentiványio* refertur ad annum MCCCXXX. Anno MCCCXXXVIII. in *Cremnitzienſium* priuilegio, quod a Carolo habent, adhuc nominatur Poſtea, ad tiaram *Veſprimenſem* tranſiit.

Vitvs I. Cancellarius Lvdovici I. peregrinationis, quam *Eliſabetha*, Lvdovici I. mater Romam inſtituit, ſocius. (*h.*) & ad Pontificem Romanum, qui tunc *Auenione* ſedit, ob impetrandam regis Andreae Neapolitani coronationem, (*i.*) legatus. Alioquin, quod *Frater* paſſim adpellatur, monachum fuiſſe oportuit.

Stephanvs I. (*k.*) habemus eius mentionem, in Decreto Lvdovici I. ad annum MCCCLI. ac poſtea, in diplomate, quod idem rex indulſit *Regiomonto*, vrbi metallicæ, ad annum MCCCLV. Meminit eiusdem Spondanvs quoque, ad annum MCCCLXVI.

Ladislavs I. adtigit, felicia, Lvdovici I. tempora. Anno MCCCLXVIII. infula *Veſprimienſi* poſtea donatus.

Dominicvs I. Frater. Reperias eius indicium Decreto Mariae, ad annum MCCCLXXXIV. Sunt, (*l.*) qui ordinis *Dominicani* fuiſſe credant, argumento, ex eius nomine, ducto.

Vitus II. vulgo, ad annum MCCCXC. hoc eſt, initia imperii Sigismvndi refertur.

Mi-

h.) Vid. Thvróczii Chron. P. III. c. IV. p. 94. 30.

i.) Bonfinivs Dec. II. Lib. X. p. 327; 47.

k.) Annal. Eccleſ. ad eundem annum.

l.) Vide Ferrarivm. P. III. Hiſt. de Reb. Hung. & præcipue Lib. I. c. V. p. 412.

Michael I. Vito succeſſit, anno fere MCCCXCV. præfuitque eccleſiæ, difficillimis Sigismvndi rebus.

Petrvs II. Legitur eius nomen, in tertio, Sigismvndi regis, decreto, quod is, anno MCCCCV. condidit.

Hinco, præficitur *Nitrienſi Epiſcopatui*, ſub ipſa belli *Huſſitici* initia, hoc eſt anno MCCCCXIX.

Georgivs I. *de Berzentze*, (*m.*) nominari eum video, in Decreto Sigismvndi ſexto, nempe ad annum MCCCCXXXV.

Dionysivs *de Széch*, ad tiaram *Nitrienſem* admiſſus, breui poſt, infulam *Agrienſem*, inde, *Archiepiſcopatum Strigonienſem* adiit.

Nicolavs II. potiebatur rerum, anno MCCCCLVI. cum Ladislavs IV. regno præeſſet.

Thomas I. *de Debrethe*, de eius pontificatu, diſerte legas, in decreto Matthiae Corvini, quod is anno MCCCCLXIV. *Budæ* edidit.

Gregorivs II. frater, monachus religione, quem Matthiae Corvini decretum ſextum, iſthoc gauiſum fuiſſe axiomate, memorat, anno MCCCCLXXXVI.

Gregorivs III. adiit axioma epiſcopatus, extremis Matthiae Corvini annis, ſcilicet anno MCCCCLXXXIX.

Antonivs, vir, rebus geſtis, & legationibus, quas obiit, clarus, ex *Præpoſito Poſonienſi*, Nitrienſium *Epiſcopus*. Legitur eius nomen, in Wladislai decretis, puta, A. MCCCCXCII. A. MCCCCXCV. A. MCCCCXCVIII. A. MD. Mittitur a Wladislao rege, ad (*n.*) Alexandrvm VI. Papam, nuper ad id culmen euectum, vt ei, non *Hungariam* modo commendaret; ſed auerſum ſimul regis animum, i nuptiis *Beatricis*, *Matthiæ Coruini* viduæ, teſtaretur. Inde, *Neapolim* quoque diuertit, &, quam ob rem *Beatricem* in matrimonium ducere nequeat Wladislavs, *Ferdinando* Neapolitano, expoſuit. Quin & in *Poloniam* ablegatum fuiſſe, apud Bonfinivm relatum eſt. (*o.*)

Nicolavs III. *de Bachka*, ex Tranſiluanienſi (*p.*) huc excitus. Inſedit *Nitrienſem* Epiſcopatum, ſub eodem Wladislao, anno MDI. vix triennii ſpatio, ea dignitate potitus.

Stephanvs II. *de Szathmár*, Perſonalis præſentiæ regiæ. quem Szentiványi ad annum MDV. refert, cum ad MDIII. debuiſſet.

Sigismvndvs Thvrzo incidit in annum (*q.*) MDIV. teſtante id, Decreto Wladislai quarto, quod eodem anno promulgauit. Hinc, ad *Epiſcopen Varadienſem* acceſſit, in cuius catalogo, ad annum MDVI. relatum reperimus.

Stephanvs III. Podmaniczky. Decretum Wladislai A. MDXIV. editum, de *Podmanin* vocat, quomodo & in *Operis Tripartiti* conclu-

m.) Sphalma eſt apud Szentivanivm, dum, de *Borencze* adpellatur.
n.) Istvanffyvs, Lib. II. p. 23, 17, & 25.
o.) Bonfinivs Decade V. Lib. V. p. 731, 16.
p.) Vide Clauſulam Decreti Vladislai, anni MD.
q.) Emendandus ergo iterum eſt Szentivanyi, cum ad annum MDXIV. referens. Confer, de Sigismvndo iſthoc, Stemmata Operis Heraldici P. II. p. 372. & qui hunc citat, Joannem Sinapivm, Curioſitatum Silefiacar. P. I. p. 977. Vidimus, dedicatas ei, ab Aldo Manvtio, Epiſtolas Ciceronis famil. minuſcore form.

cluſione, vocatur. Szentiványi, *Perſonalis Præſentiæ regiæ, in Judiciis Locumtenentem* fuiſſe, dicit: anno MDXXX. fato functum, aliqui perhibent.

Vacauit inde *Epiſcopatus Nitrienſis*, vltra duo luſtra, potiebaturque ſacra iſta ditione, *Valentinus Török*, vir, manu quidem fortis, ſed profanus tamen, qui, ad eum vſurpandum, a Johanne *de Zápolya*, immiſſus fuiſſe legitur. Ferdinandvs I. poſtea, vbi dominationem ſuam, & bello, & pace, in Hungaria conſtabiliuiſſet, arcem, cum ditione vniuerſa, excuſſo prius ex eius poſſeſſione *Valentino, Alexio Thurzoni*, pignori oppoſuit: ſicuti in tabulis teſtamenti, quod condidit *Alexius*, reperio. Tandem, lucroſi compendii, quemadmodum fas eſt credere, cauſſa:

Franciscvs I. *Thurzo*, in epiſcopatum ſucceſſit, anno, aliis quidem, MDXLII. *Szentiványio* autem, MDXLIV. qui eum *Locumtenentem* Maximiliani vocat. Cameræ Poſonienſis *Præfectum* fuiſſe, dubitatione caret. (*r.*) Anno MDLXXIX. migrato pridem Epiſcopatu, viuere deſiit. De hoc, in hiſtoria arcis *Aruenſis*, cumulatiora. Iſtud ſilendum haud eſt, habuiſſe in pignore, arcem, & Epiſcopatus Nitrienſis ditionem omnem, quam ei, Alexivs I. Thvrzo, teſtamento legauerat: quippe, a Ferdinando I. eodem iure acceptum. Id vero, cuius nunc meminimus, quam fuerit Epiſcopatui damnoſum, ex facili poſſis opinari.

Pavllvs Bornemisza a tiara Tranſiluanienſi depulſus, Nitrienſem A. MDLVII. adiit. Erat, toto quadriennio *Locumtenens* Rvdolphi. qua ille dignitate, ſenio confectus, annum enim LXXXVII. adtigerat, vltro ſe abdicauit, anno (*s.*) MDLXXI. octennio poſt hoc eſt A. MDLXXIX. fato ſuo functus.

Zacharias Mosóczy, epiſcopus primo *Tinninienſis*, ad annum MDLXXIII. poſtea *Váczienſis*; (*t.*) A. MDLXXX. Denique *Nitrienſis*, A. MDLXXXII.

Stephanvs IV. *Fejerkövi*, huc a Szentiványio inferri iubetur, quem id dignitatis, poſt *Veſprimienſem Epiſcopatum*, cui adhuc anno MDLXXXII. moderabatur, adiiſſe, credamus oportet. Præfuit (*u.*) *Cameræ Poſonienſi*, anno MDLXXXVII. Plura de eo, in *Archiepiſcopis Strigonienſibus*, dicant alii, qui eum laborem occuparunt.

Stephanvs V. *Jerzeviczi*, ex Epiſcope *Veſprimienſi*, in *Nitrienſem* deductus, A. MDLXXXVIII.

Franciscvs II. *Forgách*, magnarum virtutum præſul, qui cum tiara *Nitrienſi*, Regni *Cancellariatum*, felici nexu coniunxerat, anno MDCVI. breui poſt, *Archiepiſcopatu Strigonienſi*, & ſacra purpura, potitus. Dedimus eius hiſtoriam alibi. (*v.*) Iſthic, diplomatis verba,

r.) Vide Tomo I. Hiſt. vrbis Piſonienſis, Cap. V. Art. V. p. 451. num. III.
s.) Istvanffyvs Lib. XXIV. pag. 523, 8. vbi *Paulus Abſtemius* dicitur, quod Hungarice eſt *Bornemiſza*.
t.) Adi Tomum III. in Hiſt. Epiſcopor. Vaczienſium, ibique Zachariam, inter numeros XLVII. & XLVIII. interſere, p. 129. quippe intempeſtiue illic omiſſum.
u.) Tomo I. in Hiſt. vrb. Piſonienſis, Cap. V. Artic. V. §. XI. p. 451. num. VII.
v.) Operis huius Tomo I. in Hiſt. vrbis Piſonienſis, Cap. V. Artic. VI. §. XVI. ſequ. p. 495.

quo FERDINANDVS III. gentem FORGÁCH, anno MDCXL. honeſtauit, adſcribenda putamus. Ita vero habent, quæ ad laudes FRANCISCI adnent: *Hic vir, cum primis, in omnibus ſcientiarum facultatibus diſer. tiſſimus, & exercitatiſſimus, varia in regno beneficia, & quidem ann MDXCVI. Epiſcopatum* Veſprimienſem, *anno vero quingenteſimo nona geſimo nono, ſupra milleſimum* Nitrienſem; *ex poſt etiam anno MDC decimo,* Archiepiſcopatum eccleſiæ metropolitanæ Strigonienſis *adeptus ac cum laude ſuſtinens, tandem, ob excellentes animi ſui dotes, in ſa crum quoque* Cardinalium Collegium *recipi meruit, ſicque virtutum gl ria ſtipatus, & optimis erga patriam & reges ſuos meritis clarus, ad ĩ luſtrandam ſuam familiam, multum nominis & ſplendoris adiecit.* Hactenus diploma. Quod integrum dedimus apud *(x.)* Neogradienſes.

DEMETRIVS *Náprágy*, poſteaquam aliquantiſper iſthic rebus præfuiſſet, *Archiepiſcopatum Colocenſem* obtinuit, *epiſcope* Jaurienſi ſimul adminiſtrata, ſicuti eſt in Decreto MATTHIAE II. ad annum MDCVIII.

VALENTINVS *Lépes*, ex *Epiſcopo Tininienſi*, (*y.*) Anno MDCVIII. *Nitrienſium* (*z.*) præſul, Cancellarius regni, poſteaque *Archiepiſcopus Colocenſis.* (*a.*)

JOHANNES IV. *Telegdy*, adminiſtrator Epiſcopatus *Nitrienſis.* Fit *Colocenſis Archiepiſcopus*, vti eſt in Decreto anni MDCXXV, (*b.*)

JOHANNES V. *Püsky*, acceſſit ad *Nitrienſem* infulam An. MDC XLVII. poſtea *Epiſcopus Váczienſis, Jaurienſis* item, & *Archiepiſcopus Colocenſis*, indicibus Decretis, ſecutorum annorum.

GEORGIVS IV. *Szeleptsény* ab anno MDCXLIX. quam poſtea dignitatem munere *Cancellarii* ſimul perfunctus, cum *Archiepiſcopatu Colocenſi*, ac denique iſtum, cum Strigonienſi, LEOPOLDI Magni indulgentia, permutauit.

LEOPOLDVS *a Kollonits*, anno MDCLXVIII. Geſſit & *Cameræ Poſonienſis* præfecturam. Poſtea *Jaurienſis* epiſcopus, denique *Strigonienſis* pontifex, & *Cardinalis.* Memoriam eius, ac decet, recoluimus alibi. (*c.*)

THOMAS II. *Pálffy* Anno MDCLXXI. *Regni Cancellarius* & Capituli Poſonienſis *Præpoſitus.*

JOHANNES VI. *Gubasóczy*, poſt Quinque Eccleſienſem & Veſprimienſem, *Nitrienſi epiſcopatu*, A. MDCLXXX. ſimulque *Cancellarii* dignitate auctus.

PETRVS III. *Korompay*, poſteaquam *Váczienſi* & *Agrienſi* Epiſcopatibus, præfuiſſet, fit præſul *Nitrienſis*, & regni *Cancellarius*, quemadmodum adparet ex Decreto anni MDCLXXXVII.

JACOBVS II. *Hasko*, cum aliquantiſper pontificatum *Nitrienſem* geſſiſſet, inuſitato exemplo, præſulatu ſeſe abdicauit.

BLA-

x.) Eodem hoc Tomo IV. p. 36.
y.) Vide pacificationem Viennenſem.
z.) Concluſione Decreti MATTHIAE II. anno MDCVIII.

a.) Tomo III. in Hiſtoria Archiepiſcoporum Colocenſium, inter num. XXXIX. & XL. collocandus, p. 576.
b.) Vide Tom. Operis huius III. p. 576.
c.) Tomo I. Operis p. 528. ſequ.

BLASIVS *Jaklin*, dignitate eadem, toto luſtro potitus, fit ſimul Regni Cancellarius, A. MDCXC.

LADISLAVS II. *Matyaſóffsky*, iniit Epiſcopatum, anno MDCXCVI. quem, cum *Cancellarii* munere, diutius geſſit.

LADISLAVS ADAMVS II. *e Comitibus Erdódy*, acceſſit ad pontificatum *Nitrienſem*, anno MDCCVI. cum quo, axioma primum *Vice-Cancellarii* regni, tunc & *Cancellarii*, coniunctum, egregia animi moderatione, ſuſtinuit, legatione *Polonica*, iuſſu CAROLI VI. A. MDCCXXII. perfunctus. Moritur, anno MDCCXXXVI. menſe Aprili. Succedit ei,

JOHANNES VII. ERNESTVS e Comitibus S. R. I. *ab Harrach in Rohrau*; indulgente CAROLO VI. Potitur tiara A. MDCCXXXVII.

§. VI.

Diœceſeos Nitrienſis ratio:

ISTA, de *Epiſcopatu* dicere habuimus, ſtrictim quidem, & in compendio, ne, ſeu oneremus lectorem, ſeu ignarum dimittamus, earum rerum, quæ ſunt tamen, & memoratu dignæ, & ſcitu iucundæ. Cæteroquin, *Diœceſis* ipſa, neque nimium laxa eſt, neque arcta admodum. Nimirum, præter *Comitatus Nitrienſis* partem eximiam, vniuerſum *Comitatum Trentſchinenſem*, ambitu ſuo complexa eſt.

ædes cathedralis:

Ipſa cathedralis eccleſia, arcem inſedit, a *Gyſela*, S. STEPHANI coniuge, fundata, & *S. Emmeramo dedicata.* Opus, pro eorum temporum ingenio, oppido magnificum, ſed poſtea, iniuriis *Matthæi Trentſchinenſis*, male foedatum. Adhuc, vetuſta auri & argenti ſupellectile diuitem aiunt, qui (*d.*) eius meminerunt. Quod in tantis conuerſionibus, habet omnino permultum admirationis. Ad ſacræ ædis occidentale latus, *Epiſcopale* adſedit palatium, haud quidem anguſtum illud, ſed laceratum tamen bellis, cum Turcicis, tum etiam ciuilibus. Quocirca, a nupero præſule, LADISLAO ADAMO, *e Comitibus Erdódy*, nouis, iisque pro habitu præſentium temporum, magnificis ſubſtructionibus, redditum eſt multo auguſtius. Proſpectum in meridiem habet, qua ſe in campos regio diffundit; in aquilonem, qua ſenſim montes adtolluntur.

Epiſcoporum palatium:

reliquiæ in ſacra æde aſſeruatæ.

Ad decus, cum ædis ſacræ, quam nitidiſſime inſtaurauit idem *Ladislaus Adamus*, tum arcis vniuerſæ referunt, quod *Sanctorum, Andreæ*, & *Benedicti*, oſſa habeat, ſplendidis olim ſepulchris depoſita; ſed, quæ *Matthæus* ille *Trentſchinenſis*, ſub *Joanne II.* epiſcopo, vti ſupra monuimus, exſpoliauit. Fuit, nimirum, *Andreas Zörardus*, natione *Polonus*, vir inuſitatæ abſtinentiæ, morumque intemeratorum. Qui e patria illuc profectus, primus, poſt conuerſos *Hungaros*, eremum inſtituit. De eius morte, in annalibus *Eremi-Cœnobiticorum* (*e.*) hæc lego: *Mortuus in territorio* NITRIENSI, *ad ædem S. Emmerami* ſe-

d.) R. P. SZENTIVANY, Diſſert. Paralip. Rer. Hung. memorab. Catal IV. p. 28. & Tyrnauienſes Erudit, Celebriorum Hungvrbium, P. II. p. 22.

e.) Lib. II. c. I. p. 56. vbi & miracula eius memoriæ prodita reperias, atque p. 57. aduerſus SYRIVM diſputationem, non *Benedictinis*, ſed *Eremitis*, ſanctum eum, accenſendum eſſe.

ſepultus, diu miraculis clarere non deſiit, in cuius corpore, catena ferrea inuenta, qua cute foris obducta, & putrefacta intus carne, ipſa viſcera adtingeret, quod martyrii genus, niſi ad vmbilicum, ligati metalli nodus aperuiſſet, omnibus manſiſſet incognitum. Soluta vero catena, dum corpore extraheretur, eliſarum cum violentia, coſtarum, ſonus audiebatur. Seruatur hucuſque in Baſilica cathedrali, memoria eiusdem ſancti, vna cum catena, & bacillo, globatim inciſo, quo idem, Rosarii *loco vtebatur.* Iſta inibi. Alter Benedictvs, Dalmaticæ fuit originis, idemque *Andreæ* diſcipulus, & ſectator eremi ſeueriſſimus. Jugulatum a latronibus, & in *Vágum* amnem proiectum, totoque anno fruſtra quæſitum fuiſſe, perhibent; donec, indicio, ripæ inſidentis aquilæ, exuuiæ eius, integræ adhuc, proderentur. Quas poſtea, eodem ſepulturæ loco, eius ſocii honorauerunt, nomine inter martyres relato: quod iam non moramur.

§. VII.

Canonicorum collegium:

CEterum, *Nitrienſis* pontifex, *Canonicis* præeſt duodecim, quibus ſingulis, quemadmodum opimi, ex ſacris fundis, reditus, ita domicilia ad habitandum, ſic ſunt ſatis commoda, ea montis parte, qua arx, meridiano ſoli, oppoſita eſt. Nimirum, mollius, ſubſidenti cliuo, ædes, eleganti ſerie ſuperſtructæ ſunt, æquo fere interuallo, hinc ab arce, illinc a ciuitate, diſcretæ. Vrbiculam referunt, e longinquo adſpicientibus, eo latere, quo vrbem deſpicit oppidum, aggere vallisque præmunitam; ab oriente vero, perpetuo muro, ſituque prærupto, arci connexam. De hac Tyrnauienſes: *aſſidet*, inquiunt, *arci, depreſſiore loco, ſpecioſa vrbicula, Canonicorum, vt plurimum ædibus ornata.* Recte. Nam eodem poſitu, aliquot nobilium ædes exiſtere nouimus, eorum in primis, qui in procurandis epiſcopatus prouentibus, atque prædiis, ſeu *Antiſtiti*, ſeu *Canonicis*, operam ſuam addixerunt.

ſius ſedes.

§. VIII.

Arcis Epiſcopalis ſitus.

HVcusque, de *Epiſcopatu* egimus, arcis nunc fata ac robur, expendiſſe iuuabit. Atque arx quidem, ipſis regibus *Hungariæ*, antiquior eſt, munitionibus nunc diminutis, nunc increſcentibus iterum. Quia enim opportune conſedit, quicunque regionis fuere domini, multum eius ſitu, rebus ſuis acceſſiſſe, putabant. Nempe, amne cognomine, orientali latere ſubluitur. Hic enim, ſubſidentibus circum, in planitiem, montibus, collis ſurrigitur, altitudinis eximiæ, præruptus vndiquaque, neque, niſi a meridie, acceſſu procliuis. Propugnaculum ei impoſitum, molis haud omnino vaſtæ, ſed egregio tamen opere ſubſtructum eſt. Ad eundem fere modum Wagnervs: (*f.*) *Eſt*, inquit, *Nitria, vrbs peramœna, ad montis cliuum leniter accliuis. Arx verticem, cum Baſilica, & Canonicorum Collegio, obtinet. Rupem Nitria amnis, vnde loco nomen, fere totam, in-*

f.) Hiſtor. Leopoldi M. Lib. p. 148.

inſula ſpecie, circumambit. Cum arcem *Moraui*, & ante hos, *Quadi* inſidebant, leuius præmunitam fuiſſe oportuit: quod ſatis erat, vel muro prætenſo, aduerſus telorum iactus, poſſe defenſari. Sed bellandi ardore, ſimul & artibus, in barbarico iſto ſolo, augeſcentibus, priſcæ moli, opera ſunt adiecta. Id, ex muris, qui arcem ambiunt, & diuerſo iſtorum habitu, colligi poteſt: quippe quos, lente, & per temporum interualla, nunc latius porrectos, nunc ſubſtructos fuiſſe altius, ſatis adparet. Poſtea, cum fatis vrgentibus, *Turcæ*, res *Hungaricas* perturbarent, & periculum eſſet, ne hoſtis, in extima regionis penetret, curatius arx cœpit obſeruari. Scilicet, neceſſitas id *Hungaros* docuit, vt rebus ſuis adtenti, quidquid munimentorum habebant, in commune id patriæ præſidium, ſollicite conuerterent. Nos iam, quid ſub *Hungaris*, cum arce *Nitrienſi* geſtum ſit, videamus.

§. IX.

Prima arcis mentio, in rebus Sancti Stephani *occurrit, captiuitate* Vazulis, *memorabilis.*

PRima eius mentio, in rebus S. Stephani occurrit, qui *Vazulem*, patruelis ſui filium, in carceres iſthuc coniecerat, vt iuuenilem, laſciuientis ætatis luxuriam, compeſceret, rebusque gerendis faceret idoneum. Optimo quidem regis pientiſſimi conſilio; ſed quod aliter, quam is quidem rebatur, cecidit. Nam, dum Emericvs filius, regno deſtinatus, maturiore fato fungeretur, neque e conſanguineis Stephani eſſet, cui ſceptra, nuper nata, auſpicato deferri poſſent, *Vazulem*, Nitriæ adhuc cuſtoditum, ei oneri parem futurum, exiſtimauit; at enim, euentu, quam ſperauerat, multo iniquiore. Thúróczivs (*g.*) rem in hunc modum prodidit. *Stephanus*, inquit, *niſi feſtinanter nuncium, ſcilicet* Budam *filium Egruth, qui* Vazul, *patruelis ſui filium, quem recluſerat rex, propter iuuenilem laſciuiam & ſtultitiam, vt corrigeretur, de carcere* Nitriæ *educeret, & ad ſe deduceret, vt eum, antequam moreretur, regem conſtitueret. Audiens auceret, vt eum, antequam moreretur, regem conſtitueret. Audiens autem hoc* Keiſela *regina, iniit conſilium cum* Buda, *viro nefando, & feſtinantiſſime miſit nuncium nomine* Sebum, *filium ipſius* Buda, *ad carcerem, in quo* Vazul *detinebatur.* Sebus *itaque, præueniens nuncium regis, effodit oculos* Vazul, *& concauitates aurium eius plumbo obturauit, & receſſit in* Bohemiam. *Poſt hunc autem veniens nuncius regis, vidit* Vazul *oculis orbatum, in eiidem oculis vulneratis duxit ad regem.* Ex notabili hac arcis mentione, illud arguimus, iam ætate S. Stephani, ita adparatam fuiſſe, vt idonea haberetur captiuis, etiam, qui regio ſanguine ſati eſſent, cuſtodiendis. Interim *Gyſela*, ſua illa iniquitate, facinus, oppido laudabile, quod ſupra memorauimus; *baſilicam* enim *Nitriæ* fundauerat, *S. Emmeramo* dedicatam; turpiter foedauit. Poſt ea tempora, validiorem ſubinde reddi oportuit *Nitriam.* Tulit enim *Geyſæ Magni* temporibus, Cæſaris *Henrici*, & *Salomonis*, obſidionem re-

eius ſecutis temporibus incremen-

g.) Chron. P. II. c. XXXIII. p. 41, 23. collato Bonfinio Dec. II. Lib. I. p. 181. nomen *Wazul*, a germanico *Waiſel*, quod diminuta ſignificatione, *tenellum* or *planum* ſignificat, natum puto.

ta, & prima, ab Henrico, *&* Salomone, *obsidio intentata.*

iecitque hostem, oppugnandarum arcium non imperitum. *Vbi ad Vagum amnem peruentum est*, inquit BONFINIVS (*h.*) HENRICVS IV. *castra ponit, cum præfectis equitum consulturus, in quam potissimum vrbem esset erumpendum.* NITRIAM, *quæ proxima castris erat, primum inuadere visum est. Quare*, Salomoni *legiones duæ, cum decenti equitatu dare visum est. Quare*, Salomoni *legiones duæ, cum decenti equitatu datæ, vt* Nitriam *oppugnaret. quibus copiis, quum de vico* Semthe *se mouisset, instructa acie, ciuitatem adoritur. Contra, oppidani, pari audacia freti, aduersus hostes prodeunt.* Verum, frustraneus erat adsultus, tametsi idonea virium contentione susceptus. Cum enim *Opus Bátbor*, eques *Salomonis*, edito præclaræ virtutis specimine, *Henrico* Cæsari, magnam de *Hungarorum* fortitudine, opinionem iniecisset, ab oppugnatione discessum est. Palam enim Cæsar Salomoni: *si tales*, inquit, *hostes nactus es, nunquam, mihi crede*, Salomon! *regnum recuperabis.*

§. X.

Qua, Matthiæ Coruini *temporibus, arcis fata exstiterint?*

NIhil inde memoriæ proditum de arce *Nitriensi* reperio, vsque ad *Coruiniana* tempora. Nempe, vniuersa propemodum *Hungaria*, in MATTHIAM conspirauerat, facem ei factioni, summis præsulibus, vt est apud BONFINIVM, præferentibus. Causas, tantæ rei indagare, nostrum iam non est. Proinde, communibus horum, qui a rege defecerant, suffragiis, *Casimirus*, Poloniæ regis, cui æque *Casimiro* nomen fuit, filius, in regem deligitur, deduciturque anno MCCCCLXXI. Calendis Nouembribus, in *Hungariam*, valido suorum non minus, quam factiosorum exercitu, stipatus. Huic, MATTHIAS, reconciliato primum Strigoniensi præsule, ad *Nitriam*, nihil cunctatus, occurrit. *Casimirus*, inquit, BONFINIVS (*i.*) *Nitriam venerat. Ciuitas, quia se verum Hungariæ regem esse profitebatur, vltro ipsius excepit; pro mœnibus vero castra metatus est.* Itaque, conclusum illhic *Casimirum*, deficientibus subinde *Hungaris*, diminutoque eius exercitu, MATTHIAS obsidere cœpit, eo quidem successu, quem animo præceperat. *Cum Nitriæ adpropinquare eum rumor esset*, Vngarorum *multitudo, quæ* Casimiri *fortunam hactenus secuta fuerat, repente defecit. Quare*, Casimirus, *animo admodum consternatus, intra* Nitriam, *cum exercitu se recipere cœpit: contra* Matthiæ *adauctus est animus, cum ad fidem redire* Vngaros *conspiceret.* Nitriam *ergo properatur, quo cum venisset, in vrbe Casimirum obsidet, inhibet commeatus, & diram interea famem interminatur.* CASIMIRVS, ad cum modum, quasi indagine conclusus, cum, ne spem quidem regni, ne dicam regnum ipsum, retineri posse cerneret, per internuncios, cum MATTHIA, tutam sibi abitionem, ea lege pactus, ne vnquam regnum Hungariæ, infestis armis inuaderet, nocte concubia, cum idoneo comitatu, arce excessit, & incolumis in *Poloniam* rediit. Sed hos, qui *Nitriæ* superabant, durior fortuna mansit. Namque, inedia aliquantisper diuexati, cum & ipsi, a MATTHIA, saluam ad suos demigra-

sit Casimiri *Poloni perfugium & laqueus:*

h.) Decade II. Lib. IV. p. 221, 37.

i.) Dec. IV. Lib. III. p. 567, 32.

grationem, multis precibus, ea tandem conditione, impetrauissent, ne *Hungaria* decedentes, noxæ quidquam colono inferrent, pacti eius immemores, rapinis, qua iter faciebant, turbauerant regionem, eoque facinore, victorem permouerant, vt facultatem vlciscendarum iniuriarum, faceret agrestibus. Hac regis indulgentia vsi rustici, palantibus *Polonis*, quidquid prædæ secum habebant, eripiunt, ac denique, passim in *Hungariæ* finibus, male mulctatos diminutosque, eo, qua venerunt, inauspicato dimittunt. Ista tunc gesta fuere, aliter a CROMERO (*k.*) memorata, quæ iam excutere non vacat. Quidquid eius rei sit, certe, ex ista rerum conuersione, arci nostræ, permultum famæ accessisse, creditum est; quod *Casimiri* fortunam tutata, ex eius sanctitate, ad celebritatem (*l.*) profecerit. Scilicet, in *Lithuania*, tertio post lustro, pestilentia necatus Casimirus, *sanctitatis opinione* (*m.*) *clarus* exstitit. De eo BONFINIVS: (*n.*) CASIMIRI, inquit, *aliquot miraculis spectata sanctitas effecit, vt hodie apud Polonos, tamquam* DEVS, *a piis hominibus, in vota vocetur, & religiosissime vulgo colatur.*

conciliata inde loco celebritas.

§. XI.

Recentiores arcis & oppidi commutationes:

HÆc, ab ætate nostra fuerunt remotiora. Post LVDOVICI II. cladem, cum duo reges, FERDINANDVS, & JOHANNES, de principatu inuicem dimicarent; quo erat ditionibus Austriacis propinquior *Nitria*; eo fidem FERDINANDI sequebatur exquisitius. Infestam tamen a *Zápolitanis* fuisse, inde colligo, quod Episcopen, *Valentino Turco*, profano militarique homini, vsurpandam, JOHANNES (*o.*) permiserit. Postea, bello, pace terminato, rediit ad FERDINANDVM, ALEXIO THVRZONI, cum vniuersa episcopatus ditione, pignori data. Certe, A. MDXLII. Artic. XIX. in iis locis deputatur, quæ sedem regni *capitaneo* præbere debeant. Quod istas rerum conuersiones excepit, seculum, cum externis cladibus, tum bellis ciuilibus, atrox & luctuosum exstitit. Primus, qui rem in Hungaria miscuit, *Botskay* fuit. Submisit se ei *Nitria*, a *Francisco Rédei* (*p.*) obsidione tentata. Nimirum, raptis, sub iugum montanis vrbibus, quum castra *Rédeii*, nouis, in dies singulos, *Hajdonum* suppetiis, increscerent, *Nitriam* obsidione cinxit, ac lentis rarisque, duorum, mediocris magnitudinis, tormentorum ictibus, verberare cœpit, primoque statim impetu, ciuitatem, arci a meridie subsitam, occupauit, atque direptam, vt obsessis terrorem incuteret, iniectis flammis, exussit. Erat in arce *Franciscus Forgách*, loci Episcopus, vir eximiæ in Cæsarem fidei, & cum eo, præter milites suos, viri aliquot nobiles, qui sui tutandi causa, e vicinia isthuc confugerant. Hi itaque, fortiter arcem defensantes, *Kollonitsium*, haud procul cum exercitu excubantem, per litteras, & nuncios, vrgent; succurreret sibi, rebus adhuc

sub Botskajo:

k.) De Reb. Polon. Lib. XXVII. p. m. 401, 402.
l.) Vid. Eruditi Tyrnauienses loc. cit.
m.) CROMERVS ibidem, Lib. XXIX. p. 323.
n.) Dec. V. Lib. V. p. 728. lin. 49.
o.) ISTVANFFYVS Lib. XII. p. 198. 16.
p.) ISTVANFFYVS Lib. XXXIV. p. 825, 23.

huc integris; ſpem eſſe arcis conſeruandæ, haud dubiam. *Rédeja-nos*, non armis, non militiæ, ſed latrociniis adſuetos, & ex rure fæceque bubulcorum collectos, paruo negotio, ſuperari poſſe. Verum ille, ſiue exercitui, quem ductabat, *Hungarico*, diffiſus, ſiue, alii cuicunque rei intentus, auxilio venire tam diu diſtulit, dum eorum, qui in arce erant, nonnulli, tolerandæ porro obſidionis pertæſi, arcem, haud ſine perfidiæ crimine, *Rédeio* tradendam ſtatuerent. Obnitebatur, iniquiſſimis conſiliis, *Epiſcopus*, horumque auctores, nunc precibus, nunc minis, a propoſito dimouere connitebatur. Atenim, adeo nihil profecit, vt parum abfuerit, quin vna cum arce, in hoſtium poteſtatem traderetur. Igitur, quamquam nihil virtute ſua, & gente nobili, ex qua originem ducebat, indignum committere, arcemque mordicus tueri ſtatuit *Forgáchius*; tamen, ne ſe in fortunam, multo, quam præſens eſſet, atrociorem, obſtinatis conſilii ſui rationibus, indueret, ſibi, & *Canonicorum* collegio, incolumitatem pactus, arce exceſſit, & *Jaurinum*, atque illinc, *Viennam* abiit. Quantum, ex dedita arce *Botskaianis* acceſſerit, inde colligi poteſt, quod *Galgóczinum*, *Sintauiam*, atque *Tyrnauiam*, metu perculſas, nullo negotio interceperint. *Rédeius* certe, obſidendo *Ujvarino*, exercitum prius admouere auſus non eſt, quam *Nitria* occupata. Sed, rediit tamen, altero poſt anno, ad iuſti principis dominationem. Eadem arcis fata, *Bethleniano* quoque bello fuerunt, quod ſicuti varie fuit geſtum, & nunc pace interruptum, nunc nouis prouocatum iniuriis; ita, dubiam *Nitriæ* fortunam effecit. Diſerte Franciscvs Kazy, S. I. (*q.*) deditam *Bethlenianis*, Nitriam, meminit. *Illam*, inquit, Johannes Telegdivs, *loci antiſtes, cum mediocri Hungarorum, & Germanorum manu, pro Cæſare tutabatur, diuque lentam obſidionem tolerauit; ad vim, cum indignatione admotam, impar, ceſſit demum furori; traditaque* Bethlenio *arce, Viennam, ad commune ſociorum aſylum, ſe recepit.* Bethlenivs, *reparatis arcis ruinis, annonaque celeriter corraſa*, Tyrnauiam *profectus eſt.* Hæc ille. Atque iterum, de recuperata *Nitria: Buquoius*, Nitriam, *quam* Stephanus Litaſſius, *vim hoſtium, vix dum expertus, promta deditione tradidit*, adſeruit. Nempe, ludebatur, ea tempeſtate, cum arcium deditionibus, vt bellum, non tam facerent vtrinque, quam traherent. Accepit & *Georgium Rákóczium*, nouas res per Hungariam molientem. In primis autem, ad cladem trahi videbatur *Nitria*, poſt captum, a *Turcis*, A. MDCLXIII. *Ujvarinum*. qua de re ita Wagnervs: (*r.*) *Turcæ*, inquit, *refectis Ujvarini ruinis, ad expugnandas, minoris nominis arces, exercitum partiuntur. Sex equitum millia,* Nitriam *oppidum, facile cepere. Arx quoque, diuturniori obſidioni par, perfidia, ſeu ignauia præfecti, ex templo deditionem fecit.* Germanus *ſubcenturio, cum ducentis peditibus, Poſonium deductus, capite ignauiæ pœnas dedit.* Nimirum, a duobus præfectis, *Hungaro* altero, altero *Germano*, arx tenebatur. Et *Hungaro* quidem *Nitray*, gentile nomen fuit, qui arce dedita, ita *Turcis* adhæſit, vt iis poſtea plagiariorum ritu, quos *Pribeckos* vocant, in prodenda euaſtandaque regione, iniquiſſimam operam, nihil dubitarit nauare. Sed, anni ſequentis ineunte vere, *Suſa*, Cæſariani exercitus dux, arcem Turcis extorſit denuo. Iterum Wagnervs: (*s.*) *Nitrienſes*, inquit, *cives, re intellecta, non defuturos ſe partibus ſuis, per occultos nuncios, armaque correpturos, quam primum* Chriſtiana *vexilla e muris conſpexerint, pollicentur. Tertia Aprilis, admotæ, ad oppidi ſepes potius, quam muros, ſcalæ. Pernigiles fuere Turcæ, Chriſtiani incolæ nihil mouere, ſeu fides, ſeu occaſio deficeret. Eadem tamen die, incenſo oppido, in arcem ſe recepere hoſtes, nec ante menſem deditionem fecere. Quingenti deditilii, Ujvarinum deducti, annonæ perparum, tormenta triginta variæ magnitudinis, reperta.* Ita arx, poſtliminio, in noſtrorum venit poteſtatem. *Tökölíana* ſeditione, ſemel iterumque contemeratam, eius tempeſtatis ſchedæ, loquuntur. *Sojerus*, tunc arci præerat, ſuo ipſius periculo, an clade magis, quam defenſandarum arcium, peritia, memorandus. Quin & nupero tumultu, quem *Rákoczius* dederat, ſiue fame preſſi, ſiue nouarum rerum ſtudio correpti præſidiarii, arcem, anno MDCCIV. die XXIV. Auguſti, *Bertsénio* tradiderunt, poſt *Trentſchinenſem*, demum pugnam, qua A. MDCCVIII. die III. Aug. *Rákoczianorum* vires acciſæ fuerunt penitus, a *Caſparo de Réva*, tunc *Nitriæ* præfecto, Cæſarianis redditam.

ſub Bethlenio & Rákóczio:

capitur a Turcis:

vindicatur a Suſa.

q.) Hiſtor. Regni Hungar. Lib. III. p. 181. ad A. MDCXX.

r.) Hiſtor. Leopoldi M. Lib. II. p. 131.

§. XII.

Reliqua loci decora:

Iste arcis erat habitus, fataque. Reliquum loci decus, Tyrnauienſium eruditorum (*t.*) verbis iuuat commemorauiſſe. *E regione*, inquiunt, *arcis, eleuatur in auſtrum mons* Zobor, *antiquiſſimo, ordinis* S. Benedicti, *monaſterio celebris, cui* Philippus *Abbas, tempore* D. Stephani *præfuit, & in quo* S. Zœrardus *ſeu* Andreas Eremicola, *habitum ſuſcepit. Fundatum erat, a* S. Stephano, *in honorem* S. Hyppoliti *Martyris. Interiecto dein tempore, deſideratis monachis*, Epiſcopatui Nitrienſi, *bona ceſſerunt. Tandem, anno MDCXCII. reſtauratum, religionis* S. Romualdi, *ſiue* Chamaldulenſibus, *datum a* Blaſio Jaklino, *Epiſcopo Nitrienſi.* Arci, ciuitas late ſubſternitur, incolis frequens ædibusque, ſed humilioribus iis, culta. Bipartito eandem diuidi accepimus. Nam, qua verſus arcis mœnia, ſitus eſt collini, prorſus Epiſcopo paret, ab eoque iura accipit; ſed, qua profundius, præterlabenti amni adſedit, tametſi eiusdem heri ſit, tamen, ius ciuitatis ſibi habet proprium. Ab occidente, viculus vrbi cohæret, quem *Pár-Utza* vocant, tenuis quidem, ſed a ditione epiſcopi, ſeiunctus, & peculiari donatus priuilegio. Cum, incurſionibus *Turtarum*, infeſta eſſet regio, nemo in ciuium numero cenſus eſt, niſi mi-

Oppidi habitus priſcus & recens:

t.) Ibidem p. 148. Fuſe obſidionis hiſtoriam legas apud Ortelivm P. II. p. 309.

t.) Celebrior. Hung. Vrbium, P. II. p. 23. Collatis Inchoferi Annal. Eccleſ. ad annum MIX.

militiæ ſimul nomen dediſſet. Itaque, pedibus alii, alii equo merebantur. Qua re fiebat, vt oppidani quidem *Turcas*, hi vero illos, perpetuis incurſionibus fatigarent. Vidiſſes haud raro, vallos oppidi, quibus communiebatur oppidum, præfixis *Turcarum* capitibus, ſuperbiuiſſe. Nam, id quidem, ea tempeſtate, bellicæ præſidiariorum virtutis indicium fuit, ſi quam plurima hoſtium crania, roſtratæ circum munitiones, oſtentarent. Alioquin, oppidi muniendi curam, non minus, quam arcis, in primis commendatam ſibi habuere, (*u.*) Status, & Ordines. Iam, profligato vltra *Hungariæ* fines hoſte, *Nitrienſium* hæc militia, prorſus ceſſauit; quin, & aggeres oppidi, detriti adeo ſunt, vt, præter diffuſa, hinc atque illinc, veſtigia, & portam, e cocto latere, ſumptu *Thomæ Pálffii* Epiſcopi, cuius inſigne præfert hodieque, concameratam, vix quidquam habeant reſidui. Lingua moresque, incolis, *Hungarici* ſunt, victus ratio, agreſti prouentu conſtans. Adde, frequentes mercatus, quibus, non plane nihil, ciues proficiunt, hi potiſſimum, quibus ex opificiis quæſtus eſt. Inter loci iniurias cenſent, quod aqua, potatu ſalubri, careat. *Vinum* interim guſtus probi eſt: *panis* vero, *Galgoczienſi* fere ſuppar, hoc eſt, fermento ſubactus ſapido, beneque excoctus. In primis, ad decus oppidi PP. *Piarum Scholarum* collegium ſpectat, cum frequentiſſimo gymnaſio; & *Conuictu Nobilium.* Poſitum id eſt, eleuatiore oppidi loco, habetque liberum vndiquaque proſpectum, auramque ideo ſalubrem. Reliqua omnia, commoditatis ſunt, haud contemnendæ. Hic, & pons ſublicius, *Nitriæ* amni impoſitus, memorandus eſt, ſingulis annis, ſemel iterumque, ob eluuionum damna, quæ ob humilem poſitum accipit, non ſine moleſtia, farciendus. Anno MDCCXXXIX. peſtilentia, extra modum vrbem euaſtauit. Recedit vrbs *Piſonio*, decem, in orientem æſtiuum, milliaribus; totidem fere *Strigonio*, in ſeptentrionem.

PP. Piarum Scholarum *Collegium, & Gymnaſium, ac Conuictus nobilium.*

II. UJVARINVM.

SYNOPSIS.

Ujvarini *nomen: primus conditor.* §. I.

Eius muniendi cura, primo Strigonienſi *præſuli*, & Andreæ Báthoreo, *mandatur: dein* Comitatibus *circumſitis:* Moratiorum, *in eandem rem ſuppetiæ: ſanctiones comitiorum, eius muniendi cauſſa, repetitæ:* Draskovitzii, *Archiepiſcopi Strigonienſis, liberalitas.* §. II.

Ujvarini *incrementa, regioni vtilia: ſit ſedes ſupremi, Hungariæ Cis-Danubianæ,* Capitanei §. III.

Quæ fata ſubierit Ujvarinum: *obſidetur a* Botskajanis, *duce* Franciſco Redeyo: *oppugnationis ardor irritus: obſidio, a* Valentino Homonnay, *inſtaurata.* §. IV.

Diarium Homonnajanum. §. V.

Mœnia Ujvarini, *a* Botskajanis *inſtaurata: eius cuſtodia, quibus, ab* Homannayo *fuerit commiſſa: redditur* Cæſari. §. VI.

Ujvarini, *ad defendendam regionem, opportunitas: capitur a* Bethlenianis, *præſidiariorum maleficio: igni fortuito exuritur.* §. VII.

Ujvarinum, *a* Bucquoio *obſeſſum: rei geſtæ hiſtoria:* Bucquoii *occaſus: obſidionem ſoluit.* §. VIII.

Quando Turcicæ *tyrannidi ſuccubuerit: belli rationes, quomodo ab hoſte initæ: res noſtrorum trepidæ, &* Montecuculii, *eximia prudentia: caſtrorum, quæ is delegit, opportunitas.* §. IX.

Turcæ, *obſidionem decernunt: Danubium traiicere occipiunt:* Forgáchii *præceps facinus:* Piouii *obſtinatio, multo deterior.* §. X.

Prælii, & conſequutæ cladis, hiſtoria: deſideratorum, e noſtris, numerus. §. XI.

Turcæ, Ujvarinum *obſident: quod, loci, ea tempeſtate, robur fuerit: præſidiariorum numerus.* §. XII.

Vezirii, *de tradenda arce ad* Forgáchium *litteræ: eius reſponſum: oppugnationis exordia:* Forgáchii, *& reliquorum ducum, conſtantia: eorum, ad* Montecuculium, *nuncius: operarum, in oppugnando, pertinacia,* §. XIII.

Præſidiariorum noua conſociatio: annonæ, apud Turcas, *caritas: centum quadraginta pedites, in arcem ſe iniiciunt:* Forgáchii *ſuperſtitioſum ſacrificium: eius pœnæ.* §. XIV.

Turcarum *labor, hucusque irritus: obſeſſorum induſtria:* Forgáchii *morbus, & ad* Palatinum *litteræ.* §. XV.

Turcarum, *in obſidione vrgenda, pertinacia: obſeſſorum conſtantia: hoſtium irritus adſultus: cuniculariorum fruſtraneus conatus: alter impetus: tertius: quartus: ac denique quintus, maſcule a noſtris retunditur.* §. XVI.

Vezirii *ſollicitudo: præſidiariorum conſternatio: quibus arx malis, foris & intus, fuerit preſſa: aperta militum tumultuatio.* §. XVII.

Ducum, in ea ſedanda, labor fruſtraneus: arcis dedendæ conſilia ſuſcipere coguntur: candidum vexillum, deditionis ſignum porrigitur: eius leges, a noſtris deſcriptæ: & ad Cæſarem *miſſæ:* Turcæ *arcem ſubeunt.* §. XVIII.

Noſtrorum demigratio: qualis belli adparatus illic fuerit relictus: Turcarum, *in demigrantes, fides & humanitas.* §. XIX.

Damnum, rei Chriſtianæ, deditione Ujvarini, *illatum: præſidiariorum, qui arce deceſſerant, fata:* Cæſaris, *in eos benignitas.* §. XX.

Quæ inde Ujvarini *fortuna fuerit: concluditur anno ſequente a* Suſa: Vezirii *conatus, poſt pugnam* Sz. Gotthardeuſem, *irriti: pax, cum* Turcis *improuiſa, & huius leges.* §. XXI.

Turcarum, *in communiendo* Ujvarino, *ſolertia: præfecti,*

in

u.) Vide Decret. Anni MDCLXXXI. Art. VI.

in Christianos æquitas, ei fit exitio : succeſſoris iniquitas. §. XXII.
Indicto, a Turcis *bello, dubiæ, apud noſtros, expeditionis rationes:* Ujvarinum, *ſenatus bellici ſententia, oppugnandum ſtatuitur: euentu irrito, ob* Turcarum *aduentum.* §. XXIII.
Denuo infeſtari cœptum, anno MDCLXXXV. obſidetur a Lotharingo, *fruſtra erumpentibus præſidiariis: ordo, in oppugnando, & operarum initium: fama aduentus* Seraskierii, *noſtros facit adtentiores.* §. XXIV.
Arx, tormentis verberari incipit: foſſæ margine potiuntur noſtri: naui gemina in foſſam immiſſa, cuniculatores muris admouere, fruſtra laborant. §. XXV.
Explendarum foſſarum conſilium: operis difficultas: clades, ab hoſte accepta, & exuſtæ vineæ: noua contexendæ molis ratio, nouaque inde ſtrages. §. XXVI.
Miles, ducum ardore, ad vicem hoſti referendam, accenſus: operarum inſignis profectus: præfecti ad deditionem irrita ſollicitatio: de Seraskierio, *noui verique rumores: vnanimis ducum, de partiendo exercitu, ſententia.* §. XXVII.
Turcæ, ad Strigonium *victi: quæ interea oppugnationis rationes fuerint: inſignis eius ſucceſſus:* Caprara, *expugnationem arcis* Lotharingo *defert: eam ille* Capraræ *permittit: dies adſultui præſtitutus, ob largum imbrem differtur: extrema oppugnationis ordo.* §. XXVIII.
Noſtrorum ardor, ducum vocibus accenditur: caduntur eodem furore captiui Chriſtiani: feritas in occiſorum cadauera: datum loco præſidium: capti oppidi, ex Tollii *relatione, facies.* §. XXIX.
Obſidetur a Rákoczianis: *proditione capitur: ſumma cura munitur.* §. XXX.
Obſidione tentatur ab Heiſtero: Pálffyo, *&* Leſtelholtzio *contraeuntibus: irritus* Heiſteri *conatus: noua, anno MDCCIX. obſidio: eius ſucceſſus: deditionis leges: quantus iſthic belli adparatus inuentus: iuſſu* Cæſaris, *anno MDCCXXIV. ſolo æquatur: hodierna loci facies.* §. XXXI.
Ujvarini *epitaphium: Oppidi herus: ditionis vici: hodiernus habitus.* §. XXXII.

§. I.

Ujvarini *nomen:*

ARcis nomen, nuperos natales ſoquitur. *Ujvár* enim, *arcem* (*a.*) *nouam*, Hungaris ſignificat. Quod, idem & Germanicum *Neühaüſel*, atque Slauicum, *Nowé-Zámky*, notat. Perperam *Neoſelium* (*b.*) a nonnullis vocatur: deditque, corrupta hæc adpellatio, errandi occaſionem, vt, quod *Neoſolii* (*c.*) geſtum eſt, *Ujvarino* id adtribuant; & verſa vice: cum tamen, *Neoſolium*, *Ujvarino*, milliaribus plus minus XIV. in aquilonem, diſſideat. *Hungaris* præterea, *Erſek-Ujvár*, dici conſueuit, vt diſcriminaretur a locis aliis, *nouæ arcis*, aut *vrbis* nomen ferentibus. quæ quidem denominatio, a poſſeſſore petita eſt. *Erſek*, nimirum, *Archiepiſcopum* Hungaris ſonat. Et omnino, tota hæc ditio locusque, *Archiepiſcopatui Strigonienſi*, priſcorum regum munificentia, adtributus eſt. Pavlvs Gregorianczivs (*d.*) *Oláh-Ujvár* vocatam, ſua ætate fuiſſe, adfirmat, a primo vt opinabatur, conditore, *Nicolao Oláho*, Strigonienſi pontifice: qui reuera tamen, *Paullus de Varda* fuit. Ergo, nomen illud propagatum ad poſteros haud eſt; ne vnius viri memoriam, moles illa referret, in qua communienda, a pluribus *Archiepiſcopis*, quin & *Hungaria* vniuerſa, atque regionibus aliis, diu ſatis, grandique impenſa, elaboratum eſt. Istvánffyvs, (*e.*) alio loco, & ab amne *Nitria* ſeiuncto, ſtetiſſe olim arcem, translatamque iſthuc, vbi ſedit, poſtea, a Friderico Sirotinio, memorat. *Noua arci*, inquit, *quæ Archiepiſcopalis dici ſolet, quam* Fridericus Sirotinus, *cum prouinciæ Morauiæ ordinibus, non procul a priſtino loco translatam, ad* Nitriam *flumen, denuo ædificauerat*, Turcæ, *inſidias ſtruxerunt. Quas, quum noſtri vitaſſent, prohibere tamen non potuerunt, quin magnum pecoris maioris numerum, ex agro abigerent.* Mirere, nihil huius rei, in regni decretis, memorari; cum res ea, ne ſuſcipi quidem potuerit, niſi rege, regnoque, conſciis.

primus conditur.

a.) Ita adpellatur, Decreto anni MDCLVII. Art. XXXIX.
b.) Nempe, ex Germanorum *Neühaüſel*, facere *Neühaüſelium*, latina terminatione quod imperitiores, in *Neoſelium*, detorſerunt.

§. II.

Eius munienda cura, primo Strigonienſi, *præſuli, &* Andreæ Bathoreo, *mandatur:*

PRimam eius mentionem, Ferdinandi I. Decreta habent: quippe, cuius temporibus, muniri cœpta eſt; iis operis, quas ditiones *Archiepiſcopatus Strigonienſis*, præſtabant. Ita anni MDLVI. (*f.*) decreto ſancitum legas: *In Comitatibus autem Nitrienſi, & Trentſchinienſi, inter dominos & nobiles eorum Comitatuum, ita conuentum eſt: vt opera & currus huiusmodi, de bonis* Reuerendiſſimi Domini Strigonienſis, *tam in iisdem Comitatibus, quam etiam Barſienſi, & aliis Comitatibus circa Danubium, nec non* Capituli Eccleſiæ *ſuæ*, ac Præpoſituræ de Thúrócz, *ſimul etiam D. Andreæ de Báthor, ad munitionem arcis eiusdem Domini Strigonienſis*, Ujvár, *tradantur.* Proinde, domeſtico præſulis ſumptu, ſi *Báthoreæ* (*g.*) ſymbola excipias, cœpit excitari. Quin & præſidiarios, qui arcem defenſarent, ſuo tunc ſtipendio alere cogebatur Strigonienſis. *Specialiter*, inquit, eiusdem anni

c.) Notauimus, inſignem huiusmodi errorem, in *Tabella Regni Hung.* Parschitii.
d.) In Epitome Originum gentis Hungaricæ, Parte II. Geographica. Eſt apud nos in manuſcripto, edendum, ſi vixerimus, in Adparatv ad Hiſtoriam Hungariæ.
e.) Libro XXV. p. 554. 7.
f.) Artic. XII.
g.) Contuliſſe gentem *Báthoream* operas, ob vicinam *Báthor-Reſzienſem* ditionem, qua tunc potiebatur, facile eſt opinari.

decretum *(b.) Reuerendiſſimus Dominus Strigonienſis, ratione bonorum ſuorum, ac capituli Eccleſiæ ſuæ, & Præpoſituræ de Thúrócz, gentes ſuas huiusmodi in confiniis apud arcem ſuam, videlicet* Ujvár; *quæ in faucibus hoſtium poſita eſt, tenere, & nihilominus cum gentibus Comitatus, vbi in expeditionem aliquem Capitaneum regium aut regni, gentes ipſius Comitatus, aliquo ire opus eſt, ipſe quoque Strigonienſis dimittere debeat.* Tanti, ea tempeſtate, publica ſecuritas conſtabat, vt ne eccleſiarum quidem hæredibus, parci potuerit. Poſtea, præter *Archiepiſcopatus* di-

dein Comitatibus *circumſtitit:*

tiones, *Comitatibus* vicinis, *Trentſchinenſi*, *Nitrienſi*, reliquis, muniendi *Ujvarini* cura fuit iniuncta: ſicuti id anni MDLXIX. decretum loquitur. (*i.*) Neque autem moles ea, ſimul inchoata, perfectaque eſt; ſed, quemadmodum id, aut vſus ferebat, aut operarum permittebat ratio, ſolidius ſubinde laxiusque, ſubſtruebatur. Ita anni MDLXXVIII. decretum (*k.*) habet: *ſi maior aliqua fortificatio in* Ujvár *inchoabitur, tunc* Comitatus Poſonienſis, *quantum eius cis-Danubium ſitum eſt, ad* Ujvár *laboret.* Atque hiſce ſumtibus ferendis, quia impares fuere vicini Comitatus, *Morauos* quoque tuliſſe ſuppetias, reperio. Diſerte anni MDCIX. decretum (*l.*) *Ad Ujvár* inquit, *deputatur Comitatus Nitrienſis, cum vniuerſis bonis Archiepiſcopatus Strigonienſis, vt cum auxilio* Morauorum, *florenorum ſex millium, iam promiſſorum, defectus illius loci reſtauretur.* Et, intererat omnino *Morauiæ*, quam firmiſſime communiri *Ujvarinum*, cuius obiectu, a *Turcarum* impreſſionibus, tuti præſtarentur. Hinc, repetitæ toties totiesque, de eo inſtaurando, ſanctiones, in illorum annorum decretis leguntur. *Longe*, inquit, anni MDCXXXV. ſanctio, *(m.) magis neceſſaria eſt præſidii* Erſek-Ujvarienſis, *quam ſua Maieſtas benigne proponit, fortificatio. Quia tamen, ob temporis moderni anguſtias, munimento murali perfici ea tam ſubito nequit, viſum eſt ſtatibus & ordinibus, vt aggeres illius præſidii paſſim ſubſidentes & collapſi, quam primum, quo magis fieri poterit, comportatis ceſpitibus, ad iuſtam altitudinem eleuentur. Quod, vt citius commodiusque perfici poſſit, parati ſunt notabilibus & extraordinariis vicinorum Comitatuum gratuitis laboribus, ita concurrere, vt durante æſtate imminenti, illud præſidium non incommodam adepturum ſit reformationem.* Colligas hinc, ad hæc vsque tempora, aggeres *Ujvarienſes*, nondum muris fuiſſe præfultos, tametſi obſeſſos ſemel atque iterum bellis ciuilibus. Præter conſuetas operas haſce, *Draskovitziano* ære, multum, ſubſtructiones *Ujvarienſes*, increuerunt. Enim vero, quinquaginta millia ei rei deſtinauiſſe præſulem, ex decreto Anni MDCLIX. *(n.)* conſtat. Verba ita ſonant: *ex quo*

Morauorum, *in eandem rem ſuppetiæ:*

ſanctiones comitiorum, eius muniendi cauſſa, repetitæ:

Draskovitzii, *Archi-Epiſcopi Strigonienſis, liberalitas.*

b.) Artic. XIX. collatis, Anni MDLIX. Artic. XXVI. & XXVII. Anni MDLXVII. Articulo XVII.
i.) Artic. XIX. collatis Anni MDLXXIV. Art. V. Anni MDCII. Art. XIV. Ann. MDCIV. Art. VIII. Ann. MDCVIII. Art. XV. A. MDCXIII. Art. VIII. A. MDCXVIII. Art. XLIX. Ann. MDCXXII. Art. XXXVI. A. MDCXLVII. Art. CLIII.
k.) Articulo XXVII.
l.) Art. LXI.
m.) Artic. VII. collato Art. XCII. & A. MDLV. Art. CXVI.
n.) Articulo V. collato Art. CXXX.

quo fortalitii Erſek-Ujvarenſis, *Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopi (o.) Strigonienſis, ſingulari in patriam zelo, & amore, paullo poſt muro circumducendi, foſſatum terra oppletum, non exiguum eidem fortalitio minatur periculum: ob hoc, cum conſenſu Suæ Maieſtatis ordinatum eſt, vt ſumma pecuniaria* Draskovitziana, *quinquaginta millium florenorum Hungaricalium, penes Cameram Suæ Maieſtatis aulicam hærens, alias pro ædificio* Erſek-Ujvarienſi *ordinata, ad expurgandum idem foſſatum, per dictam Cameram, ſine longiori mora exoluta, ad diſpoſitionem dicti Domini Archiepiſcopi, bene poſſeſſionato nobili Hungaro, cum futura dandæ rationis aſſecuratione, aſſignetur, per eundem in præmiſſum vſum fideliter eroganda.* Iſta tunc decreta fuere, at lentius poſtea, ſicuti conſueuit, procurata, vt neceſſum fuerit omnino, eandem ſanctionem, repetere denuo. (*p.*)

§. III.

Ujvarini *incrementa, regioni vtilia:*

AD hunc ergo modum, ex tenuibus initiis, in eam molem ac firmitatem, qua poſtea, toto orbe inclaruit, ſenſim excreuit *Ujvarinum:* magno profecto, circumſitæ regionis, commodo: quippe quam, vltra ſeculum, ſi non vndiquaque tutam præſtitit, tamen egregie defenſauit, aduerſus *Turcarum* incurſus. Quocirca, Rvdolphvs, ſupremi, cis-Danubianæ Hungariæ, *Capitanei*, ſedem eſſe voluit: quemadmodum id, decreto, (*q.*) anni MDXCV. perſcriptum eſt; non alio, ſicuti facile coniici poteſt, conſilio, quam, vt præſto eſſet, ſummus belli dux, quoties trepidæ, & procliues in periculum res, ingruerent. *Nicolaum Pálffium*, publicæ ſanctiones nominant, virum, oppido fortem, & defenſandæ, aduerſus *Turcas*, patriæ, natum. Hunc, anno MDCX. Calendas Aprilis, *Biberſpurgi*, fato functum, *Sigefridus Kollonitſchius*, & ſic porro, alios alii, exceperunt. Ex legum (*r.*) præſcripto, mille equites *Hungari*, pedites quingenti, arcem inſidere conſueuerant: quibus, pro eo, ac ferebat vſus, *Germani* milites, addebantur. Sed, capto a Turcis *Ujvarino*, totum illud præſidium, *Nitriam* translatum (*s.*) eſt, vt regionem, ab hoſtium impreſſionibus, immunem ſeruaret. Nam, erat omnino id muneris *Ujvarienſium Capitaneorum*, vt, non mœnia tantum ſua cuſtodirent; ſed vicinæ regionis ſimul, curam haberent, ne quid ab hoſtibus detrimenti caperet. Exſtat eius argumenti ſanctio, in decreto annni MDCLV. (*t.*) vbi totius oræ, quæ per montana late excurrit, procuratio, *Capitaneo Ujvarienſi*, commendatur.

ſit ſedes Supremi *Hungariæ, Cis-Danubiana* Capitanei,

§. IV.

n.) Erat is *Georgius Lippai de Czombor.*
p.) Legeſis anni MDCLXII. Art. XXI.
q.) Artic. XXI.
r.) Vide Decretum ann. MDCLV. Art. III.
s.) Anni MDCLXXXI. Art. V. Alioquin, præter incolas & præſidiarios, multi nobilium, habitatum iſthuc olim confluxerant; ſiue ſecuritatis cauſſa, ſiue, vt volonum ritu, militarent. Hos vero, *Comitatuum Iuriſdictioni* ſe ſubducentes, caſtigat Decret. anni MDCXLIX. Art. XLVIII.
t.) Articulo V.

§. IV.

Qua fata subierit Ujvarinum:

HVcusque, arcis exordia excussimus, quibusque incrementis, sesqui seculo, inualuerit, ex regni decretis, expromsimus; data id quidem opera, vt intelligant lectores, quantum reipublicæ Christianæ interfuerit, non excitauisse modo, validum adeo munimentum; sed conseruauisse etiam, inter tot, rerum Hungariæ, conuersiones. Nunc, fata videbimus arcis iam adultæ, quæ & ipsa, commemoratione digna sunt, quia coniuncta, cum salutis publicæ, vel iactura, vel incremento. Nondum, quod diximus, muris præcincti erant *Ujvariensium* aggeres, cum anno MDCV. *Botskajano* bello coorto, diutinam obsidionem arx tolerare cogeretur. *Franciscum*, nempe, *Rédey*, dux *Hajdonum Botskajanorum*, oppido ferox & sanguinolentus, posteaquam montanas vrbes, & quidquid a tergo erat arcium, seu vi intercepisset, seu fraude quacunque alia, in factionis societatem illicuisset, *Nitriam* primum, & *Galgótzium*, mox & *Semptam*, atque *Tyrnaviam*, occupauit. Quibus successibus, elatior factus, animum, ad oppugnandum *Ujvarinum*, adiecit. Tumultuaria primum obsidio fuit, quod, & militem laboris haberet ignarum atque impatientem, & machinæ deessent bellicæ, tantis conatibus suffecturæ. Proinde, agrum circumsitum, factis subinde procursionibus, euastare maluit *Rédey*, quam virium periculum facere. Quod ille quidem belli genus, si bellum tamen dicendum est, toto fere *Maio*, & *Junio*, datis acceptisque cladibus, strenue administrabat. Dum ad d. XXVI. *Junii*, admotis propius castris, arcem operibus clauderet, atque suggestibus positis, tormentorum ictibus inciperet verberare. Quia vero, semel atque iterum monitus arcis præfectus, vt castrum, sine cunctatione dederet, id non modo se commissurum constantissime negauit; sed factis etiam eruptionibus, insigni clade hostes adfecit; e re futurum putabat *Rédeyus*, si, quam celerrime posset, labore militari congeminato, obsidionem conficeret. Quo circa, non operis, sed nec militibus pepercit; quippe quorum, repetitis sæpius adsultibus, ingentem numerum, breui perdiderat. Et sane, parum abfuit, quin d. 11. Julii arcem, ter iteratis incursibus, ceperit. Iam enim, superatis fossis, & vallis, quibus munimentum, *Forgách* dictum, præcingebatur, succisis, in summum aggerem emerserant, immo defixis pluribus signis, victoriam conclamauerant *Botskaiani*; cum præsidiariorum virtute, ab occupata statione, ingenti edita clade, reiicerentur. Ad hunc modum, cædibus mutuis, sesqui mensis extractus fuit, nullo facto operæ pretio, quam quod arx, flammis, e missili igne conceptis, pridie *Calendas Augusti*, partem maximam conflagrauerit, extus autem milites *Rédeyani*, tot irritis incursibus fatigati, e castris diffugere cœperint. Itaque, missis frequentibus nunciis, ad *Valentinum Homonnay*, summum castrorum ducem, qui tunc, in *Pisoniensi Comitatu*, ad *Vágum*, statiua habuit, suppetias sibi mitti rogat, *Ré-*

obsidetur a Botskaianis, *Duce* Francisco Rédejo:

oppugnationis ardor irritus:

Rédeyus, metu haud dissimulato; id, nisi festinaret facere, futurum, vt inchoatam, tanto strepitu, obsidionem, summo cum dedecore, abrumpere cogatur. His precibus motus *Homonnay*, collatis, cum *Stephano Illésházy*, qui *Tyrnauiæ*, rerum exitus speculabatur, & *Stanislao Thurzone*, nuper factionem *Botskayanam* sequi coacto, sententiis, tandem, ad instaurandam *Ujvarini* obsidionem, animum adplicuit. Dabimus, rei, ductu *Homonnaii*, ad *Ujvarinum* gestæ, seriem, ex suo ipsius *diario*, *Hungarice* conscripto, optima fide, latine redditam. quod eo faciemus lubentius, quo plura erunt, quæ arcanam, illorum temporum, historiam, possint illustrare; etiam atque etiam testantes, eam diligentiam, ad neminis iniuriam spectare; a qua totum istud scriptionis genus, quam longissime abesse volumus. Ita vero ille:

obsidia a Valentino Homonnayo *instaurata.*

§. V.

Diarium Homonnayanum.

DIe XXV. *Augusti.* Inuocato, ter nomine IESV, (*u.*) castra, quæ aliquot millibus præstantissimorum, cum equitum, tum peditum, constabant, moui, suscepta *Ujvarinum* versus, profectione. Primis castris, in campos, qui sunt vico *Tordos-Kedd* oppositi, peruentum est. Isthic, examen apum, adspicientibus nobis, facto in aere rhombo, castra superuolabat, quod præstantissimi e comitatu meo, milites, *Paullus Teleky*, & *Joannes Pankotay*, vase acceptum, amœno in campis loco, deposuerunt.

Die XXX. *Aug.* ventum est cum exercitu, in *Ujvarini* conspectum, castris ad *Nyárad* positis.

Die XXXI. *Aug. Szinan Bassa Agriensis*, cum exercitu, & duobus maioribus tormentis, ad castra nostra accessit. Eodem die, primas (*v.*) in arcem litteras immisi, quibus, si eam præsidiarii dedere maturarent, facturum me recepi, vt incolumibus, cum impedimentis, decedere liceat. Adhibui præterea in consilium, *Franciscum Rédey*, *Dengelegi*, *Desöffy*, & *Bosnyák*, belli duces.

Die I. Septemb. Accessi *Szinan Bassam*, cumque eo collocutus, redii in tentorium, cumque in diem crastinum in conuiuium inuitaui. Postea, ad *Stanislaum Turzonem*, Semptinum, accelerato itinere, profectus sum.

Die II. Sept. in conuiuium adhibui *Bassam*, numerosis *Begis*, & optimatibus *Turcicis*, comitatum. Inficetum oppido conuiuium. Præterquam enim, quod ex patinis biberint, inuisi hospites, fercula profecto, ferarum ritu, deglubebant. Ad hæc, vno, duobus tri-

u.) Nescio, an non pietatem hanc, Davidis illa verba redarguant. Psalmo L. Versu 16. seqq.

v.) Ortelius P. II. p. 369, 6. litteras hasce, *Calendis Septembris*, e hastili suspensas, & non sine tumultu, ad portam *Viennensem*, fuisse defixas, memorat: quippe quas, *Janitschsarorum Aga*, exarauerit. quod secus est. *Turcæ* enim, quidquid litterarum in arcem, beneficio sagittarum immisere, clam id *Hungaros* faciebant, vt inescatis præsidiariis, arcem sub suam mitterent potestatem. Eiusmodi litterarum, fasciculum integrum, *Hungarice* exaratum, possideo.

busue saturatis, & ab accubitu discedentibus, succedebant alii, fœdo habitu, *Tartari*, & mensæ partem, qua erat vacua, occupabant. Epulum enim, sex mensis instrui curaueram, quibus *Turcæ* & *Tartari*, commode acciperentur. Vidisses, saturatum *Tartarum*, manus, quin & os manans pinguedine, veste vicini pellicea, absterssisse. Hem barbaros! Exercitus *Francisci Rédey*, hodie aggeres, quos ad *Ujvarinum* duxerat, subiit. Relatum a *Bassa* accepi, ante hos quinque dies, obsidione cinctum a *Vezirio*, Strigonium. *Testem voco Deum viuum*, me inscio rem geri coeptam. Reddet profecto, Deo vindici rationem, quisquis sit, qui hanc *Strigonio* cladem accelerauit.

Die III. *Sept.* *Johannem Omán*, vnum ex aulæ meæ primoribus, ad *Vezirium*, Strigonium obsidentem, vt litteras ei meas, cum gemino horologio redderet, dimisi.

Die IV. *Sept.* Ad conquirenda instrumenta, agendis fossis & aggeribus, necessaria, e meis nonnullos, in vicina oppida, & vicos, ablegaui. quibus simul iniunxi, vt præter ligones, & egerendæ humo, destinatos cosinos, agrestium multitudinem, quam possent maximam, & ducendis fossis atque aggeribus necessariam, in castra cogerent.

Die V. *Sept.* *Sigismundus Forgách*, relicta parte aduersa, nostras sequutus, *Semptinum* venerat, meque, vt se adirem, inuitauerat: quod tamen, dissuadente *Szinano Bassa*, nequiui facere, ne apud hominem vaferrimum, suspicioni locum facerem, quasi paciscendi caussa, eo profectus sim.

Die VI. *Sept.* Scripsi ad *principem*, cum de militis nostri, ob non soluta stipendia, tumultuatione, tum de *Turcarum*, infidissimæ gentis, quibus me onerent, suspicionibus. Præterea, consultatum in commune est, præsentibus *Szinano Bassa*, *Bosnyákio*, *Joanne Desöffy*, *Andrea Csomaközi*, *Balthasare* & *Joanne Korvács*, *Jacobo Radisoczy*. Rediit hodie *Johannes Omán*, ex *Vezirii* castris ad *Strigonium* positis, qui se, quam diligentissime curauit excusandum; *Strigonii* obsidionem, non sua lubidine, sed Cæsaris sui iussu, esse susceptam. Scit tamen, quo auctore res illa geri cœpta sit. *Hungarum* se simulat, cuius præcordia nouit Deus!

Die VII. *Sept.* Accepi litteras *Vezirii*, & summi *Tartarorum* ducis, eius argumenti, vt Hungaros captiuos, Tartaris redderem, quibus respondi: *Captiuos illos Hungaros esse, tradi eos Tartaris nullo modo posse. Si captiuos cuperent, in hosticum irent*, Hungaris *parcerent*. Atque ingenua hæc responsio mea, ingentes, aduersus me, apud iniquissimum genus, iras concitauerat, multis postea curis declinandas.

Die VIII. *Sept.* Scripsi ad *Vezirium* litteras, in hanc sententiam, oppido duram: *Quid esset rei, quod principe* Botskajo, *Statibus item atque Ordinibus regni inuitis*, Strigonium *obsidere sustinuerint: cum vi pactorum, versus* Canisam, *& inde* Greczium, *atque in Austriam susceipienda suisset expeditio?* Eodem die, *Johannem Verebély*, & *Matthaeum Baxam*, ad obsidendum *Neográdum*, cum sexcentis militibus *Hungaris*, & vno colubrino tormento, dimisi, quod certo certius cognoueram, id animo versare *Vezirium*, vt *Neográdum* quoque, obsidione cingat, & in suam mittat potestatem; quemadmodum id *Visegrádo* accidit, quod nec opinantibus nobis, sibi fecit obnoxium. Nollem proinde, vt adspectantibus nobis, & *Neográdum* Hungaris eriperetur.

Die IX. *Sept.* Aduenit, missus a *Vezirio*, vnus e primoribus *Csausiis*, qui mihi pretiosissima tentoria, equos generosissimos, magnam præterea auri & argenti vim, polliceretur, si, datis ad *Vezirium*, qualibuscunque litteris, testari voluerim, meo arbitrio & voluntate, se ad obsidendum *Strigonium* accessisse. At enim vero, tum, quod genuinum me esse *Hungarum* memini; tum, quod dulcissimæ patriæ, longe sim amantissimus; præterea *principi* meo, summa fide obstrictus; precibus eius locum dedi nullum, neque in posterum committam, vt pollicitationibus istiusmodi, irretiri me patiar. Nouit Deus, commodorum *Hungariæ*, me vnum omnium, longe studiosissimum esse.

Die X. *Sept.* Digressus sum, ad explorandos *Komaromicnsium* traiectus. Sub idem tempus, *Agriensis Szinan Bassa*, quem, *Hungariæ* deuincturus, in patrem adoptaueram, *Jahiali Tihaiam*, ad me misit, qui in apricis campis, *Bassæ* nomine, interrogabat: *Brevi ne sim Ujvarinum occupaturus; indigeremne, ad arcem oppugnandam, tormentis Turcicis; manendumne sit, vel abeundum, ab obsidione Szinano?* Quæ quidem quæstiunculæ, *Turcas* nobis diffidere, satis prodiderunt. Cui ego, cum me inutili sermone diu fatigasset: *profecto*, inquam, *vos omnes, quin ipse Vezirius vester, cum vniuersa Turcarum multitudine, non ad liberandam, sed perdendam penitus Hungariam, aduenistis. quod si porro perrexeritis tentare, equidem, malim Germanorum partibus accedere, & infesta aduersus vos arma ferre, quam cum hac vestra societate perseuerare.*

Die XI. *Sept.* Redditæ sunt mihi litteræ *Comitis Stephani Illésházy*, quibus nunciabat; quod, cum in dies magis magisque se *Turcarum* perfidia, aduersus nos prodat: quippe quibus, vrbes, oppida & vicos, igni ferroque vastare, agrestium liberos, atque vxores nobilium, abigere, lusus sit; de induciis cum *Germanis*, quam primum paciscendis, cogitationem se suscepisse. Proinde, litterarum argumento, cum his, quorum intererat, communicato, respondi *Illésházio*: *Nitriam*, vti aduenirem, vbi ipse etiam sim adfuturus, deque re ardua, mutuo habito colloquio, consultaturus. Eadem hac die, *Abrahamus Rácz*, derelictis *Germanorum* partibus, ad nostras accessit, egregia peditum manu stipatus, quem *florenis* admodum *centum*, ob insignem, qua tunc eramus, sumtuum penuriam, remuneratus sum.

Die XII. *Sept.* certior factus sum, *Vezirium*, de incunda, cum *Romanorum Imperatore* pace, agere cœpisse, vt ægre faceret *Hungaris*. Dedi *Abrahamo Rácz*, ex primatis sumptibus, *Imperiales trigin-*

ta duos, militibus autem ſuis, florenos *centum*. Pari ratione aggerum foſſores, *florenis quinquaginta*, pedites autem quindecim, *florenis viginti quinque*, demereri ſtudui, vt ſepimentum arcis, ſubiecto igne, exurant. Adlata ſunt præterea a centurione, cui *Fekete* cognomen, duo *Germanorum* vexilla, in prælio eis erepta. Tunc, & ab *Illésházio* litteræ mihi redduntur, quibus me *Nitriam* inuitat, inducíarum paciſcendarum cauſſa.

Die XIII. *Sept.* Accepi litteras, *Memii Baſſæ*, claſſis Danubialis præfecti, ex caſtris *Strigonienſibus* datas, quibus nunciabat, ſe cum vniuerſa claſſe, *Comaromium* ſtatuiſſe inuadere; agerem itaque, & quam poſſem celerrime, per continentem, mille, bis milleue peditem, inſultum facturos, ei auxilio mitterem. Quo cognito, procul omni mora, *Nicolaum Röny*, cum ſelecta manu, iter ingredi iuſſi. Sed bonus ille *Baſſa*, nihil earum rerum, quas promiſerat, ſuſcepit.

Die XIV. *Sept.* Profectus ſum *Nitriam*, ad *Comitem Illésházium*, vbi cum *Georgio Janki*, *Thoma Vizkeleti*, *Paullo Apony*, *Joanne Boſsáni*, *Thoma Bosnyák*, & aliis primoribus, multa, de induciis mutuo diſſeruimus.

Die XV. *Sept.* redux *Nitria*, *Kollonitſchii* litteras, de *Abrahamo Rácz* exaratas, accepi.

Die XVI. *Sept.* Cum mille delectis peditibus, de nouo inſultu ſuſcipiendo, pactus ſum, qui vnum, ex arcis propugnaculis, ſe ſumma virium contentione occupaturos, promiſerunt. His ego, gererent modo rem fortiter, ſingulorum me nomina in faſtos relaturum, & poſteritati commendaturum, ſpopondi. Ablegaui ad *Vezirium Andream Cſomaközj*, & *Joannem Uzj*.

Die XVII. *Sept.* *Georgius Baſta*, & *Sigefridus Kollonitſch*, miſſo ad me ciue *Comaromienſi*, ingentibus pollicitationibus, perſuadere mihi nitebantur, vt partes *Cæſaris* amplecterer. Conſultatum præterea eſt apud *Szinan Baſſam*, tunc pleuritide laborantem, de adſultu, futura hebdomade, certo certius ſuſcipiendo. Statuimus interim, arcem, a meridiano ſole, quinque tormentis, ſine ceſſatione, verberandam, & corbes, qui in aggeribus collocati fuerunt, deturbandos eſſe: eadem ratione, & a ſeptentrione, ex iis ſuggeſtibus, quos *Homonnaianos* vocant, pulſari arcem oportere. *Paullus Szúts*, *Tartarorum* capitaneus, miſſis litteris me docuit, duo *Valonum* millia, ad *Jaurinum* Danubium traiicere, vt *Comaromii*, cum *Baſta* exercitu, *Ujvarino*, ſuppetias laturo commeatumque, coadunarentur.

Die XVIII. *Sept.* Miſi ad *Vezirium*, cum epiſtola, *Thomam Bosnyákium*, qua, de conſilio paciſcendarum induciarum, edoceretur. Colubrina aliquot tormenta, vt heri conſtitueramus, per ſuggeſtus, dislocata ſunt. A *Szinano Baſſa*, *Begis*, *Agis*, & id genus optimatibus *Turcis*, litteras ſalui conductus petii, quibus, ſi per vim capi accideret *Ujvarinum*, mulieribus *Hungarorum*, puellis, & teneræ ætati, parſuros ſe reciperent: quippe, quum intellexerim, mille plus minus

nus capitibus, imbellem eam multitudinem, *Ujvarini* cenſeri. Coactis caſtrorum ducibus, diu multumque de adſultu proximo inſtituendo, conſultauimus denuo. Hic rhodus hic ſalta! Contra, *Cſillag-Bég*, cum *Szinano Baſſa*, diſſidere inuicem, quin aperte rixari cœperant, eo, quod ille adfirmauerit, tametſi *Hungari* occupauerint arcem, ſe tamen eam, cum præſidio inſeſſurum. Quo audito, procul omni cunctatione, *Stephanum Kereſztúri*, familiarem meum, ad *Vezirium* dimiſi, vt eum, meis verbis moneret, quo *Baſſis*, & *Begis*, qui obſidioni huic intereſſent, ſerio mandaret, dicto mihi eſſent audientes, neque obtinendi ſpe *Ujvarini*, ſeſe fruſtra lactarent; me enim, etiam atque etiam teſtatum velle, ſimulque intercedere (*proteſtari* vulgo dicunt) ſi res illa offenſarum cauſſa, ſicuti neceſſe eſt, facta fuerit. Proinde, litteras a *Vezirio* impetraret, quibus iniungatur *Baſſis*, vt de retinendo, ſi occupatum fuerit, *Ujvarino*, ſpem cogitationemque abiiciant. *Szinan Baſſa*, exquiſitiſſimo dolore colico vexatus, peſſime habuit.

Die XIX. *Sept.* Traiecto Danubio, *Kollonitſch*, cum ſuis, in conſpectum noſtrum venit, neque, niſi vno ab arce milliari, aberat. Quo cognito, nihil cunctatus, tredecim equitum turmas, delegi, cum quibus me hoſti obiicerem: cum interea *Kollonitſchius*, accenſis aliquot, vici, neſcio cuius, ædiculis, retro ceſſit. Agmen nihilominus noſtrorum velitum, *Kollonitſchianos* conſequutum, leui prælio laceſſiuit. Hodie, duo grandia tormenta, iuſſu *Szinanis Baſſæ*, vna cum ſedecim currubus pulueris pyrii, per *Turcas*, inuecta ſunt caſtris. Sed profecto, me inuito: quippe qui, noluerim vnquam, *Turcicis* tormentis *Ujvarinum* oppugnari; animo videlicet præcipiens, iniquas eorum deſtinationes. Redditæ mihi ſunt *Vezirii* litteræ, indignationis plenæ, quod *Neográdum* obſidione curauerim cingendum. Cui ego reſpondi: *Cauere me hac ratione voluiſſe, ne quod* Viſſegrádo, *noſtris præcepto, accidit*, Neográdo *quoque eueniat*. Redux a *Vezirio*, *Joannes Uzi* retulit: hodie, munitiones Strigonienſes montis *S. Thomæ*, per adſultum, magna licet *Janitſcharorum* clade, cum *Germanis* præſidiariis, interceptas eſſe.

Die XX. *Sept.* Rediit *Thomas Bosnyák*, a *Vezirio* e caſtris ad *Strigonium* poſitis, reddiditque mihi litteras vaferrimi hominis, acerbiſſimarum querelarum, aduerſus *Comitem Stephanum Illésházj*, plenas; quod ſe perpetuis ſcriptitationibus, iniquius laceſſeret, quodque falcem in ſuam meſſem mitteret. Inducias, cum *Germanis* prorſus diſſuadebat paciſcendas, immo iisdem, omni animi contentione, contraibat. Reuera enim id vnice apud animum verſabat, vt *Strigonium*, *Neográdum*, *Filekinum*, & *Szétsénium*, ſub ſuam mitteret poteſtatem. Hodie præterea, prælio haud incruento commiſſo, *Abrahamus* & *Georgius Rácz*, *Lucas* item *Szabó*, traiectum Danubii *Nagy-Megyeſenſem*, occuparunt. Eius prælii occaſione, *Palotás* quidam,

relictis Cæsarianorum partibus, ad noſtros ſe recepit, captis ſimul, duabus hoſtium celocibus, & naue traiectoria maiore.

Die XXI. *Sept.* Conſtitueramus, habito, cum perfidis *Turcis*, conſilio, vti, facto ſex diuerſis locis, adſultu, arcem, ſumma virium contentione, adoreremur. Et aſſenſerant omnino *Turcæ*, immo ſcriptis tabulis, fidem obſtrinxerant ſuam, velle ſe, vbicunque iuſſi fuerint, coadunatis nobiscum viribus, rem fortiſſime gerere. At enim vero, vbi procurrendum fuerat, iamque noſtri, ſumma vi, hoſtium munitiones adorerentur; *Turcæ*, ne caput quidem (*x.*) ex aggeribus & foſſis, in quibus delituerunt, exporrexere. Adeo gens iniqua, ſolitam perfidiam, nouo iſthoc documento, teſtatam voluit. Et, adparuit profecto; nihil magis *Turcas* in votis habere, quam, vt ſe *Hungari*, ac *Germani*, mutuo conficiant, atque ſua internecione, *Turcarum* potentiæ velificent. Eo adſultu, in primis ſtrenue ſe, cum peditibus ſuis, geſſit, *Martinus Nagy*, ex cuius agmine, plus minus ducenti, ſupputatis vna ſauciis, deſiderantur. Complures præterea milites fortiſſimi, atque inter hos, ex mea legione, præter legatum Capitanei, *Andreas Nagy*, maſcule occubuit. *Molliter oſſa cubent!* Ad latus vero meum, maxime, virtus *Joſæ*, *Thomæ Bosnák*, *Stephani Kereſztúri*, & *Georgii Somogyi*, emicuit.

Die XXII. *Sept.* Rumor, per caſtra increbuit, *Baſtam*, cum vniuerſo, quem ſecum habebat, exercitu, ad *Comaromium*, ponte nauali *Danubium* traieciſſe, vt laborantibus *Ujvarienſibus* ferat ſuppetias. Eo audito, delectam velitum manum, ad *Danubium* vsque iuſſi procurrere, vt hoſtem obſeruaret. Quæ, cum ad amnem acceſſiſſet, nihil eius rei deprehendit. Interim, *Szinan Baſſa*, miſſo ad me *Tahiali Tihaia*, multis modis, heſterni inſultus errorem, excuſatum voluit.

Die XXIII. *Sept.* Adferuntur hoſtium *Cſallóközienſium* vexilla duo, cum totidem nobilibus, quorum alteri *Matthias Aranyaſi* nomen fuit. Mitto *Franciſcum Matskásy*, e famulis meis vnum, vt nunciaret principi, neque *Hungaros*, neque *Turcas*, militari labore fungi amplius velle, ob ſtipendia nondum diſſoluta.

Die XXIV. *Sept.* Præſidiarii *Germani*, facta eruptione, noſtros, intra aggeres adoriuntur, quinque reſiſtere auſos, obtruncant, reliquos diſiiciunt; vno ex ſuis, quem glans plumbea deiecerat, poſt ſe relicto.

Die XXV. *Sept.* Pertæſus, *Baſtæ* & *Kollonitſchii* litterarum, quas ad me frequentiſſime miſſitabant, & varia, quæ partim ad principis, partim ad regionis perpetuitatem, adtinere videbantur, ſpecioſe ſcriptillabant, ſtatui apud animum, miſſis *Comaromium* familiaribus, eorum mentem penitius explorare.

Die XXVI. *Sept.* Duos, e primoribus familiarium, *Stephanum Ke-*

x.) Ortelivs, qui obſeſſorum diarium l. c. exhibuit, inſultum hunc *Turcis* tribuit, quod hinc emendandum eſt.

Kereſztúri, & *Benedictum Koták*, ad *Baſtam* & *Kollonitſchium*, eo fine mitto, vt quid me velint, prorſus cognoſcam. Reuera autem, non aliam ob cauſſam, *Baſta* & *Kollonitſch*, in has me curas implicuerunt, quam vt ipſorum pollicitationibus ſuſpenſus, *Tyrnauiæ* obliuiſcerer, eisque, per incuriam, intercipiendam permitterem. Hac ipſa luce, tria millia armatorum *Germanorum*, ſummo mane, cum eſt pecoris ad paſcua propellendi tempus, vi, qua potuerunt, maxima, portas *Tyrnauienſium* adorti, tribus eas horis, ſine ceſſatione oppugnant, quin & valuas exteriores, occupant. Ea tamen equitum *Hungarorum*, qui in præſidio erant, virtus fuit, vt cæſis *Germanorum* plurimis, eos, ad vltimum, fortiter reiicerent, igne ſimul, quem exteriori portæ ſubiecerant, tempeſtiue exſtincto. Proditione ciuium aliquorum, facinus fuiſſe conflatum, inde patuit, quod, cum ad defenſandas portas vndique concurreretur, proditores iſti, ædibus oppeſſulatis, domi ſe taciti continerent. Eadem die, tumultuari denuo *Hajdones* cœperunt, tanta feritate, vt *capitaneos* ſuos inſectati, ad ſupplicia depoſcerent; quin facta coniuratione, arma in principem, ſub ſuis ipſius ſignis, ſe conuerſuros, interminarentur. Hos ergo, vt delinirem iterum, res fuit ingentis, & ſollicitudinis, & laboris. Tandem, multis precibus, monitionibus, increpationibus, & pollicitationibus, expugnatos, eo adduxi, vt manſuros ſe quidem octidui ſpatio pollicerentur, ſed nihil quidquam laboris caſtrenſis ſubituros.

Die XXVII. *Sept.* Redierunt familiares mei, *Stephanus Kereſztúri*, & *Benedictus Koták*, a *Georgio Baſta*, referentes: Bastam, *mihi, tamquam filio adoptiuo, ſalutem & officia nunciare, ſimulque certiorem me facere, ſe propediem mecum conſlicturum. Quod ſi eum vicerim*, Chriſtianum *me ſuperaturum, eumque talem, cuius occaſus* Hungariæ *damnoſus*, Turcis *contra lucroſus ſit futurus. Sin autem a ſe victus fuerit profligatusque filius, tunc vero, feram fore apud* Cæſarem *gratiæ aucupationem. Ea propter, rogare ſe filium ſuum, deſereret iniquas* Botskaii *partes: quippe qui, herulus tantum ſit, haud vero princeps. Pateretur ſibi perſuaderi, vnctum Domini, nunquam derelictum iri.* Hodie præterea, *Szinan Baſſa*, cum reliquis *Agis*, & *Begis*, ad tentorium meum acceſſit, inſtitutaque conſultatione, ſtatuimus vnanimiter, circa arcem, colles excitari oportere, ex quibus oppugnatio inſtitui queat expeditius. In eandem ſententiam, & *Cſillag Bégus*, a prandio ad me veniens, conceſſit. Nuncium denuo ad principem miſi, ſimulque, in litteris perſcripſi; *neceſſum eſſe, vt quam fieri poteſt, ocyſſime adueniat; alioquin, ſi quid, tum ob tumultuantes* Hajdones, *tum hoſtium impreſſionem, præter opinionem ceciderit, me, extra culpam haberet.*

Die XXVIII. *Sept.* Conceſſi *Nitriam*, vt illic cum *Comite Stephano Illésházy*, de præſenti rerum habitu, conſultarem: quippe, ſollicitus, ne ob *Turcarum* perfidiam, res noſtra detrimentum caperet. *Vezirius* interea, die XXIX. Sept. *Kapuchi Baſſam* ad me miſit, per litteras nuncians; miſſurum ſe mihi *Ali-Baſſam*, cum *Begler Bégo*, auxilio.

xilio. Eadem die, *Baſtæ* velites *Raſciani*, excubias noſtras adorti, commiſſoque leui prælio, reiecti fuere. Ex inſula autem Cſallóköz, *Georgius Rácz*, XV. *Germanos* captiuos, ea regione deprehenſos, ad me miſit.

Die XXX. *Sept.* Inſtitui conſultationem, de obſidionis labore, cui interfuere: *Franciſcus Rédey*, *Cſillag-Bég*, *Tiha Ramodani*, *Johannes Deſsöffy*, *Johannes Kovács*, *Andreas Cſomaközj*, *Nicolaus Kéry*, *Johannes Szilaſi*, & *Thomas Örnyey*.

Die I. *Octobris.* Interfuimus conſilio bellico, quod apud *Szinan Baſſam* habebatur.

Die II. *Octobris.* Reſpondi ad litteras *Vezirii*, quas ab eo XXIX. *Sept.* per *Kapuchi Baſſam* acceperam, dimiſique eas, per familiarem meum, *Balthaſarum Thúry*.

Die III. *Octobris.* Hodie *Strigonium*, per deditionem in *Vezirii* poteſtatem venit. Nuncios accepimus, ex partibus trans Danubium ſitis, *Gregorium Némethi*, mille Vallones, prope *Sabariam*, ad internecionem deleuiſſe, *triginta florenorum millibus*, & *octingentis ſlopis* Bononienſibus, in prædam raptis.

Die IV. *Octobris.* Datis ad præſidiarios litteris, monuimus eos, arcem dederent, neque inſultibus ſe amplius temere fatigari cuperent. Sed, irrita fuit monitio. Ea propter, ex ſenatus bellici conſulto, colles excitare cœpimus. *Baſta* vero, ciuis *Comaromienſis* miniſterio, me iterum rogauit, vt paci conciliandæ, viam reperirem idoneam.

Die V. *Octobris.* Adlatæ ſunt *Vezirii* litteræ, iræ ac indignationis plenæ, quod *Ujvarinum* nondum expugnauerimus.

Die VI. *Octobris.* Aduenere *Neográdo*, duo e primipilis *Germanis*, arcem dedere parati, ſi ſaluus conductus, ſibi, ad tuto demigrandum, concederetur.

Die VII. *Octobris.* Dimiſi Neográdum *Stephanum Kereſztúri*, ſpectatæ fidei familiarem, vt *Germanos* præſidiarios, arce ea decedentes, ad ſuos, omni fide, comitaretur, atque eius arcis curam gereret.

Die VIII. *Octobris.* Redditæ mihi ſunt *Vezárii* litteræ, quibus nunciat, ſe quoque *Baſſam Budenſem*, ad obſidendum *Neográdum* miſiſſe, cum neceſſe ſit, locum eum *Turcico* præſidio præmuniri, eo quod ante hac ad ditionem *Turcarum Strigonienſem* pertinuerit, haberitque ſacra *Mahumedana*. Cui, ex templo reſpondi, *Neográdum* me nemini permiſſurum, ſiquidem, & *Strigonium* me inuito, & obſederit, & ceperit *Vezirius*.

Die IX. *Octobris.* *Georgium Somogy*, & *Nicolaum Kipſchia*, cum delecta octingentorum equitum manu, ad iuuandum *Kereſztúrium* miſi, ſcripſique ei, ne *Turcis Neográdum* permittat, tametſi ea res, mutua *Turcarum*, & *Hungarorum* clade, auerruncari debeat. Nunc eſſe, cum *Hungaria*, ciuium ſuorum indigeat fortitudine.

Die X. *Octobris.* Adferuntur litteræ *Kollonitſchii*, quibus a me decem obſides, & ſaluum conductum petit, contenditque, vt, tametſi

etſi de induciis haud conuentum fuerit, ei tamen, iter *Ujvarinum* tutum præſtem, vt arcem eam tradere mihi poſſit. Hucusque *Ujvarienſes* præſidiarii, ducentos equos, eosque inſulſos, deuorauere. quorum capita, pedes, & inteſtina, *Hungarorum* feminis, & tenellæ ætati, relicta ſunt: ſapidiſſima, nempe, aduerſus famem, obſonia.

Die XI. *Octobris.* Accepi *Comitis Illésházii* litteras, quibus ſcribit: cum intellexerit, *Vezirium*, *Turcarum* imperatori adferre velle *Ujvarinum*; malle ſe in *Turcas* arma ferre, quam id vt fiat, oſcitanti ſimilem, permittere. Sub idem tempus, & *Kollonitſchii* litteræ adferuntur, quibus me rogat, vrgetque, ne deſinerem, *Ujvarini* cauſſam porro agere. Hodie, *Vezirius*, per *Ibrahim Baſſam*, equum giluum, eximiæ quidem magnitudinis, cetera indecorum, neque me ſeſſore dignum, dono mihi miſit. *Thomam Bosnyákium*, ad *Comitem Illésházium*, Bazingam ablegaui.

Die XII. *Octobris.* *Baſſa Boſnenſis*, cum tribus maioris moduli tormentis, & duobus millibus *Janitſcharorum*, caſtra, ad *Ujvarinum* poſita, ſubiit. Eadem die, venatorum imperatoris *Turcici* magiſter, haud paucis *Turcarum* comitantibus, nobis auxilio venit.

Die XIII. *Octobris.* Acceſſi ad tentorium *Boſnenſis Baſſæ*, hominis ſenio confecti, totaque facie glabri, vbi me complures *Turcarum* optimates, *Begi* & *Agæ* ſtantes, ſumma honoris ſignificatione opperiebantur. Habito colloquio, vt beneuolentiæ erga me ſuæ documentum præberet, in filium me adoptauit, poſteaque, equo glauco donatum, blandus dimiſit. Ego vero, caballum eum, priſcæ fidei familiari *Stephano Soos* obtuli. Hodie, ſaluum conductum, a *Boſnenſi Baſſa*, pro *Hungaris*, qui ſunt in arce, petii, vt ſi adſultu occuparetur, incolumibus, cum omni ſupellectili ſua, eſſe liceret. Adii, & *Szinan Baſſam*, patrem itidem adoptatiuum. Tres enim inter Turcas patres habeo: *Mehmetem Vezirium*, *Haſzan Baſſam*, & *Szinan Baſſam*; vtinam, magno patriæ commodo!

Die XIV. *Oct.* Grandiora illa tormenta tria, & his priora ſeptem, in ſuggeſtus euexere *Turcæ*, vix vllo operarum pretio. Profecto enim, nihil firmius excogitari poteſt iis arcibus, quæ ſunt munimentis, e ceſpite congeſtis, incinctæ. Nihil eis, ſiue ſubiecto igne nocueris, ſiue tormentorum iactibus. Atque, in hunc modum *Ujvarinum* præmunitum eſt.

Die XV. *Oct.* Sub primam noctis vigiliam, rem tentaui oppido magnam, & diſcriminis plenam. Nimirum, permutato veſtitu, arcem *Ujvarienſem*, clam intraui, cum famulitio *Comitis Stephani Illésházy*, qui publica fide eandem ſubiuerat, dedendæ eius conditiones, cum præfecto, compoſiturus. Cum vero *Illésházius*, quod erat neceſſum, exſequitur, ego vigilias arcis omnes, tacitus, neque a quoquam agnitus, obii; rediique incolumis, eadem, qua intraueram, via. Ideo vero, hoc, quidquid erat periculi, ſubire mihi viſum eſt, vt, ſi de tradenda arce, inter nos haud conueniſſet, perſpectas habe-

rem vigiliarum rationes. At, profecto, maſcule, ſummaque cura, & vigilantia, ſtationes arcis omnes fuiſſe cuſtoditas, deprehendi.

Die XVI. *Oct.* Præſidiarii non minus, quam qui arcem obſe-dimus, diem transmiſimus, ab omni bellico ſtrepitu vacuum. Quin, & *Turcis*, nunciandum putaui, vti ſe a iaculationibus, arci infeſtis, abſtinerent: quod quidem, nihil cunctati, præſtitere.

Die XVII. *Oct.* Horis antelucanis, poſteaquam diu multum-que, mutuo diſceptaſſemus, traditum nobis a *Germanis* eſt *Ujvarinum*. Proinde, procul omni mora, immiſi in arcem *Thomam Bosnyák*, cum delectis, *Michaelis Farkas*, & *Martini Nagy*, cohortibus, numerum ducentorum capitum, æquantibus. Quas, nihil cunctatus, ſequutus ipſe ſum, recepique a *Germanorum* præfecto, arcis claues. Tunc o-mnes propugnaculorum angulos, ſumma cura perueſtigaui, & pro-curatis rebus neceſſariis, atque arcis cuſtodia, *Bosnyákio* tradita, in-tra arcis mœnia, pernoctaui. Sane, plurium decurſu annorum, ſomnum tam placidum, haud cepi, quam, cum ſubiectis ceruicali, arcis clauibus, poſt tot labores exantlatos, incubauiſſem. Poſtea, clauibus *Bosnyákio* traditis, commonitoque eo, vt virum ſe præſta-ret, in caſtra redii, atque illic cum vniuerſo exercitu, ob arcem oc-cupatam, Deo ſolemnes gratias perſolui.

Die XVIII. Eodem tempore, & *Baſtæ*, & *Kevélly-Baſſæ*, lit-teræ adferuntur. Quorum hic, ſerio me monet, vt totidem *Tur-cas*, quot *Hungaros*, in præſidio arcis *Ujvár*, collocarem; ſed vero, nihil eius futurum. *Baſta* vero, multis, iisque conceptis verbis, me rogat, vt *Gregorium Némethi*, a vaſtatione *Auſtriæ*, reuocarem, ne-que *Chriſtianos*, temere adfligi permitterem; in primis, cum de con-ſtituendis induciis, iam agatur. Minimum, quietus eo vſque eſſem, dum ipſe, princeps *Botskayus*, aderit. Mitto, *Caſparum Csuti*, ad *Baſſam Boſnenſem*, qui præſente *Haſzan Baſſa*, durioribus eum ver-bis accepit, poſteaque indignabundus: *ſi lubet*, inquit, *noſtram Turca-rum ſequi amicitiam, maiori eam fide ſequamini; ſin minus, frame-rem decernamus*. Educuntur *Ujvarino* LIX. captiui *Turcæ*, quos ſine lytro, *Turcis* reddidi, alioquin 16260. florenis redimendos.

Die XIX. *Oct.* me inſalutato, atque inuito, fremebundus *Tur-carum* exercitus, caſtra *Ujvarienſia* deſeruit, eo, quam maxime of-fenſus, quod *Turcas*, in præſidium non receperim.

Die XX. *Oct.* Rumor inualuit, *Baſtam*, cum ſuo, & *Mora-uorum* exercitu, *Gregorium Némethium*, Auſtriam vaſtantem, adgredi velle. Ea propter, nuncium miſi ad *Vezirium* Strigonium, rogans, iuberet aliquot turmas equitum, per partes transdanubianas, profe-ctionem ſuſcipere verſus *Auſtriam*, ad me vero *Boſnenſem Baſſam* mittere; quod ſi fecerit, me quoque, cum vniuerſis caſtris ver-ſus *Morauiam* hinc moturum; vt gemino hoc exercitu a *Némethio* inuadendo, Germanus depellatur.

Die XXI. *Oct.* Præſidiarii *Ujvarienſes Germani*, arce decedunt, quos

quos ipſe ego, aliquot *millibus Hungarorum* ſtipatus, *Comaromium*, integerrima fide comitatus ſum. Cum ad *Danubii* ripam ventum eſſet, redduntur *Strainero*, Ujvarienſi hactenus præfecto, litteræ *Ba-ſtæ*, quibus eum, a dedenda arce dehortatur. At enim, tarde fabu-lamini, o boni!

Die XXII. *Oct.* Subii, cum vniuerſis exercitus ducibus, arcem *Ujvarienſem*, atque occupato amicorum Romanenſium templo, *Te DEum laudamus*, ſolemni ritu, occinendum curaui, quod me diui-na bonitas, arce potiri ſiuerit. Habitus inde ſermo facer, a *Piskol-tzio*, caſtrenſi meo concionatore, quo ceſſante, feſtiuas inſtitui diſ-ploſiones.

Die XXIII. *Oct. Baſtæ*, & *Kollonitſchii* litteræ, adferuntur, qui vterque me rogitat, vt induciarum curam habere apud principem, ne deſinerem. Rebus *Ujvarini* confectis, ſtatui, die craſtino, caſtra *Poſo-nium* verſus mouere.

Die XXIV. *Oct.* Habitis Deo gratiis, quod me, in *Ujvarino* intercipiendo, & *Turcis*, a ſpe eius potiundi deiiciendis, felicem es-ſe voluerit, numine propitio, caſtra, in campos *Mocſinokenſes*, promoui.

§. VI.

Mœnia Ujvarini, *a* Borskajanis *inſtaurata:*

HActenus ephemerides *Homonnayanæ*, non ingratæ, credo, lé-ctori futuræ: quippe, ex quibus condiſcet, quam male ſe *Hungari*, *Turcarum* fœderibus, innexuerint ſæpius. *Homonnaii* certe, & *Illésházii*, ſi belli cauſſam demas, laudanda eſt contentio, quod arcem auxiliatoribus *Turcis*, haud permiſerint. quod vnum, in tota hac obſidione, præclare adminiſtratum eſt. Occupato *Uj-varino*, eluſaque *Turcarum* auiditate, dedere operam *Botskaiani*, vt, quam poſſent celerrime, arcis munitiones redintegrarent. *Homannay* ſcilicet, *Thomam Bosnyák* cum imperio iſthic reliquerat, eique, in mandatis dederat, vt, præter arcis cuſtodiam, in primis curam lace-ratorum aggerum, commendatam ſibi haberet: dum ipſe, *Piſonienſium* vrbem, arcemque, metu incuſſo, fit perdomiturus. Minas (*y.*) huc comparatas, & extra modum feroces, ex iisdem ſuis ephemeridibus, in eius ciuitatis hiſtoria, adſcripſimus. Sed reuera, ex pelui fuiſſe fulmina, breui poſt adparuit. Præterquam enim, quod cum *Piſo-nienſibus*, ad d. III. *Novembr.* vindemiales inducias pactus eſt; a *Bots-kayo* ſubito reuocatus, eidem, in campo *Rákos* (*z.*) ſalutandi *Vezirii* cauſſa, occurrit, vrbemque adeo Piſonienſem reliquit incolumem. Antequam vero *Ujvarino* diſcederet *Homonnayus*, diſtributo, per hi-berna, exercitu, *Johannem Desöffy*, poſt ſe reliquit, qui militem quidem hibernantem, tamquam ſuus, iſta regione, legatus, (*a.*) ar-cem autem *Ujvarienſem*, mutuis, cum *Bosnyákio*, conſiliis, mode-

rias cuſto-dia, quibus ab Ho-monnayo, *fuerit com-miſſa:*

Xx 2 ra-

y.) Tomo I. Operis p. 219.

z.) Legeſis ſolemnitatis eius Hiſt. Tomo III. p. 72. ſeqq.

a.) Exſtat in eodem *Homonnaii* diario, *Inſtructio*, quemadmodum ſe ducum vterque, *Desöffy* et *Bosnyák*, in exercitu, arceque adminiſtranda, gerere debeant.

raretur. Itaque, paruit *Botskayo* Ujvarinum, vſque ad *Viennenſem* pacificationem illam. Qua, inter vrbes arcesque reliquas, *Ujvarinum* quoque, ſuo regi, *(b.)* vindicatum eſt; ſed mortuo demum *Botskayo*, hoc eſt, anno MDCVII. die XI. Febr. *(c.)* *Sigefrido Kollonitſchio*, redditum.

redditur Cæſari.

§. VII.

Ujvarini ad defenſandam regionem opportunitas:

QVieuit hinc *Ujvarinum*, & nouis ſubinde inſtructum operibus, tutelæ fuit regioni, paſſim incurſionibus Turcarum *Strigonienſium*, male habitæ. Atque id quidem, tumultus *Botskaiani* fuiſſe beneficium, ætatis eius ſcriptores haud *(d.)* diſſimulant. Niſi enim *Illésházy* prouidentia, *Homonnaii* vero, qualiscunque in patriam pietas, *Turcas*, ab arcis inſeſſu, tempeſtiue depulisſent, tota facile *Hungaria*, occupato ſemel *Strigonio*, vti res erant trepidæ, in barbarorum poteſtatem conceſſiſſet. Adeo, ipſa etiam bellorum damna, non raro, ſua habent compendia. Recepto tandem, ex *Pacificationis Viennenſis* legibus, *Ujvarino*, conſolidandæ, quæ ad *Situm Torokum*, quomodocunque coaluerat, paci, nouam iſthic tractationem inſtitutam fuiſſe, eius ætatis ephemerides adnotarunt. Ita ZAVODSZKY: *Ann. MDCVIII. die XXIV. Martii, Turcæ, pro noua pacis tractatione, cum CLXV. equitibus*, Ujvarinum *ingreſſi ſunt. Cum quibus, pro legatis a Baſſa Budenſi miſſi fuere*, Amhat Tihaja, Mullepha Effendi, & Huſſam, Begus *Simontornyenſis. Sequentibus diebus, vſque ad XXVII. cum iisdem Turcis tractatum, ac diſceptatum fuit, tandem, Deo auxiliante, tam de ſemel concluſæ pacis confirmatione, quam oratorum Conſtantinopolim dimiſſione*, *ſimul* & Haydonum *condeſcenſione*, *concluſum ac determinatum.* Vix vero tria luſtra interceſſerant, cum *Gabrielis Bethlenii* tumultus, *Ujvarinum*, e Cæſaris poteſtate, eliſit denuo. Præerat arci *Petrus Kohári*, vir, & manu fortis, & promtus conſilio. Is, vbi, circumſitæ regionis propugnacula omnia, *Fülekinum*, *Szétsénium*, *Vaczóuiam*, *Neográdum*, *Gyarmathinum*, *Nitriam* atque *Tyrnauiam*, occupata ab hoſtibus, intellexiſſet, ad defenſandum *Ujvarinum*, pro eo, ac fortem & impauidum virum decet, ſe comparat. At enim, vix in arcis conſpectum *Bethleniani*, duce *Georgio Szétſi*, venerant, cum præſidiarii, dedi oportere arcem, vno omnes ore, nefarie conclamant. Reſtitit, pro virili, iniquiſſimæ poſtulationi *Kohárius*, & qua precibus, qua minis, milites in fide & officio continere, adniſus eſt. Sed, fruſtra præfecti hæc fuit conſtantia. Præſidiarii enim, *(e.)* correpto eo, & compedibus vincto, portas *Bethlenianis* vltro adaperuere, deditaque arce, ſimul, & *Kohárium*, facinus illud conſtanter exſecrantem, *Szétſio* tradidere. Iſta, anno MDCXIX. III. Calendas Octobres euenerunt, & *Kohárius* quidem, *Caſſouiam* abductus, diu carceris ſqualores tolerauit; *Ujvarinum* autem, idoneo præſidio communitum, toto poſtea biennio, perfugio fuit *Bethlenianis*, late, per *Auſtriæ*, *Morauiæque* fines, graſſantibus. Qui hinc ſequutus eſt annus MDCXX. magnam oppido cladem adtulit: quippe, quod, coorto incendio, partem maximam, deletum eſt, parumque aberat, quin annonaria domus, atque armamentarium, conflagraret. Non caruit res ea ſuſpicione, *Turcarum* maleficio, qui *Buda*, *Strigonio*, aliisque locis, incendiarios emiſerant, vt qua poſſent, *Chriſtianorum* oppidis vicisque, nocerent, incendium illud procuratum fuiſſe. Proinde, dati in cuſtodiam fuere, qui tanti facinoris ſuſpicionem, vulgo ſibi collegerant. Aedibus arcis, pro tempeſtatis eius habitu, quomodocunque inſtauratis, totus poſtea annus ille, *Ujvarienſibus*, ſine moleſtia abiit.

capitur a Bethlenianis, præſidiariorum maleficio;

igni fortuito exuritur.

§. VIII.

ANno MDCXXI. vere adulto, obſidione a *Cæſarianis* incingebatur *Ujvarinum*; ſed infelici ea, & cum iactura ſummi ducis, *Bucquoii*, coniuncta. Res ita ſe habuit. Poſteaquam *Thomas Bosnyák*, atque *Georgius Szétsj*, ſequacium *Bethlenii*, facile principes, Cæſaris partes, deſerto *Tranſiluano*, ſequuti fuiſſent, atque *Szétſius* potiſſimum, capto *Francisco Rédeyo*, Botskayanorum olim primipilo, *Veſprimio*, atque *Filekino*, recuperatis, fidei in Cæſarem documenta, edediſſet, bellum, aduerſus *Bethlenium* redintegratum eſt. Huic gerendo, *Bucquoius*, magni vir animi, & ſcientia rei militaris, nemini ſecundus, a *Cæſare* præficitur. Is ergo, exercitu, viginti quatuor millium, coadunato, *Piſonium*, ex itinere, capit. Inde, promotis caſtris, *Rétsam*, *Szent Györgymum*, *Bazingam*, *Modramque*, exurit. Hac, vicinorum calamitate, perterriti *Tyrnauienſes*, non exſpectato exercitus aduentu, *Cæſari*, iurata fide, poſtliminio accedunt. Quorum exemplum, *Cſallóközienſes* inſulani, & cum his, *Altenburgenſes*, ſequuti, ſpem *Bucquoio* iniecerant, expeditionis, quam poſtea euenit, multo felicioris. Iſtis enim ſucceſſibus, fidentior factus, *Sintenſem* arcem, tridui fere ſpatio oppugnatam, ea lege occupat, vt præſidio nuda, ſolius heri cuſtodiæ, permitteretur. Itum poſtea eſt ad *Ujvarinum*, *Bethlenianis* extorquendum. Iam inierat *Junius*, cum in arcis conſpectum *Cæſariani* veniunt. Geminam, occupandæ eius viam, *Bucquoius*, incundam ſtatuerat: alteram, largitione præſtruendam, vi pertentandam alteram, ſi prior ſpem fefelliſſet. Cognouerat ille, per exploratores, diſſidiis, inter præſidiarios gliſcentibus, primorum ſimul animos, in diuerſa trahi; qua quidem opportunitate, magno *Cæſaris* commodo, vſurus fuiſſe putabatur *Bucquoius*; niſi *Thurzo*, qui ſe paullo ante, cum quatuor millibus, arci iniecerat, *Bucquoianis* artibus, obicem poſuiſſet. In annalibus reperio, *ſexies centena millia nummum*, quos *florenos* vocant, in caſtris habuiſſe *Bucquoium*, vt, & ſtipendia militi ſoluere poſſet, & hoſtium primores corrumpere. Quin

Ujvarinū a Bucquoio obſeſſum:

rei geſtæ hiſtoria.

b.) Vide, *Pacificationis Viennenſis* eam partem, quæ perſonam Dn. Botskay, eiusque contentationem, concernit. §. XIV.

c.) Ortelivs, P. I. p. 430. b.

d.) Idem P. II. p. 2. b.

e.) Adi Franciscvm Kazy, Hiſtor. Hung. Lib. III. pag. 171. Recole, ſupparem nepotis ſui *Stephani Kóhárii*, fortunam, eodem hoc Tom. IV. p. 82. ſequ.

& rerum pretioſarum, tantam ſecum vim adtulerat, quæ, ad *ducenta florenorum millia*, a rerum peritis, æſtimaretur. Proinde, militi ante omnia, trimeſtre ſtipendium perſolutum, vt, & ſacramenti eſſet tenacior, & animoſior in hoſtem. Interea XII. tormenta minora, maximi autem moduli VII. cum ingenti *colubrino*, caſtris inuecta fuerant. Sed, antequam obſidionales operæ inchoarentur, commeatus inopia, vrgeri cœpit exercitus, inde ſubito coorta, quod *Bucquoius* quidem, igni & ferro, regionem circumfuſam euaſtarat, *Bethleniani* autem, perpetuis incurſibus, (*f.*) cum *Cæſareorum* impedimenta, tum pabulatores maxime, pergerent infeſtare. Itaque, maturandam obſidionem ratus *Bucquoius*, arcem, operibus cingit, viasque obſidionales, ſumma induſtria ac feſtinatione, duci iubet. At, præſidiarii, ſerio rem agi videntes, cum & reſiſtendo pares eſſent, & ſtrenue, a contribulibus, rem extus geri viderent, facta ſemel iterumque eruptione, breui, noningentos *Cæſarianorum*, conficiunt, opera conuellunt, lateque in impedimenta graſſantur. In primis noxia *Cæſarianis* eruptio fuit, quam ad diem XXVI. *Junii* ſuſceperant obſeſſi. Multi tunc vtrinque cecidere; ſed plures tamen ex obſeſſoribus. Stragem eam vlturus *Bucquoius*, tormenta, in ſuggeſtus euehit, omni virium contentione, arcem verberaturus. At enim, quia porta ſupererat, per quam libere, huc atque illuc, commeare potuerant obſeſſi, de ea præcludenda ſollicitus, die X. *Julii*, ad ſpeculandam loci opportunitatem, proficiſcitur. Erant in eius comitatu, ducum fortiſſimi, ſelecta præterea velitum manus, in ſuppetiis collocata. Cum ergo, arcem, cum ſuis, obequitat, ab incurſantibus *Bethleniani*s, in patentes campos incautus prolicitur. Eo viſo, qui in arce fuerant, erumpunt & ipſi, atque facto cuneo, in *Bucquoium* feruntur. Ancipiti periculo circumuentus, cum, & a fronte & a tergo, premi ſe videret, hi vero, qui laboranti opem ferre debuerant, pauidi diffugerent, manus cum hoſte, animo, quam ſucceſſu, meliore, conſerit. Fit atrox pugna, quæ demum *Bucquoii* nece terminata eſt. Equo enim ſuffoſſo, cum diu pedes ſeſe defenſaſſet, tandem, ſedecim vulneribus confectus, haſta transfigitur. Periere eo conflictu, ducum haud pauci, *Torquatus* autem de *Comitibus*, princeps, cum ſociis, in captiuitatem abductus. Occiſorum cadauera, quia, quorum eſſent, ignorabant *Hungari*, eo, quo dimicatum eſt, loco, relicta fuere; *Bucquoii* tamen a *Cæſarianis*, clam poſtea ſublatum, atque, dein XX. Julii *Viennæ*, ritu caſtrenſi, tumulatum eſt. Ducis occaſus, ſimul per caſtra vulgatus eſt, tanta omnes trepidatio inuaſit, vt vix contineri potuerit miles, quin, relictis ſignis, diffugeret. Qua re fa-

Bucquoii occaſus:

f.) De his Franciscvs Kazy, Hiſt. Hung. Lib. III. p. 194. Stephanvs Horvativs, *inquit*, cum MD. equitibus, modo *Motzonoko*, modo *Komiathia*, procurrens, infeſtabat caſtra; depulſus, extemplo, ex iisdem locis, hoſtis inquies, reuolabat, et ab oppugnatione *Bucquoium* auertebat. Quo pluribus partibus obſidentes frangerentur, ferociſſimi ex arce crebro erumpebant, et modo ſœdam operum, modo luctuoſam, fortium virorum, ſtragem edebant.

factum eſt, vt non iam de *Ujvarino* oppugnando; ſed exercitu, ſine cæde, reducendo, conſultarent duces. Accedebat his malis, *Vallonum* tumultuatio, *Tieffenbachio*, qui cæſo *Bucquoio*, exercitui præerat, parere recuſantium. Proinde, ad diem XVII. *Julii* profectione edicta, nocte concubia, ſummo quidem ſilentio, cælo tamen, nimium tempeſtuoſo, caſtris egreſſi *Cæſariani*, ad *Guttam*, tenue, intra *Vagum*, & *Danubium*, munimentum, altero die conſedere. Eo aduerſo præſidiarii, confertim ex arce proruunt, & cæſis, qui ad remorandos inſectatores, ſortito (*g.*) excubabant, vltimum *Cæſarianorum*, agmen male mulctant. In caſtris, præter machinas bellicas XV. eximium rei tormentariæ adparatum, quod auehendo ei non fauerat tempeſtas, repererunt *Hungari*, quem demum, ouabundi, in arcem inuexere. *Tieffenbachius* interim, quod exercitui, recenti hac clade exacerbato, fræna nequiret iniicere; *Bethleniani* contra, rerum denuo potiti, totam circum regionem, non impune modo, ſed ſtrage etiam in *Cæſarianis* paſſim edita, peruagarentur; lugens, fremensque, & ad *octo millium* paucitatem redactus, militem, *Piſonium* partim, partim *Jaurinum*, atque *Comaromium*, dimiſit. Tanti tunc, *Ujvarini* obſidio conſtitit.

obſidionem ſoluit.

§. IX.

Quando Turciæ tyrannidi ſuccubuerit:

Pace, inter Cæsarem, & Bethlenivm, quæſitis conditionibus, ſemel atque iterum reparata, *Ujvarinum*, hoſtibus eiuratis, in obſequio regum optimorum, permanſit: donec, tyrannis *Tiercarum*, quam *Botskaiani*, multa & laudabili prouidentia, declinauerant, in arcem penitus incumberet. Funeſta vel ad recordandum, res eſt; commemoranda tamen, vt ſapiat auorum malis, poſteritas. Annus ſurrexerat, MDCLXIII. *Hungariæ*, omnium, quos toto hoc ſeculo vidit, calamitoſiſſimus. Nimirum, Cæsaris, ad propulſandum bellum debilitate aduerſa, exercitum, ſolito numeroſiorem, validioremque, *Turcæ* cogunt. *Centum & quadraginta millium* fuiſſe, palam conſtabat. Has tantas copias, Calendis Auguſti, *Strigonium* adducit *Vezirius*, nuper, ea dignitate potitus. Iſthic vero demum, de ſumma belli, ſpe pacis, quam noſtris fecerant, maleuolentiſſime eluſa, arcane adeo conſultat, vt in quam partem procellam eſſet effuſurus, ne diuinando quidem, ſagaciſſimi noſtrorum duces, penetrare valuerint. Simul certe *Comaromio*, *Ujvarino*, *Jaurino*, *Viennæ*que metuendum, ſingulis ideo præſidia imponenda, importandus commeatus erat, vt, ſi qua vis ingrueret, ferendæ ei non ſolum, ſed propulſandæ etiam, pares exiſterent. Præcipua tunc *Montecuculi*, ſummi *Cæſareorum* ducis, prudentia emicuit, paucitatem ſuorum, ita occultantis, vt multum omnino, vnica ea re, ad totius belli molem fu-

belli rationes, ab hoſte, quomodo initæ:

res noſtrorum trepidæ, & Montecuculi, eximia prudentia:

g.) Ortelivs P. II. p. 82. auctor eſt, tantam in caſtris fuiſſe conſternationem, vt nemo inter præfectos reperiretur, qui agmen voluiſſet claudere. Quocirca, iacta, ritu caſtrenſi, alea, *Maximianum*, quendam *Colonellum*, id muneris, ſuo militumque exitio, ſuſtinere debuiſſe.

ſuſtentandam, profeciſſe creditus fuerit. Eum enim caſtris locum delegerat, vnde virium (*h.*) exilitas celari opportuniſſime, vbi item oſtentare ſe, incautos carpere, annonam intercipere, tum, ſeu *Jaurino*, ſeu *Ujvarino*, ſuccurrere commodiſſime liceret: *Ovarinum* ſcilicet, quod Germanis *Altenburgum* dicitur. Oppidum eſt, ad *Laitæ*, & *Danubii* confluentem, quatuor, infra *Piſonium* milliaribus, opportune poſitum. Hinc itaque, & *Cis-Danubianæ* Auſtriæ, præſidio eſſe poterat *Montecuculius*, & ripam ſimul *Danubii* vtramque, pontibus rite commiſſam, obtinere, præſto futurus, quodcunque demum limitaneorum propugnaculorum, ab hoſte impeteretur; ſic, tum arcum hoſtis, chordam obibat *Montecuculis*. Nec alibi annona, milesque, minore periculo, ſubuehi potuerat. Denique, id adſequebatur, quod in primis ſibi propoſitum fuiſſe, ſcriptum in ſuis commentariis reliquit, vt, de virium imbecillitate, diutiſſime hoſtem celaret. quæ res, vti ſaluti fuit, quamdiu arcana habita eſt; ita, perfugarum indicio prodita, pene vltimam, rebus noſtris, perniciem adtulit. Verba ſunt WAGNERI, (*i.*) quem narrando ſequimur.

caſtrorum, quæ is delegit, opportunitas.

§. X.

Turcæ *obſidionem decernunt:*

SIc ſe res noſtræ habebant, cum *Turcæ*, obſidionem *Ujvarini*, dubiis hucusque agitatam conſiliis, vnanimiter decernunt: quippe quod, & periculi minimum haberet, neque *Vezirius*, in ipſo tanti muneris limine, *Comaromii*, aut *Jaurini* oppugnatione, fortunam ſuam periclitari vellet. Tunc, diebus aliquot, recreando militi conceſſis, *ſexta Auguſti*, belli ſit initium. Nondum, pontem *Danubio* iniectum, penitus contabulauerant, cum tria *Janitſcharorum* millia, *Párkánum*, obuerſum *Strigonio*, munitumque oppidum, eo conſilio hoſtes traiiciunt, vt operas tegerent, & ſequuturo mox exercitui, ripam eam tutam præſtarent. Eo, per exploratores cognito, *Adamus Forgách*, præfectus *Ujvarini*, ante delendos cenſuit, quam, aut pontem ſolidarent, aut ſuppetiis acceptis, prorſus conualeſcerent. Egregium ſane facinus futurum, ſi conſiliis fortuna reſpondiſſet. Verum, ſicuti virum, fortem magis, quam felicem, vnius transfugæ, an proditoris, (ruſticus fuit ditionis *Turcicæ*) in has conſiliorum ſyrtes, illicuit; ita, non potuit non imprudens cœptum, bonus euentus deſtituere. Audiamus WAGNERVM: *Re*, inquit, (*k*) *intellecta*, Forgáchius, *Ujvarini gubernator, opprimendos ante ratus, quam aut pluribus copiis firmarentur, aut pontis fabrica abſolueretur, adſumta magna præſidiariorum parte, equitibus e Waltheriana legione ſexcentis, e Landronia ac Bioia, ſclopetariis ſexcentis, Vngarum militem, tum prouincialem, tum legionarium, ad ſex fere millia propere contrahit; quatuor leues machinas, & mortarium vnum ſecum vehens, infeſtando, poſt victoriam, quam certam præſumſerat, Parcano. Monebant Forgáchium præfecti, ne ante*

Danubium traiicere occipiunt:

Forgáchii *præceps facinus:*

h.) Vide WAGNERVM, fuſe, ſciteque, belli hiſtoriam exprimentem, L. II. p. 127.

i.) Eodem iſto loco.

k.) Ibidem, p. 125.

te in hoſtem duceret, quam exploratores alii, conſentanea prioribus referrent. His admodum variantibus, ea demum pars, quam ipſe malebat, credibilior viſa. Igitur, tota nocte, quæ ſeptimum Auguſti præcedit, ſilenti agmine, per apertos campos, ita, vt in acie conſtituti erant, profecti, ſub auroram, dubia adhuc luce, in primas hoſtium ſtationes incurrunt. Ita ergo, totius culpa expeditionis, in *Forgáchio* reſederit. Et non eſt omnino inficiandum, præpoſtere ab eo, in expeditionem itum eſſe, quæ, ſi male cecidiſſet, rei Chriſtianæ, periculi plurimum, ſin ex animi ſententia, hoſti parum detrimenti, adlatura videbatur. Tamen, ſi fatendum ſit, quod ſentio; maior culpa contracta ab iis fuit, qui *Forgáchium*, periculo intellecto, iter flectere cupientem, non retentabant modo, ſed, vt porro pergeret, propemodum conuitio militari, ſtimulabant. In his *Pioius* fuerat, vir, animi, quam conſilii, maioris: quippe, interminatus ſubinde, ſi cœptis deſiſteret *Forgáchius*, totam rei feliciter gerendæ gloriam ſuam, *Germanique* militis, cum quo adgredi hoſtem conſtituiſſet, futuram. Quid ergo ageret *Forgáchius?* Certe, imbellis metus notam, (atrox in duce malum!) euitaturus, inuitus licet, reuera tamen, ire debuit in paratam cædem. Ergo, cladis occaſionem *Forgáchius*, cauſſas *Pioius*, ſuas fecere.

Pioii *obſtinatio, multo deteriar.*

§. XI.

HAec adnotanda erant, (*l.*) ne, quod plurium errore commiſſum eſt, vni *Forgáchio*, crimini in poſterum detur. Jam, quæ prælii & cladis conſequutæ ratio fuerit, videamus. Simul in conſpectum hoſtium venere noſtri, tympanorum pulſus, ſtridorque tibiarum, quam pro creditæ paucitatis numero, maior exauditus eſt. Percontatus, ex *Forgáchio* collega *Pálffyus*, quid tantus ſibi clangor in hoſtium caſtris portenderet; ille, diſſimulato eo, quod erat, *ad preces Turcas vocari* reſpondit: cum reuera claſſicum canerent, in noſtros agmine facto, iam iam irrupturi. Ad *vndeviginti millia*, eorum exercitus accreuerat, quem collibus, qui crebri regionem illam diſtinguunt, occultatum, totam noctem, in acie perſtare, duces iuſſerant. Iam & noſtri propius ſucceſſerant, ex feſtinato itinere, præ laſſitudine, vix corpora trahentes, cum octo & decem *Turcarum* agmina, in dextrum cornu, cui *Forgáchius* præerat, toris viribus inuehuntur. Quæ ille, tanta virtute excepit, vt cæſis primorum haud paucis, reliquam multitudinem retrocedere coegerit. Ea clade exciti *Turcæ*, nutantem ſuorum aciem, per ſubſidiarios manipulos, non conſolidant modo, ſed vrgent etiam pedem proferre. Itaque, ne ab increſcente multitudine, ante iuſtam pugnam obrueretur, & *Forgáchius* ſuos ſubſidiarios confeſtim euocat. Septem *Hungarorum* ſigna fuere, quæ, vbi prompte ducis nutui obſequuntur,

Prælii, & conſequuta cladis, hiſtoria.

l.) Ita, præter ORTELIVM P. II. p. 264. a. JOHANNES FERDINANDVS AVER, qui rei geſtæ interfuit, in *Hiſtoria Captiuitatis Conſtantinopolitanæ*, manu ſua conſcripta: dedimus, tragœdiam hanc, occaſione, recenſitæ *Piſonienſium* cædis, Tomo I. p. 263. ſequ.

iamque pugna incaleſcit, cum tria prouincialium vexilla, citatiſſima fuga, e ſtationibus, quas vltimi obtinebant, diffugiunt. Rem, a tergo & fronte, in periculum deductam, *Waltheriani* equites, reparaturi credebantur. Et ſuſtinuere omnino, multitudinis impetum aliquantiſper, donec ſiniſtro cornu, quod *Pálffyus*, & *Illésházius* ducebant, penitus conuulſo, nullus virtuti locus relinqueretur. Itaque, retulere noſtri pedem, tanto infelicius, quod peditatum, media acie adhuc acerrime depugnantem, penitus deſererent: qui, partim internecione demum delectus, partim in captiuitatem abactus eſt, cæde, etiam atrociſſima, duriorem. Iſthic *Pioius* pugnabat, qui, cum a *Germanorum* equitum præſidio, deſtitutum ſe vidit, electis, leuis armaturæ aliquot *Hungaris*, in fugam, & ipſe hic gloriator, effuſus eſt. Ac *Forgáchius* quidem, hora poſtmeridiana ſecunda, *Ujuarinum*, præcipiti curſu elapſus, opportune tenuit. quem, qui a ſtrage reſidui fuere, variis ablati erroribus, eodem illo funeſto die conſequuti ſunt. Cladis, in ea paucitate, magnitudinem ex WAGNERO *(m.)* diſcas: *Recenſeto*, inquit *milite, mille ducentos ſeptuaginta duos periiſſe, compertum eſt; e Germanis duntaxat equites ducentos, pedites ad vnum fere omnes, centuriones quatuor, quinque ſubcenturiones, quibus, ſi captos ſeptingentos accenſeas, tria omnino millia, eo prælio, deſiderata, compertum: atque eos inter* Poſonienſium *nobilium, ciuiumque, ſeptuaginta.* Atque, inter Piſonienſes quidem captiuos, *Johannes Ferdinandus Auer*, in primis memorandus eſt, quod captiuitatem eam, non integris modo annis vndecim, *Conſtantinopolin* vsque delatus, forti animo tolerauit; ſed hiſtoriam quoque eius, in *ſeptem turrium* carcere, conſcriptam, nobis *(n.)* reliquerit, dignam oppido, quæ ob tyrannidis atrocitatem, iam dudum lucem adſpexiſſet publicam. Dici enim nequit, quanta immanitate fæuitum in captiuos ſit. Teſtis eſt, præter noſtrum illum, WAGNERVS *(o.)* *Captiuorum ſors longe miſerrima fuit. In conſpectum* Vezirii, *altiori loco conſidentis, adducti, cum negaret ſibi pro canibus panem eſſe, ſigno dato, immani rabie, plerique contrucidantur. Aliorum iuguli, minutis cultellis hauſti; alii, haſtis in orbem ductis, multiplici vulnere confixi; alii, velut in circo agitati, ferarum inſtar, tandem confoſſi; alii, pilis ac miſſilibus in metam deſtinati; aliorum corpora, ad experiendam acinacis aciem, aut lacertorum robur, obiecta, artuatim, grandibus vulneribus diſſecta; denique, quidquid ſanguinaria immanitas, & plus quam barbara petulantia ſuggereret, in miſeros effuſum: obiectante ſe mirifice talibus ludis*, Vezirio. *Trecenti quadraginta duo duntaxat ad ſeruitutem reſeruati; ſeu humanitatis aliquis ſenſus ſanguinarias belluas ſubiit, ſeu auaritiæ ſuæ conſulerent. Quos inter Rüblandus, ſtrenuus & vetus centurio, Welſius Baro, iique Budæ, præter* Gœſii *hoſpitium, miſerabili agmine deducti, Conſtantinopoli demum, teſtes vi-*

deſideratorum e noſtris, numerus.

m.) Ibidem, p. 126.
n.) Poſſidemus eam, ſermone germanico, in charta *Turcica*, ſuſe conſcriptam.
o.) Vide ORTELIVM quoque, loco, quem nunc citauimus.

victoriæ fuere. Pace facta, in libertatem nonnulli adſerti rediere. Satis profecto ad immanitatem! Iſtud eſt, quod SENECA *(p.)* queritur:

Arma non ſeruant modum,
Nec temperari facile, nec reprimi poteſt
Stricti enſis ira: bella delectat cruor.

§. XII.

Turcæ Ujvarinum obſident:

TRiſte hoc proſcenium fuit; at multo triſtius, belli, quod inde *Turcarum* rabies adaperuit, theatrum fuiſſe, ex iis, quæ iam dicturi ſumus, patebit. Nimirum, octidui, a pugna, ſpatio, ad obſidendum *Ujvarinum*, Turcæ venere, multum, ea cunctatione, rei *Chriſtianæ* parcentes. Nam, ſi metu, ex recenti clade, apud *Ujvarienſes* adhuc graſſante, adſiliiſſent hoſtes, pronum fuiſſet, & arcem capi, & Hungariam, ad vltimos vsque fines, perdomari. *Montecuculo* certe, datum eſt ſpatium, vt ex legionibus, quas ex ſuperiori *Hungaria* acceperat, noua præſidio ſupplementa, potuerit ſubmittere. Quo tunc habitu, arx fuerit, quidque in eius munimentis deſideratum ſit, WAGNERVS *(q.)* memorat: *fex*, inquit, *propugnaculis, ad artis regulam eductis, id oppidum, poſt captum a Turcis Strigonium*, RVDOLPHVS II. *communierat, tamquam Morauiæ ac Auſtriæ, aduerſus Turcicas populationes, propugnaculum. Sed tum, fluxi vetuſtate muri, foſſa humilis, ac alibi pene nulla. Extra, nihil earum munitionum, quas remorando hoſti, inuenere nouæ artes. Ea,* Lippaii Archiepiſcopi *culpa fuiſſe, dicebatur, cui ea procuratio, cum certa pecuniæ ſumma, demandata fuerat. Et augebat inuidiam, quod eodem tempore, hortum, ſumma magnificentia, & impenſis maximis,* Poſonii *moliretur. Tria duntaxat propugnacula, vtcunque refecta fuerant, ceteris hiantibus adhucdum, & male a vetuſtate habitis. Annonæ, rerumque, quibus defendi vrbes ſolent, nihil deerat. Præter quingentos equites, peditum præſidiariorum, tria millia cenſebantur, ſub claris ducibus,* Adamo Forgáchio, *loci gubernatore, forti magis, quam felici milite, cui* Pio, *&* Grana, *marchiones, &* Locatellius Baro, *fodinarum, ac aurifera vallis præfectus, adiuncti.* Iſta tunc, loci facies, habitusque fuit, omnino, retentandis potius, quam propulſandis hoſtibus, idoneus: conſueto tunc *Hungariæ* malo, vt illic potiſſimum inermis eſſet, vbi munitiſſimam exſtitiſſe oportuit.

quod loci ea tempeſtate robur fuerit:

præſidiariorum numerus.

§. XIII.

Vezirii, de tradenda arce ad Forgáchium litterat.

SImul *Turcæ* oppidum, poſitis late caſtris, incinxere, id quod, XVII. *Auguſti* euenit, *Vezirius*, litteris ad *Forgáchium* miſſis, arcem ſibi dedi, arrogantiſſime poſtulauit. Dabimus exemplar latine factum, quod ita habet. *Ego, DEI magnique prophetæ noſtri gratia (qui ſol decusque mundi eſt, ſalutis ad hæc honorumque diues) potentiſſimi Cæſaris Turcarum, omnium, quos terrarum or-*

p.) HERCVLE furente, Actu II. verſu 402.
q.) Lib. II. p. 131.

orbis habet, regum, regis ſummus Conſiliarius, & belli, cum plena poteſtate, dux, tibi Adamo Forgách, *celebri nobilique Hungaro, præſidii Ujvarienſis præfecto, notum facio, quod mandato clementiſſimi Domini mei, quæ DEI eſt gratia, cum immenſo exercitu huc acceſſimus, Ujvarinum occupaturi. Quod ſi igitur arcem nobis dedideritis, Potentiſſimi Cæſaris, noſtrique prophetæ iuſſu, ſummi imique, liberam, cum omnibus impedimentis, emigrandi, quocunque libuerit, poteſtatem habebitis; manere autem iſthic volentibus, bonis ſuis, quæ intus foriue poſſident, vti frui integrum fuerit. Sin vero, arcem noſtræ permittere poteſtati recuſaueritis, eam, DEO auxiliante, perdomabimus, neque vlli veſtrum, ſummus ſit vel imus, vitæ dabimus veniam, ſed DEI maximi glorioſiſſimique, cuius nuſquam par eſt, gratia & iuſſu, trucidabimus delebimusque vos omnes, quemadmodum id lex noſtra, iuſtitiaque depoſcunt. Quod ſi intelligerent* Hungari, *potentiſſimum Cæſarem noſtrum, vnice gentis eorum commoda, hac arcis occupatione quærere, ſe profecto, ſuosque hæredes ac poſteros DEO, totos deuouerent. Interim, dicto audientibus, præſente epiſtola, pax & ſalus vltro offeruntur. Datum in caſtris ad Ujvarinum poſitis.* Lectis litteris, cum pro eo, ac virum fortem decebat, reſpondiſſet *Forgáchius*, arcem ſe, cum ſuis, ſanguinis vitæque impendio, defenſandam conſtituiſſe; Turcæ, dato ſigno, tormentis rem agere incipiunt. Mox & vias obſidionales, verſus portam, cui *Viennenſi* cognomen fuit, ingenti ſublato clamore, deprimere incipiunt, ſuburbii, quod illic noſtri excuſſerant, commoditate, haud parum adiuti. Reſtitere obſeſſi, qua diſploſione machinarum, qua ſuſceptis eruptionibus; ſed cauere tamen haud potuerunt, quin ſuggeſtum ponerent hoſtes, *Forgáchianæ* munitioni, obiectum. Collocata hic tormenta, a die XIX. *Auguſti*, vsque ad XXIII. perpetuo euibrabantur, nullaque dies abiit, quin CCCL. diſploſiones fierent, globorum maximis, LXV. pondo æquantibus. Id dum fiebat, crumpentes obſeſſi, cladem in hoſtibus, quos in opere deprehenderant, edunt notabilem, erepto ſigno vno alterove, teſtatam; Turcis interim, vndiquaque ingruentibus. Cum ergo res magis magisque trepida fieret, *Forgáchius*, duces, qui ſecum erant, ſacramento militari, ad ferendam communem fortunam, denuo obſtringit. Dies fuit *D. Bartholomæo* ſacer, quum erecta medio foro, ara, collocatisque illic myſteriis, mutuam ſibi inuicem fidem, ritu ſolemni iurauere, edictumque publice eſt, vt ſi quis de arce tradenda, vel vocem edidiſſet, hoſtis iudicaretur, morti, quisquis eſſet, ſine cunctatione, deuouendus. Hæc intus fiebant, hoſte extus nihil inexpertum relinquente. In primis, *Viennenſis* porta, lunari eius præmunitione, iam antea intercepta, dies noctesque, ne momento quidem ceſſantibus tormentis, impetebatur. Igitur, tametſi nihil eſſet, quod magnopere metuendum, integro adhuc præſidio, obſeſſi exiſtimarent; tamen, commonendum rebantur *Montecuculium* (r.)

eius reſponſum:

oppugnationis exordia:

Forgáchii, & reliquorum ducum, conſtantia:

(r.) ne ſui dememineriſſet; maxime, cum iisdem diebus, *Valachiæ, Moldauiæque* principes, *Tartarorum* item *Chamus*, cum viginti quinque ſuorum millibus, ad *Turcarum* caſtra acceſſiſſent. Horum aduentu, ferociores facti hoſtes, non machinarum modo exſploſiones, ſummo ſtudio, conduplicant; ſed acceſſus etiam obſidionales, tanta cura producunt, vt iam arcis foſſas adtingerent, atque illic, cum milite *Chriſtiano*, ſemel iterumque, manus pertinaciſſime conſererent. Octo ſuggeſtus, ſolidiſſimo opere eduxerant, plus centum machinis inſtructos, quibus, nunc miſſiles ignes, nunc globi, aduerſus arcem, continue emittebantur: ſed nec obſeſſi ceſſauerunt, ſiue diſploſionibus hoſtium machinas deturbare, ſiue ex viis obſidionalibus, operas, ſubinde nimium ferocientes, propulſare.

rorum, ad Montecuculium, *nuncius:*

operarum in oppugnando pertinacia.

§. XIV.

Præſidiariorum noua conſocietas:

Auguſtus, inter hos, toleratæ obſidionis, labores, iam exiberat, cum arctiora in arce fieri omnia, inciperent. Ergo, ipſis *Calendis Septembribus*, miles præſidiarius militari ſacramento, mutuo ſe iterum obſtrinxit. Iurisiurandi religio hæc fuit; *non commiſſuros, vt a fide, quam Cæſari, quamque patriæ, ducibusque dederunt, ſeu metu, periculisue, ſeu morte ipſa, aut largitionibus alienari ſe patiantur.* Opportune vero accidit, vt *Turcis*, tenuior multo foris commeatus eſſet, quam obſeſſis. Quia enim inſigni ſuo maleficio, molas frumentarias, tota circum regione, exuſſerant, ad eam annonæ inopiam deuentum in caſtris eſt, vt parum res a tumultu abfuerit: interminantibus ianiſcharis, niſi annonæ, quantum ſatis eſt, procul mora ſuppeditaretur, operam, vrbi porro oppugnandæ, ſe negaturos. Hinc factum, vt negligentius aliquamdiu in opus incumberetur: cum interea, CXL. pedites *Hungari*, *Comaromio* miſſi, & longis viarum vſi ambagibus, *Ujvarino* ſe iniiciunt; duce tamen, cum iam portæ immincrent, noſtrorum, an hoſtium glande, forte fortuna, deiecto. Læti, virium hoc qualicunque acceſſu, præſidiarii, nouos iterum propulſandi hoſtis animos, concipiunt. *Forgáchius* autem, fœdum dictu, quaſi DEO, virtutique ſuorum diffiſus, vetula ſuperſtitionem præmonſtrante, neſcio quid rerum, in propugnaculo defodit, *amuletum*, vt rebatur, aduerſus vim hoſtium futurum. Eo aduerſo, *Pioius*, non ante quieuit, quam id, quidquid eſſet nugarum, adcurate refoſſum, ad malam crucem proiiceret: *Forgáchio* ſimul increpato, quod, quam in DEO decuiſſet, ipſe in anilibus incantamentis, ſpem collocarit. id quod poſtea inter accuſationis capita, *Forgáchio*, haud ſine opprobrio, obiectabatur. Et, adparuit omnino, quam abominabilis ſuperſtitio hæc, vero numini fuerit. Nam, cum hucuſque pauciores e præſidiariis, ſeu cæſi, ſeu ſauciati, in dies ſingulos numerarentur; d. IX. Septembris, quæ facinus illud excepit,

annonæ, apud Turcas, *caritas:*

centum quadraginta pedites, in arcem ſe iniiciunt:

Forgáchii *ſuperſtitioſum facinus:*

eius pœna.

r.) Is iam, relictis caſtris *Altenburgenſibus*, ad *Gyékiſum*, vt *Piſonio* arceret hoſtem, ſtatiua habebat, *Turcis* interim, vniuerſam circum regionem, inundantibus, quæ vna calamitas, ſufficiebat ad perdendum, quid erat Hungariæ reliquum.

pit, XXXI. e militibus, partim tormentis diſcerpti, partim alio telorum genere, perempti ſunt. Adeo, ſpes in DEO repoſita, caſſa vult haberi, intemerateque.

§. XV.

Turcarum *labor hucuſque irritus:*

Vrcæ interim, quantumuis, nec dies, nec noctes, ab oppugnationis ardore, ceſſabant; tamen, viam adſultui procuem, necdum inſtruxerant ſatis. Nam, vt vt loricam eximam, quin & lunarem portæ *Viennenſis* præmunitionem, vi expugnarint; tamen, quia munitiones hæ, foſſa, aqua ſuffuſa altiore, a reliqua mœnium parte, diſiungebantur, ad irritum labor omnis, quin & tormentorum ictus, hinc inſtituti, cadebant. Quid, quod ea in obſeſſis induſtria fuerit, vt interiora propugnacula, deducta varie foſſis, aggeribusque, prouide interciderint, vt hoſtis; ſi ipſa eniti faſtigia contigiſſet, nouo aggerum obiectu, deiici inde deturbarique poſſet. Qua in re, cum primis *Locatellii*, laudatiſſima opera exſtitit. Cum hæc geruntur, *Forgáchius*, graui morbo correptus, pluribus diebus, publico ſe abſtinuit. Ne vero, ſiue ſibi deeſſet, ſiue rei Chriſtianæ, datis, die XVI. *Septembris*, ad *Veſelénium*, Regni Hungariæ *Palatinum*, litteris, eum, quo loco res *Vjvarienſium* eſſent, quamque præſentiſſima ope indigerent, in hanc fere ſententiam docet: *Durare adhuc, in ducibus militeque præſidiario, fidem ac fortem animum; Turcas, qui de octo ſuggeſtibus, centum quinquaginta, maioris minorisque moduli, tormentis, ſine ceſſatione, in arcem detonarent, viis obſidionalibus alte egeſtis, iam ad arcis vſque foſſas pertigiſſe; magnam hinc quotidie præſidiariorum cladem fieri, eſſeque in procliui, vt, aut hoſti opus pertinaciſſime vrgenti, ſuccumbere, aut ſortium virorum ritu, mortem oppetere cogantur. Meminerit ergo, quantum, non modo Hungariæ, ſed vniuerſæ rei Chriſtianæ interſit, incolumem ſeruari Vjvarinum. Omnem iam, in ferendo auxilio moram, pernicioſam eſſe, ſi non prorſus exitiabilem. Se ſuosque, tum demum fortiter rem gerere deſituros, cum vita ſanguisque ſe deſtituerit.* Hæc, *Palatino* perſcripta tunc fuerunt, conuentus, in vlteriore *Hungaria*, agenti.

obſeſſorum induſtria:

Forgáchii, *morbus, & ad Palatinum litteræ.*

§. XVI.

Turcarũ, *in obſidione vrgenda, pertinacia:*

TRiplicem, *Turcæ*, oppugnationem inſtituerant. quarum vnam ſibi ſumſerat *Vezirius*, reliquis, partim *Budenſi* purpurato, partim *Halyo*, Bosniæ præfecto, adtributis. Certatim hi, pro ſe quisque, opus vrſere: quippe, gloriæ, ex æquo, cupidi. Non ergo operis, non militi, in ea, ducum, contentione, parcebatur. Ingenti, præterea, foſſorum multitudine, e plebe *Chriſtianorum*, coacta, ad eam, vias obſidionales, altitudinem depreſſerant, vt equitem, ſi ſubiiſſet, potuiſſent occultare. His ergo, ad foſſarum vsque vallos, pluribus locis, protruſis, muros propugnaculorum, magnis auſibus, ſemel, iterum ac tertio, adoriebantur. Quin & machinæ,

chinæ, eam in mœnibus ſtragem paſſim ediderant, vt inſultui idonea futura crederetur: cui ſuſcipiendo, totos ſe iam *Turcæ* comparabant. Ante vero, quam periculum facerent, vnum, e *Baſſis*, duo albicantia ſigna, manibus ferentem, ad arcis vsque portam, ſubmittunt, vt præſidiariorum animos, ad deditionem, incolumitate demigraturis promiſſa, ſollicitaret denuo, eam vero negantibus, internecionem comminaretur. Sed ille quidem, ſurdis tunc ingratam fabulam cecinit. Reſponſum enim ei eſt: *ageret Vezirius, quod ſuum eſſet; ſibi ſtare ſententiam, vltima quæque, immo necem ipſam, oppetere malle, quam pollicitationibus, ſua indignis virtute, locum dare.* Mirum dictu, quantopere, redux caduceator, *Vezirium*, iſto nuncio, accenderit. Nam, edicto in craſtinum adſultu, ferociſſimos quosque, toto exercitu, perquiri iubet, vno iſthoc tentamine, & arcem intercepturus, & præſidiarios deleturus penitus. Tanto facinori, opportunum in primis viſum eſt, *Fridericianum* propugnaculum: quippe, cuius muri, longe lateque procubuerant. Ergo, facto, ſub ipſam meridiem, adſultu, agmen cuneatum, quod ingenti ſublato clamore, ciratoque gradu, ſubierat, bifariam diuidunt; quorum alterum, *Fridericianam*, *Forgáchianam* munitionem alterum, inuſitato pugnandi ardore, inuadit, perque ſuorum cadauera, in faſtigium *Forgáchiani* propugnaculi, multo labore ſanguineque, enititur. Iam ſeptem & decem ſigna, tamquam captæ arcis indicium, *Turcæ* defixerant, cum noſtri, reiecto prius, magna clade, a *Fridericiana*, hoſte, iſthuc concurrunt. Fit atrox prælium, cumque non iam glandibus, ſed haſtis, gladiisque, res agi cœpiſſet, tandem ſignis reuulſis, Turcæ in foſſam detruduntur. Is hoſtes furor inuaſerat, vt cum bihorii ſpatio, ſumma virium contentione; depugnaſſent, multisque deſideratis, in foſſam præcipites agerentur, pedem tamen inde efferre, tametſi confertiſſimi caderent, noluerint: noctu tandem, iniectis ignibus piceis, a ſtatione, quam illic ceperant, depulſi. Infremuit, ad hanc ſuorum ſtragem, *Vezirius*. Quo circa, expeditiores, vt nouo adſultui, ruinæ in muris fierent; magnam operarum manum, ſequente die, in eandem foſſam immittit, quæ muros funditus ſubrueret, futuræque incurſioni, viam conſterneret. Atque hi quidem, egregie munere ſuo defuncturi credebantur, niſi operarum magiſtro mature glande traiecto, immiſſisque piceis ignibus, cœptis depulſi fuiſſent. Biduo hinc quieſcebatur, non, vt obſeſſis parceretur; ſed vt ad nouam impreſſionem, eo ſtudioſius ſe compararent hoſtes. Hanc demum, *vigeſima Septembris*, ferociore multo, quam ante, impetu, in *Fridericianum* ſuſcipiunt. Pugnatum horæ ſpatio eſt, iamque hoſtis, ad propugnaculi vsque loricam, ſignis iſthic conſtitutis, eluctatus fuerat, cum machinatores, tormentis vtrinque, in confertam multitudinem contortis, pugnam, edita in hoſtibus ſtrage, ſubito dirimunt. Eodem tempore, *Forgáchianum* quoque impetebatur; ſed, quod ducum militumque virtute, facilius multo defenſum, ſeruatumque eſt. Verum, ne hac quidem clade, ad rem mitius gerendam,

obſeſſorum conſtantia:

hoſtium tertius adſultus:

emiculariorum fruſtraneus conatus:

alter impetus:

dam, permoueri potuit *Vezirius*. Enim vero, sequente die, qui *vigesimus primus Septembris* fuit, iterum iterumque *Forgáchianum* propugnaculum, adsultu longe omnium vehementissimo, tentandum curat, noctis, ad tantum facinus, beneficio vsurus. Sed, tunc quoque, ad irritum cœpta hostium recidere, quod facto agmine, hostem opperiebantur nostri. qui postea incurrere ausum, vario telorum genere, pene obruerunt, atque pertinaciter insistentem, egregie mulctauere. Inter occisorum cadauera, quibus frons propugnaculi constrata fuit, *Turca*, repertus est, veste sericea, & armis, auro distinctis, conspicuus. In cuius loculo, a prædantibus excusso diligentius, litteræ repertæ sunt, latino idiomate a *Vesselénio Palatino*, ad *Forgáchium* conscriptæ, hac fere summa, WAGNERO (*s.*) referente: *Habitum ad Sopronium conuentum; Comitatus Trans Danubianos in armis fore; prouolaturos ad insulam tuendam, cum primum pons perfectus fuerit; pontem alium ad Comaromium exstruendum.* Atque hæc quidem epistola, seditionis militaris occasio postea fuit, traditæque arci pestilens auctoramentum. Vix cæsorum numerum inierant *Turcæ*, cum nouo iterum adsultu, fatigandos præsidiarios statuunt. Sole nimirum meridiano, cum alioquin prandii silentia, in *Turcarum* castris esse solebant, fit tormentorum fragor, inusitatus adhuc. Nam, cum alias sigillatim disploderentur, singulorum suggestuum machinæ, nunc simul omnes, tanta festinatione euibrabantur, vt vix farciendi interualla notari potuerint. Durauit hic tormentorum fragor, in tertiam vsque horam, eo fine institutus, vt mœnium muri, quos operæ, diebus superioribus suffoderant, penitus concuti, atque adsulturis patens aditus posset aperiri. Conticescente, machinarum contru, confertissimi *Turcæ*, in *Fridericianum* incurrunt. Et procliue omnino fuit subire, depresso, infinitis ictibus ad eum modum, propugnaculo, vt ab equitibus, si incurrissent, pronum fuisset superari. Verum, ea tunc quoque præsidiariorum fuit virtus, vt *Turcas*, fere ad propugnaculi frontem enisos, multis concisis, in fossam præcipitarent. Cum a nostris intentissima opera depugnatur, fit gregarii cuiuspiam militis incuria, vt ex ignito funiculo, negligentius tractato, scintilla in adparatum rei tormentariæ, excuteretur. Globi fuerunt, quos manu euibrare solent pyrobolarii. Hos, ingens piceorum sectorum, pulueris adhæc pyrii adparatus, contingebat. Quæ omnia, igne subito concepto, stragem edidere, nulli, tota obsidione, secundam. Præter enim, *Sporkianæ* legionis protribunum, atque manipulorum, qui hic steterant, præfectos fere omnes, quadraginta gregarios, misere confectos, incendium illud consumserat: incolumi turba, quasi eliso cuniculo, prostrata fuissent mœnia, in apertam fugam, conuersa. Vsi hac opportunitate *Turcæ*, quos paullo ante, magna clade repulerant nostri, instant denuo, & nemine in ea consterna-

tertius:

quartus:

s.) Lib. II. p. 132. ORTELIVS P. II. p. 276. a Montecuculio die XVI. Septembr. exaratas fuisse memorat: quod nobis credere.

natione, renitente, euadunt in caput propugnaculi, seque defixis quatuor vexillis, inter ruinas, festinatis operis, circumuallant. At enim, ne tunc quidem permissa hosti statio fuit. Namque, incendio suapte consopito, redeuntibusque ad animum præsidiariis, tanta virtute, in hostem incursum est, vt vix reuellendis signis, tempus ei sufficeret, Cruenta nihilominus ea pugna nostris exstitit, *Pio* & *Grana* Marchionibus, præter ingentem sauciorum numerum, haud leuiter conuulneratis

ac denique quintus masculo a nostris retundantur.

§. XVII.

HVc usque, inconcussa præsidiariorum virtus fuit, reddiditque sollicitum *Vezirium*, ne ad vnius arcis oppugnationem, fortuna sua hæresçat. Itaque adsultum parat, totius vniuersim, exercitus incursu, accipiendum. Verum ita fuerunt *Ujvarienſium* fata, vt ea virium contentione haud opus fuerit hosti. Litteræ *Palatini*, apud cæsum primorem *Turcam*, vti diximus, deprehensæ, suspicionibus primum, mox seditioni etiam militari, locum fecerant. Scite rem WAGNERVS (*s.*) commemorat: *Quoniam*, inquit, *nihil de suppetiis memorabatur, verba, scilicet, sibi dari a præfectis, concludebant, qui nescio, quibus exercitibus soluendam propediem obsidionem iactitarant hactenus. Si quid rei subesset, profecto, nequaquam dissimulaturum fuisse* Veselenium. *Hac clam primo agitata, dein per contubernia dilata, eo maiorem impressionem fecere, quo præsentius ab hoste in dies periculum immineret.* Adeo, quos tot viuorum *Turcarum* millia, expugnare nequiuerant, necatus ille tabellio, iniecta, ex litteris seditionis occasione, debellauit. Diffitendum tamen haud est, tametsi ea suspicio coorta haud fuisset, debuisse tandem succumbere *Ujvarinum*: quippe, ancipitibus vndiquaque malis, intus, forisque circumuentum. Nam, & machinatorum plerique exstincti iam fuere, corruptæ ad hæc tormentorum lecticæ, sustentandis machinis, non amplius sufficiebant, neque scloporum ictus, fossæ æquabant ambitum; &, cum cuniculorum, tum hostilium pilarum vi, *Fridericium* propugnaculum adeo iacebat discerptum; vt vel equiti, commodam, ad grassandum, viam, præbiturum putaretur. Multum præterea terroris incusserant, geminæ, ex aggestitia terra, moles, seu colles potius dixeris, a *Vezirio*, insano labore sublatæ. Patebat inde liber prospectus in intima præsidii, nemo, vel in platea tutus, nullus fere ictus in vanum recidebat. Ita loci pericula descripsit WAGNERVS. Ortam hinc consternationem ad hunc modum in litteras retulit: *Fit primo feminarum comploratio, passis crinibus prouolantium in forum, lacrymis rogantium gubernatorem, liberorum, maritorum vitam deditione seruaret. Muliebris tumultus, verberibus facile compositus est. Militum immedicabilis fuit seditio. Coniurant, non exspectato adsultu vltimo, deditionem se facturos, satis officii factum, sat diu, contra infinitum exercitum, a pau-*

Vezirii sollicitudo:

præsidiariorum confirmatio:

quibus arx malis, foris, & intus, fuerit pressa.

aperta militum tumultuatio.

s.) Loco, quem nunc citauimus.

paucis, semirutos muros defensos. Quod de suppetiis dicatur, commeatum esse; perditum alioquin serius ocyus præsidium, & quo Reipublicæ bono, præter fortissimos milites, haud paucos, septem item, quæ adhuc superent animarum millia, certissimæ neci obiicerentur.

§. XVIII.

Ducum, in ea sedanda, labor frustraneus:

HAe tumultuantium voces, hi strepitus fuere, frustra *Forgáchio*, & *Marchione* vtroque ingerentibus: *nondum eo loco rem esse, vt nomini Christiano, vt sibi, in quos orbis Christianus coniectis oculos teneat, hanc ignauiæ notam inurant.* Res iam eo deducta fuerat, vt non precibus, non minis, sed nec ostentatione gloriæ, moueretur miles. Arma se abiecturum minabatur, nisi præfectus maturaret deditionem. Eo viso, duces, quid facto, non iam decorum, sed necesse esset, serio consultant: itumque est in eam sententiam, vt arcem, quam sua virtute nequirent conseruare, pactis quam optimis conditionibus, ante dederent, quam se proditos sentirent. Tanti est, in bello, multitudinis consternatio. Tunc *Forgáchius*, Deum hominumque fidem inclamans, non imbelli pauore, non perfidia, sed sola seditiosi militis tumultuatione, ad arcis dedendæ consilia adductum esse, solemniter, in ducum militumque concilio contestatus, candidum vexillum, deditionis insigne, sustulit. Id, vt aduertere *Turcæ*, rem extemplo *Vezirio*, multum de obsidionis euentu sollicito, nunciant. Incredibile dictu est, quanto gaudio, vir alioquin ferocissimus, ad eum nuncium, exsultarit, quod animo præciperet, multum sibi apud *Sultanum*, felici hac expeditione, gratiæ conciliatum iri. Proinde, nihil cunctatus, *Forgáchio*, ceterisque ducibus, nunciat, deditionis formulam, pro eo, ac ipsi vellent, quam primum conciperent. Atque illi quidem, habito concilio, ne sibi deesse viderentur, ampliſſimas conditiones descripsere: quarum summa capita, huc redibant: *Vezirius, quadrigas adesse iuberet, quibus ægri sauciique auehantur: integrum sit præsidiariis, castrensi ritu, tibiis, tympanisque clangentibus, armatisque, arce emigrare: tormenta currulia secum auchere: supellectilem omnem cum vniuersa multitudine, Comaromium transmittere: Hungaris, iuxta & Germanis, duces sint an milites, incolumibus decedere: sacris ordinibus, qui in oppido erant, abeundi, vel manendi potestatem habere.* Atque has quidem conditiones, ratas omnes habuit *Vezirius*, nisi quod tormentorum numerum, quem sibi amplum paciscebantur obsessi, quaternario definiuerit. Deditionis has leges, a *Vezirio* signatas, ad CAESAREM, sine mora, *Forgáchius* misit, non tam, vt ratas eas habere vellet, id enim sperari haud poterat; quam, vt CAESARIS gratiam, multum, deditione hac, imminutum iri metuens, sibi confirmaret. At *Turcæ*, arcis occupandæ auidi, non exspectato CAESARIS responso, altera, post pactam deditionem, luce, dies XXV. Septembris fuit, propugnaculum, portæ *Strigoniensi* contiguum, armati occupant, præsidiariis, sequentis diei crepusculo matutino, ad emigrandum, præstituto. Id quod tamen, quia obuallatæ portæ recludi tam celeriter nequiuerint, in diem XXVII. reiici debuit. *Turcæ* profecto, adeo moræ illius fuere impatientes, vt per semiruta mœnia, conferti in arcem immigrarent. Iamque impedimentis nostrorum, manus iniicere, prædasque agere inceperant, cum *Bassæ*, qui arci, cum imperio iam inerat, interuentu, minis hi, verberibus alii, a vi, porro inferenda, arcerentur.

arcis dedendæ consilia suscipere cogantur:

candidum vexillum, deditionis signum, porrigitur:

eius leges a nostris descriptæ:

& ad Cæsarem missa:

Turcæ arcem subeunt:

§. XIX.

Nostrorum demigratio:

REbus, ad emigrandum comparatis, profectio tandem, per *Strigoniensem* portam, suscipitur. Egressa fuere, duo *Germanorum* millia, præter quadringentos septuaginta duos, validi omnes, & si viri fuissent, tolerandæ, propulsandæque obsidioni, pares: idque, obseruante WAGNERO, eadem ipsa die, qua ante annos (*t.*) viginti quatuor, FERDINANDO II. a *Gabriele Bethleno*, ereptum fuerat *Ujvarinum*. Atque, in arce quidem, tanta, non annonæ modo, sed reliqui etiam adparatus bellici copia, relicta est, quantam, trimestri obsidioni, facile suffecturam crederes. Supererant, nimirum, septingenta farris dolia; tercentæ vini vrnæ; panni centeni fasces; pulueris, septuaginta millia pondo; octoginta, solidi operis machinæ; globorum numerus, propemodum infinitus, in quibus, triginta millia, manuariis tormentis, sub ipsa obsidione, plumbo, passim corraso, fusa numerabantur. Ita instructam arcem relinquentes nostri, tanta fide educti sunt, vt imbecilliores, vulneratos, ac tenellos infantes, in suos *Turcæ* equos reponerent, verberibusque, ad necem vsque cæderent, vltimum abeuntium agmen, carpere ausos. Et ista quidem humanitas, *Asiaticorum* equitum fuit, qui, ad bis mille passus perductos nostros, *Janitscharis* tradiderunt, post nocturna statiua, altero demum die, ad *Comaromiensem* traiectum comitandos. Quod & ita omnino, atque sine vlla demigrantium iniuria, euenit.

qualis belli adparatus illic fuerit relictus:

Turcarum in demigrantes fides & humanitas.

§. XX.

Damnum rei Christianæ, deditione Ujvarini illatum:

HIc ergo, *Ujvarini*, exitus fuit, non *Hungariæ* modo, sed vniuersæ etiam *Germaniæ*, funestus. Præterquam enim, quod obsidione durante, omnis late regio, ac *Morauia* potissimum, euastata, atque infinitus captiuorum numerus, pecudum ritu, abactus est; spoliarium certe postea *Christianorum* factum est, & cruentarum prædarum, sæuum receptaculum. Quæ postea, cum decedentibus præsidiariis gesta sint, WAGNERVS adnotauit: *Forgáchii nomini*, inquit, *nihil intra muros, quam nuper in campo felicioris, nonnulla, ex ea deditione, labes adhæsit. Mandatum ab aula* Montecuculo, *vt* Comaromii *omnes, in libera custodia tenerentur, dum militari iudicio,*

præsidiariorum, qui arce decesserunt, fata:

Zz 2 *causſa*

t.) Errorem illic, in annorum supputatione, nihil monitus lector aduertit, BETHLENIVS enim, iam tum A. MDCXXIX. die XV. Nouembr. hydrope enectus fuerat. Id quod triginta quatuor annis, ante hanc obsidionem euenit. Postea vero, pluribus annis, in ditione FERDINANDI fuit *Ujvarinum*.

cauſſa excuteretur. Sed iam Forgáchius, *in ſui dominii arcem;* Grana, *Viennam recta abierat;* Pio *marchio, Neoſtadium traductus. Singuli, diffuſos libellos* Viennam *miſere, quibus innocentiam ſuam, ab omni flagitii ſuſpicione purgabant.* Forgáchius, *cuius cauſſam* Veſelenius *ſuſceperat, in militarem ſeditionem, puluerarium incendium, hinos, ab hoſtibus ſublatos colles, cauſſam amiſſi præſidii referebat: pœnas eiam, a rebelli milite, ſumi poſtulans. Contra* Locatellius, *Forgáchium errores, acri libello perſtrinxit, nominatim; quod non ſatis militariter, amuletum, neſcio quod, venefica anus ſuaſu, in propugnaculo defodiſſet, id quod, re comperta, a* Marchione *refoſſum.* Scilicet, paratiores, in mutuis accuſationibus, boni illi, quam in ſedanda militum æſtuatione, rationes habuere. Iſtud certum eſt, non culpa, aut maleficio ducum, ſed tumultuantis præſidii impatientia, in qua compeſcenda elaborandum fuiſſet, præfectis, arcem periiſſe. Quid ergo in tam rerum conuerſione faceret CÆSAR? Certe, lata ſententia, innoxios omnes, extraque culpam poſitos, non declarauit modo; ſed etiam ſua quemque ſtatione relictum, benigniſſime poſtea habuit.

Cæſaris in eos benignitas.

§. XXI.

Quæ inde Ujvarini fortuna fuerit:

DIutius nos detinuit, belli hæc tempeſtas; quia noluimus, niſi plenam, rei funeſtæ, hiſtoriam, exhibere. Occupatum *Ujvarinum*, quanta potuere operarum aſſiduitate, *Turcæ* inſtaurarunt, præſidio quinque millium impoſito. Sequente anno, cum bellum *Turcicum*, in vlteriorem Hungariam transtuliſſet *Vezirius*, *Suſa*, ſummus caſtrorum præfectus, *Nitria*, *Lévaque*, poſt deuictos, inſigni prælio, hoſtes, quam arctiſſime concludendum *Ujvarinum* ſtatuit, effecitque ſubinde, vt parcius annona importaretur a ruſticis; quippe, ſemel iterumque, peſſime mulctatis. Cum iſthic *Suſa*, re gerendæ occaſionem, adtentus ſpeculatur; *Vezirius*, ductu *Montecuculi*, ad Arabonem, prope fanum *S. Gotthardi* internecione deletur. Ille vero, recollecto, ex fuga, exercitu, ſupplemento præterea quindecim millium, ex *Aſia*, & *Aegypto*, auctus, primum *Strigonium* receſſit, deinde, quod *Ujvarino*, a *Suſa*, munitiſſimis caſtris, haud procul *Comaromio*, ſe tenente, metueret, *Danubio* traiecto, propt arcem metatur. Iſta *Vezirii* prouidentia, noſtrorum ſimul vigilantiam exacuit. Quod enim, *Lévam*, *Nitriamve* recepturum, aut certe, *Morauiam Sileſiamque*, incurſurum opinabantur; accelerato itinere, exercitum, *Danubio*, ad *Piſonium* transmiſſo, ad *Vagi* ripas, non minus opportune, quam ad *Arabonem* nuper, tranſitum molientibus *Turcis*, obiiciunt: frendente *Vezirio*, quod deſtinationes ſuas, *Montecuculii* celeritas, anteuertiſſet. Cum hæc fiunt, *Ujvarinum* intemeratum ſeruauere *Turcæ*. Nam, quo minus a noſtris obſideri propius potuerit, intolerabilis annonæ penuria effecit. Nouam certe pugnam, animoſus, e recente victoria, exercitus, haud detrectaturus videbatur, niſi oborta ſubito fames, vires accidiſſet. Interceſſit deinde

concluditur anno ſequente a Suſa:

Vezirii conatus poſt pugnam S. Gotthardenſem irriti:

inde pax improuiſa, quæ, & *Turcæ*, a vi abſtinuit, & noſtris, rei porro feliciter gerendæ, occaſionem, e manu eliſit, *Ujvarinique* poſſeſſionem *Turcis* penitus addixit. Pacis conditiones, hæ fuere: *A decima Auguſti menſis die, in viginti annos, induciæ ſint: Tranſiluania, vterque miles deduceretur; antiquum, eligendi principis, ius, integrum, penes ordines eſſet; Zékelyhida, ſunditus diruueretur; Keméníi, ac Rákóczii, hæredibus, nullo vnquam tempore, proprio ſeu extero milite armatis, Tranſiluaniam ingredi fas eſſet; Szathmarienſis, & Zabolcſenſis Comitatus, ſint penes Cæſarem; Kálloum, Onodinum, arces ceteras militem immittere; ad Vagi item, hanc illamue ripam, præſidium aliud conſtruere, liceret; nullus, ad fines, exercitus conſiſteret; ſolemni legatione miſſa, robur pactis & celebritas daretur; dona vtrinque, tantis principibus digna, adferrentur.* Ita tunc, inopina pace, fœderatis indignantibus, grande atque felix bellum, conſoporatum eſt; datique *Leopoldopoli*, pro *Ujvarino*, natales.

pax cum Turcis improuiſa, & huius leges.

§. XXII.

DImiſſo vtrinque exercitu, pacecque, miſſis legatis, ſolemniter confirmata, *Ujvarinum*, multis operibus, a loci præfecto, auctum, atque eductis ſuburbiis, circumfuſum eſt. Foſſam certe, quod anguſtior eſſet, humiliorque, inſigniter dilatauit depreſſitque. Accidit autem magno *Chriſtianorum* commodo, an malo, vt *Baſſa*, arci gubernandæ datus, homo mitis, ac iuſtus, agreſti multitudini, quæ cum arce, in *Turcarum* ditionem venerat, ex æquo, parceret. Id quod inuidiam ei primum, poſtea exitium accelerauit. Miſſus enim, A. MDCLXIX. qui ei ſuccederet, alter, mandata ſimul adtulit, quibus tolli e medio, ſegnis ille, vti interpretabantur, homuncio, iubebatur. Vix ergo ſubiit arcem, cum captum anteceſſorem, in funeſtum pegma produci, capiteque palam truncari mandat: quod demum excoriatum, atque goſſypio aromatibusque fartum, vt indicio foret, ſatis factum eſſe *Sultani* iuſſis, *Conſtantinopolim* dimiſit. Is vero demum, & agreſtes ſeuerius habuit, tributaque crudeliſſime exegit, & vicinos, præter fas & æquum, continenter laceſſiuit: regionem certe omnem, quæ *Vagum*, & *Granum* interiacet, ſibi fecit obnoxiam; iniurias, mox Cæſarianorum captiuitate cumulaturus. *Soyherum*, protribunum, fortuita an deſtinata velitatione, anno MDCLXXIV. interceptum, non ante dimiſit, quam, imperialium nummuum millia quatuor, numeraret. Reddidere vicem noſtri, capto, triennio poſt, eiusdem *Baſſæ* vicario, quem tum demum liberum abire permiſerunt, quum totidem, nummuum aureorum millia, adſertis ſimul in libertatem, octo captiuis, perſoluiſſet. Ita graſſationibus mutuis, cum indulgeretur vtrinque, *Turcæ* bellum *Cæſari*, indicunt, cum nondum induciarum anni exiiſſent.

Turcarū, in commutando Ujvarino, ſolertia:

præfecti, in Chriſtianos aquitas, vi ſe excipio:

ſuccoſſoris iniquitas:

§. XXIII.

Indicto a Turcis bello, dubia apud nostros expeditionis rationes:

DIu, a belli arbitris disputatum fuit, qua se *Lotharingiæ* Dux, cui belli summa commissa fuit, Turcis obiiceret. *Strigonium*, & *Ujvarinum* fuere, quorum expugnatione, anteuertendum hostis aduentum, plerique censerent. Quare, ne alienis consiliis, exercitus, rotiusque rei *Christianæ*, salutem, crederet dux, promoto, ad *Danubii Vagi*que confluentem, exercitu, *Strigonium* ipse speculatus, pronum quidem expugnatu locum conspicatus est; situm tamen eum esse aduertit, qui, nisi catenato *Danubio*, subigi haud posse putaretur: cum alias, hosti, multitudine pollenti, annona, & reditu, intercluſis, procliue fuisset in vltimas angustias, obsessorem coniicere. Ergo, *Ujvarinum* restabat, in quo fortunam periclitaretur *Christianorum* exercitus. Sed, id quoque, non operibus modo, verum, præsidio etiam validissimo, communitum, diuturniorem, laboriosamque oppugnationem, deposcere videbatur. Itaque, vtriusque arcis oppugnatione, lubens se abstinuisset *Lotharingus*, nisi bellicus senatus, *Ujvarini* cum primis obsidionem pertinacius adursisset. Fit ergo, die tertio *Junii*, expeditionis initium, ventumque est in arcis conspectum, eo successu, vt simul suburbia, horti, vallorumque, pro porta *Viennensi*, præcinctus, vno impetu caperentur. Inde, festinatis operibus, & castra fossis incincta, & posito grandi suggestu, ad centesimum, a fossa, passum, bidui spatio, peruentum est. Iam, id agebat, *Lotharingus*, vt arcem verberare, tentatisque, in exteriores munitiones, adsultibus, vrgere præsidiarios inciperet; cum noui, ex bellico senatu, nuncii mandataque adferuntur: *adpropinquare* Turcam, *citatisque itineribus*, *validam impressionem*, *in prouincias moliri: ergo, nunc esse, vt capto desisteret, hostemque obseruaret.* Ita, ab opere, quod nondum serio adgressus fuerat exercitus, eo, vnde venerat, reductus est, speculaturus in posterum, quatuorsum se hostis esset effusurus. Scilicet, necdum maturuisse *Ujvariensium* fata, inde patuit, quod fusis fugatisque, ab *Vienna* obsidione Turcis, posteaque clade ingenti, ad *Bárcánum* adfectis, & capto simul *Strigonio*, in barbarorum tamen potestate, biennio fere integro, perdurarit. Ergo, satis habuere duces, si ita circumcluderent *Pergama* hæc, vt ne regionem, impune, copiosus, qui inerat, miles, peruagaretur euastaretque.

Ujvarinû, senatus bellici sententia, oppugnandum statuitur:

euentu irrito, ob Turcarum aduentum.

§. XXIV.

Denuo infestari captum anno MDCLXXXV.

ANno demum MDCLXXXV. vna omnium sententia, *Ujvarinum* expugnandum statuitur. *Heisstero* & *Pálffio*, in mandatis datum, sollicite prouiderent, ne per hiemem, siue annonæ quidpiam inferretur, siue miles submitteretur *Ujvariensibus*. Quæ res multis velitationibus, non solum, sed minutis etiam præliis, occasionem dedit. Simul ver ingruit, coadunato exercitu, auxiliisque, ibatur

tur denuo in expeditionem, fuitque disceptatum aliquantisper, vnde, belli fortunam exordiri oporteret. *Neográdum* perdomandum suadebant ducum plerique, ne factis eruptionibus, laborem obsidionis, interpolaret hostis. Aliter *Lotharingo* visum; quippe qui, indignum putabat, ætatis partem eximiam, ad vnius arculæ oppugnationem conterere. Itaque, post ampliora *Comaromio*, *Strigonio*, *Leuæque*, iniecta præsidia, die *septima Julii*, exercitus *Ujvarino* admotus est. Ad primum nostrorum conspectum, nimium quantum ferociere hostes. Præterquam enim, quod ex more, castra metaturos, displosis tormentis consalutant, tentata eruptione, nostris, paludem quandam conantibus transmittere, furore, quam successu maiore se obiiciunt, eosque carpunt. Verum, ea fuit, cum ducum prouidentia, tum virtus militum, vt non modo nihil proficeret hostis; sed clade etiam accepta, intra arcem reiiceretur. Tunc castra, ad lunæ corniculantis modum, ab vna *Nitria* amnis ripa, in alteram, arci circumducuntur; pontibus loco opportuno, iniectis; quos, dum moliuntur nostri, facta iterum eruptione, tanto, in operas, impetu, inuehuntur præsidiarii, vt obiectum iis agmen, propemodum nutaturum erat; nisi volonum interuentu, solidatis summa festinatione ordinibus, occursum iis denuo fuisset. Castris constitutis, prouidendum rebatur *Lotharingus*, ne, ex nationum, quæ in exercitu diuersæ erant, subnata, quod fit, æmulatione, obsidionis labor impediretur. Ergo, habito ducum concilio, edicit; quotidie, duo mille ducenti *Cæsarei*; totidem *Lüneburgici*; *Bauari* sexcenti, in accessibus opus facerent; Cæsariani vndique primas tenerent. His, ita procuratis, operarum initium, a molæ frumentariæ munitionibus, gemina adgressione factum; quarum dextram, *Croyo* duci; *Hannouerano* principi leua, Comiti item *Serenio*, Bauari legato, & *Scherfembergio*, adsignata est. Statio, in profundiore valle, duum millium facile capace, & ab ictibus tormentorum secura, prouide capta est. Hinc, inchoati accessus, diuaricatis, in vtrumque latus, ductibus, ita producebantur, vt aduersa propugnaculorum fronte, in vnum coirent. Ingens, simul eductus suggestus, effectumque est, septidui labore, vt operæ, centesimo passu a fossa, obuallatæ, consisterent. Quæ, dum summa diligentia fiunt, nunciatum *Lotharingo* est, aduentare cum valido exercitu, *Seraskierium*, illic *Albam Regalem* Turcas adpulisse; *Váczíam*, Hatvano mouisse Tartaros; Budenses præsidiarios, *Vicegrádi* oppidum expilasse. Eo cognito, aggeribus passim præmunitur *Nitria*; mittitur, ad pontes *Comaromienses*, idoneis firmandos munimentis, *Scherfembergius*; *Heisterus*, custodiendo *Grano*, Hungaros illic adiuturus, ablegatur. Sub idem fere tempus, *Marchio Durlacensis*, cum quaternis *Suenorum* millibus, castra subiit: præsidiumque *Comaromio* validius iniectum est.

obsidetur a Lotharingo frustra erumpentibus præsidiariis:

ordo in oppugnando, & operarum initium:

fama aduentus Seraskierii, nostros facit aduentiores.

§. XXV.